THEOLOGIA

DOGMATICA CATHOLICA,

CONCINNATA

A

JOANNE SCHWETZ,

SS. THEOLOGIAE DOCTORE, ATQUE EJUSDEM IN C. R. UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORE P. O.

VOL. I.

Ἡμεῖς δὲ κηρύσσομεν Χριστὸν ἐσταυρωμένον.
Ἐπιστ. πρ. Κορ. Α. ά, 23.

VIENNAE 1855.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITHARISTICAE.

Opus litterarium, quod Adm. Reverendus Dom. *Joann. Schwetz*, SS. Theologiae Doctor ac ejusdem p. o. Professor sub titulo:

THEOLOGIA DOGMATICA CATHOLICA,

pro approbatione obtinenda Nobis submisit, diligenter discussum iisdem quoad materiam ac formam praerogativis eminere deprehendimus, quas in Theologia generali ab eodem Auctore in lucem publicam emissa litteris Nostris datis 5. Octobris 1848 laudare non haesitabamus. Quapropter praefatam Theologiam Dogmaticam Catholicam pro typo auctoritate Nostra Archiepiscopali hisce approbamus, omnibusque Scientiarum sacrarum studiosis egregie commendatam volumus.

Dabamus Cremsirii Moravorum in Residentia Nostra Archiepiscopali die 18. Julii a. r. s. 1851.

Maximilianus Josephus *m./p.*
Cardinalis a Somerau-Beeckh,
Princeps Archiepiscopus.

Editiones operum SS. Patrum, aliorumque Scriptorum ecclesiasticorum, quae in hoc opere citantur.

SS. Patrum, qui tempp. apostolicis floruerunt, Barnabae, Clementis, Hermae, Ignatii, Polycarpi, opera unac. Clem. Ign. Polycarpi actis atque martyriis, c. nott. integr. Coteler. aliorumque dd. VV. item G. Bervegerii, Jac. Usserii et J. Pearsonii dissertt. cur. J. Clerici, Amstelod. 1724. 2 V. fol.

Ambrosii Opera, stud. et lab. Monach. Ordin. S. Bened. e Congr. S. Mauri, Paris. 1686. 2 T. fol.

Anselmi Cantuar. Opera, ed. Gabr. Gerberon. Lut. Paris. 1675. f.

Arnobii Adv. Gentes libri VII, et *Jul. Firmici Materni De errore profan. religionum ad Constant. et Constantem libellus,* ed. Fr. Oberthür, Wirceburg. 1783.

Athanasii Opera omnia, op. et stud. Monach. Ord. S. Bened. e Congr. S. Maur. Par. 1698. 2 T. f.

Augustini Opera, op. et stud. Monach. S. Bened. e Congr. S. Maur. Venet. 1729—35. 11 T. f.

Basilii M. Opera omnia, op. et st. Jul. Garnier, Presb. et Monach. Benedict. e Congreg. S. Maur. Par. 1721. 3 T. f.

Vener. Bedae Opera, Colon. 1688. 8 T. f.

Bernardi Claraevallens. Opera omnia, post Horstium denuo recogn. J. Mabillon, Presb. et Mon. Bened. e Congreg. S. Mauri, Par. 1719. 8 T. 2 V. f.

Boëthii De consolat. philosophiae libri V, ed. Patav. 1721.

J. Cassiani Opera omnia, ed. Alardus Gazaeus, Atrebat. 1627. f.

Cassiodori Opera omnia, op. et st. Garetii, Monach. Ord. S. B. e Congr. S. Maur. Venet. 1729. 2 T. f.

Petr. Chrysologi Sermones, ed. Seb. Paulus, Aug. Vindel. 1758. f.

J. Chrysostomi Opera omnia, op. et st. Bern. de Montaucon, Mon. O. S. B. e Congr. S. Maur. Par. 1718. 13. T. f.

Clementis Alexandr. Opera, recogn. et illustr. per J. Potterum, Venet. 1757. 2 T. f.

Cypriani Opera, ex recens. Steph. Baluzii absolv. Prud. Maranus, Mon. Ord. S. B. e Congr. S. Mauri, Mediol. 1834. 2 V. 8.

Cyrilli Alex. Opera, gr. et lat. ed. J. Aubertus, Par. 1738. 6 T. f.

Cyrilli Hieros. Opera omnia, gr. et lat. c. et stud. Ant. Aug. Toutée, Presb. et Mon. Ben. e Congr. S. Mauri, Par. 1720 f.

J. Damasceni Opera omnia, op. et st. Mich. Leqien, Ord. FF. Praed. Ven. 1748. 2 T. f.

Petr. Damiani Opera omnia, st. ac lab. Const. Cajetani, Par. 1743. 4 T. f.

Dionysii Areop. Opera cum scholiis Maximi et paraphrasi Pachymerae, a Balth. Corderio S. J.D.Th. lat. interp. et nott. theol. illustr. Antverp. 1634. 2 T. f.

Ephraem Syr. Opera omnia, gr. syr. et l. ed. Petr. Benedictus, et Steph. Evod. Asseman, Rom. 1732—46. 6 T. f.

Epiphanii Opera omnia, gr. et l. rec. vert. et animadv. illustr. Dion. Petavius, S. J. Par. 1622. 2 T. f.

Eusebii Caesar. Praeparatio Evangelica, gr. et l. ed. Fr. Vigerus, Par. 1628. f. — *De Demonstratione Evangelica libri X*, access. *Cont. Marcell. ll. II. De eccles. Theologia libri III.* gr. et l. cum. nott. ed. R. M. (Rich. Montacutii), Par. 1628. f. — *Historiae Ecclesiasticae libri X*, et *De vita Constantini libri IV*, gr. et l. ex rec. Ern. Zimmermann, Francofurt. 1822. 8.

Fulgentii Ruspensis Opera omnia, Par. 1684. 4.

Gregorii M. Opera omnia, stud. et lab. Monachorum O. S. B. e Congreg. S. Mauri, Par. 1705. 4 T. f.

Gregorii Nazianzeni Opera ex versione Jac. Billii Prunaei, anct. et nott. illustr. Venet. 1753. 2 T. f.

Gregorii Nysseni Opera, gr. et l. Par. 1615. 2 T. f. 1638. 3 T. f.

Irenaei Contra haereses libri V, st. et l. Ren. Mansuet, Mon. O. S. B. e Congr. S. Mauri, Par. 1710.

Isidori Hispalensis Opera omnia, ed. Jac. du Breul, Col. Agripp. 1617. f.

Isidori Pelusiotae Epistolarum libri III. de interpretatione S. Scripturae, Venet. 1745.

Justini M. Opera, nec non *Tatiani adv. Graecos oratio*, *Athenagorae Legatio pro Christianis*, *Theophili Antiocheni tres ad Autolicum libri*, *Hermiae Irrisio gentil. philosophorum*, op. et stud. unius ex Monachis Congreg. S. Mauri, Venet. 1747 f.

Hieronymi Opera, post Monach. O. S. B. e Congreg. S. Mauri recens. st. ac l. Dom. Vallarsii, Venet. 1766—71. 11 T. 4.

Hilarii Pictaviensis Opera, st. et l. Monach. O. S. B. e Congreg. S. Mauri, auct. cur. Scip. Maffei, Veron. 1730. 2 T. f.

Lactantii Opera omnia, ed. J. Le Brun et N. Lenglet Dufresnoy, Par. 1748. 2 T. 4.

Leonis M. Opera omnia, access. *Hilarii Arel. opuscula, vita et apologia*. Lugd. 1700 f.

Maximi Taurinensis Opera, Rom. 1784.

Optati Milevitani De schismate Donatistarum, op. et st. M. Lud. Ell. Dupin, Lut. Par. 1702. f.

Origenis Opera omnia, op. et st. Car. Delarue, Presb. et Mon. Bened. e Congreg. S. Mauri, Par. 1733. 4 T. f.

Paulini Opera, ed. J. Fr. Madrisius, Congr. Orat. Presb. Venet. 1787. f.

Prosperi Aquitani Opera omnia, ed. a J. B. le Brun et D. Mangeant, Par. 1711. f.

Socratis Scholastici, *Hermiae*, et *Sozomeni Historia ecclesiastica*, ed. H. Valesius c. observv. etc. adject. a Gul. Reading, Aug. Turin. 1747. f.

Theodoreti, *Evagrii Hist. eccles. cum excerptis ex historiis Philostorgii* et *Theodori Lectoris*, ed. H. Valesius, c. observv. etc. adj. a Gul. Reading, Aug. Taurin. 1748. f.

Theodoreti Opera omnia, c. et st. Jac. Sirmondi, Lut. Par. 1642. 4 T. f.

Tertulliani Opera, ed. Rigaltius, Mediol. 1831. 2 V. 8.

Theophylacti Opera omnia, gr. et l. access. *Euthymii Zigabeni Comment. in Psalm.* ed. cur. Bern. Marc. de Rubeis et Bonf. Finetti, Venet. 1754—63. 4 T. f.

Thomae Aquinatis Opera omnia theologica, ed. Bern. de Rubeis, Venet. 1745—1760, 28 T. 4.

Vincentii Lirinensis Commonitorium adv. haeres. ed. Steph. Baluzius, Aug. Vindelic. 1757. 8.

Reliqui citantur e

Maxima Bibliotheca veterum Patrum et antiquorum Scriptorum eccles. Lugdun. 1677. 27 T. f. et

Bibliotheca veterum Patrum antiquorumque Scriptorum ecclesiasticorum, c. et st. Andr. Gallandii, Presb. Congr. Oratorii, Venet. 1765—1781. 14 T. f.

Isagoge.

§. 1. Notio Theologiae dogmaticae.

Quae nobis credenda atque observanda sunt, ut salutem consequamur, Christus Dominus nobis per se et suos Apostolos, atque ante adventum suum in orbem terrarum jam per Prophetas revelavit, hancque doctrinam revelatam Ecclesiae suae, i. e. Catholicae, et in hac iterum Magisterio a se instituto custodiendam, fidelibusque proponendam commisit. Quicunque itaque in numerum Magistrorum ecclesiasticorum adscriptus est, aut adscribi cupit, quae divinitus sint revelata, et ceu talia ab Ecclesia nobis ad credendum proponantur, quam adcuratissime cognita habeat necesse est; qui enim alios in doctrina fidei Catholicae instituendi provinciam sustinet, clariori ac subtiliori cognitione ejusdem destitutus esse nequit. Hinc in verbi divini praecone requiritur, ut non tantum de singularum sententiarum, quas ut divinitus revelatas praedicare vi muneris suscepti obstringitur, origine divina convictus sit, easque fide firma ac inconcussa teneat, sed et claram ac perspicuam illarum notionem habeat, porro rationum momenta, quibus easdem revelationi deberi monstratur, sciat, nec non mutuam illarum necessitudinem atque internam rationem seu necessitatem, quatenus id fieri potest, perspectam, i. e. fidem una scientia collustratam habeat.

Praestat autem id docendi muneris sacri candidato **Theologia dogmatica**, quae nihil aliud est, quam **doctrinae fidei Catholicae scientia**, seu ea **disciplinae theologicae pars**, **quae veritates ad Deum, ejusque opera attinentes, fide divina amplectendas (dogmata), prout sunt per divinam revelationem patefactae, et qua tales ab Ecclesia Catholica traduntur, perspicue, subtiliter et systematico ordine exponit.**

§. 2. Argumentum, seu objectum.

Theologiae dogmaticae, vel, ut adcuratius loquamur, Theologiae dogmaticae Catholicae argumentum seu objectum itaque sunt veritates, quas nobis Ecclesia Catholica tamquam divinitus communicatas, et ideo fide divina tenendas proponit,

et quidem hae omnes, sive caeterum sint jam per certam sententiam Ecclesiae definite enuntiatae sive non, praeter illas autem nil alind, vel paucis Symbolum seu Dogma Catholicum. Christus Dominus enim, ut alibi demonstravimus, omnem revelationem suam Ecclesiae tradidit, in qua et per quam opus Redemtionis continnat, et in nobis perficit. Quapropter Theologia dogmatica, ut scientia doctrinae fidei divinitus revelatae dici Catholicaque cognominari queat, doctrinam illam, prout in sinu Ecclesiae Catholicae custoditur, et per eam traditur, exhibeat necesse est. Praeter veritates autem ad fidem Catholicam spectantes nonnisi illas, quae cum revelatis necessario cohaerent, et ad easdem collustrandas aut firmandas, seu, ut ajunt, rationi quoque suasibiliores reddendas faciunt, ex sana philosophia, vel potius ex ipsa rerum natura depromtas sibi adsciscit, quod indoles scientiae necessario deposcit; reliquas autem omnes tamquam a suo argumento alienas respuit.

§. 3. Methodus.

Methodus, quam in Theologia dogmatica tradenda servari oportet, est methodus scientifica ipsa ad dogma Catholicum adcommodata. Quapropter quum scientiae sit efficere, ut res, circa quas versatur, sciantur, notio earumdem clara, certa et completa obtineatur: Theologia dogmatica prae omnibus notiones singularum veritatum credendarum perspicuas exhibere debebit, quae verae cognitionis nostrae atque fidei rationabilis conditio ac fundamentum sunt. Quo respectu non abs re erit ubique paucis praemittere adversariorum errores, quum ex hisce veritas opposita non parum lucis ac claritatis accipiat. Porro quum omnes sententiae, quae ad ambitum doctrinae Catholicae pertinent, haud ejusdem sint certitudinis, sed aliae dogmata sint definita, aliae non item: fidei gradum cujuslibet indicet, ejusque veritatem firmis ac solidis argumentis demonstret necesse est. Inter argumenta autem isthaec primum locum nunquam non occupare debent illa, quae ex ipsis revelationis fontibus, S. Scriptura scilicet et Traditione, unde, quid quovis tempore inde ab initio Ecclesia docuerit, comparet, et haec ipsa doctrinam, seu, ut nostris diebus loqui amant, suam conscientiam instaurat ac renovat, depromuntur; quum tantum iisdem, singulas sententias revera revelationi divinae in acceptis referendas esse, monstretur; quod cognoscere manifeste quam maxime ac inprimis neces-

sarium est. Doctrina enim Catholica a Deo modo supernaturali data, seu divinitus posita est, et hinc etiam ceu talis nobis fide recipienda, suo positivo charactere divino, in quo ejus principalis, imo omnis virtus ac efficacia supernaturalis sita est, exui sine sacrilegio nequit. Caeterum argumentandi ratio isthaec, et etiam scientia, quam gignit, quoniam externis, positivis ac historicis constat rationibus, externa, positiva seu historica, vel etiam traditionalis audit.

Verumtamen in argumentatione externa et historica Theologia dogmatica haud acquiescit, sed fidem, quam per scientiam externam ac positivam, rationabilem ac necessariam esse ostendit, firmat ac stabilit, una per probationem sic dictam speculativam seu philosophicam ad scientiam, internam scilicet seu veram ac propriam, evehere satagit. Hinc internam rationem seu necessitatem singularum sententiarum indagat, atque mutuum earumdem nexum perquirit, quum una alteri tamquam causae suae quasi inhaereat, et ex illa consequatur, ac sic illas ex se ipsis et per se ipsas veras esse demonstrat. Philosophica seu speculativa haec dogmatum investigatio ac demonstratio, quamdiu intra justos continetur limites, haudquaquam est damnanda, quin imo laudem meretur. Haec enim mentis nostrae est indoles, ut ipsa ad scrutandas rerum causas suapte ac necessario vehatur, atque omnino haud quiescat, donec veritatem ipsam intelligentiâ apprehendat. Insuper intelligentiâ fides ipsa in nobis promovetur, atque efficacior redditur. Quando enim mens nostra perspicit, quae credit, magis veritati est addicta, et pronior ad vitam ei conformandam, quam si tantum captivam fidei se subjicere coactam se sentit. Ne tamen speculativa illa dogmatum pertractatio plus noceat, quam prosit, nunquam non obliviscatur Theologus, fidem initium ac fundamentum scientiae, uti salutis nostrae, esse. Propterea speculatio a dogmate seu fide divinitus accepta procedat, ad illam semper respiciat, et ad eam velut normam inflexilem disquisitiones suas exigat, minime autem illam ad hasce detorquere praesumat. Nam non de eo agitur, aut agi potest, quid forsan verum aut revelatum esse queat, sed de eo tantum, ut veritas per revelationem nobiscum communicata rationi magis pervia reddatur. Porro speculatio haudquaquam id sibi propositum teneat, ut fidem in cordibus nostris semoveat, aut superfluam efficiat, sed potius in id enitatur, ut illam confirmet, ejusque in vitam nostram efficaciam augeat,

idque eo magis, quoniam veritas supernaturalis, prout a ratione humana non potuit inveniri, etiam non plene ac perfecte, sed dumtaxat appropinquando potest comprehendi, ita ut, quamdiu in hocce praeparationis stadio vivimus, nobis meritum fidei haud desit. Quapropter speculatio humilitatis sensum comitem nunquam non habeat, quae radix ac fons uti omnis virtutis, ita et fidei est, simulque nos ab insolentia illa praeservat, qua autumamus, omnes huc usque in tenebris inscitiae sedisse, atque nobis tandem tam felicibus esse contigisse, qui verum lumen scientiae orbi coecutienti afferamus.

Denique Theologia dogmatica sententias singulas justo ordine disponit, et in systema redigit, prout id pariter indoles scientiae exigit. Ad quod conficiendum tamen non requiritur, ut omnes veritates fidei revelatae ex uno principio deriventur: tale enim principium in nulla scientia datur, ipsa mathesi non excepta, et ideo eo magis in scientia haud mere formali, sed reali frustra quaeritur. Verum magis σκελετὸν illius ex natura argumenti disciplinae nostrae, vel potius illarum rerum, ad quas veritates fidei referuntur, non aliunde repetatur; quum nonnisi tale systema, utpote in ipsa re fundatum, cum hacce convenire possit.

§. 4. Finis.

Finis, quem Theologia dogmatica sibi præfixum habet, ex dictis non est alius, quam ut per illam doctrinae Catholicae claram, certam ac omnibus numeris absolutam cognitionem nanciscamur, atque hacce ipsa fides nostra firmior ac efficacior evadat, seu ut credendo intelligamus, et intelligendo firmius ac efficacius credamus, sicque eo aptiores verbi divini praecones evadamus. Scientia enim et fides se nequaquam tollunt aut evertunt, sed mutuo adjuvant ac promovent, ut ex supra dictis colligitur, et mox dicendis magis adhuc patebit.

§. 5. Scientia et fides, earumque mutua ad invicem relatio.

Scientia, quatenus ad doctrinam fidei Catholicae refertur, ex supra disputatis, duplex est, alia **historica** seu **externa**, alia **speculativa** seu **interna**. **Prior** secundum ea, quae ibidem dicta sunt, est illa, qua ex argumentis externis seu historicis firmiter ac indubitate persuasum habemus, primo doctrinam fidei generatim divinitus esse revelatam, et per omnia saecula in Ecclesia Catholica, a Spiritu S. illustrata et directa, inte-

gram ac illibatam conservatam, atque deinde singulas sententias speciatim, quae nobis credendae ab illa proponuntur, ex revelatione divina revera esse depromtas. Scientia vero interna seu speculativa rerum revelatarum ea est, qua internam harum rationem seu necessitatem perspectam habemus. **Fides** autem est assensus, quem revelationi datae, et singulis veritatibus seu sententiis ad eam pertinentibus ob auctoritatem Dei revelantis ex decreto voluntatis, reverentia ac amore divinae veracitatis ducti, praestamus. Fides itaque cum scientia historica seu externa necessario conjuncta est, vel potius hanc sequitur. Fides enim firma et inconcussa, quae Deo revelanti debetur, tantummodo tunc sententiae alicui praeberi potest, quando modo certo ac evidenti de ejus origine divina constat. Ut igitur quis rationabiliter credat, et insuper fidei suae rationem cuilibet quaerenti reddere queat, evictâ facti revelationis divinae veritate, et ostensâ Ecclesiae Catholicae auctoritate, singulas sententias, ad ambitum doctrinae revelatae spectantes, ceu tales sive ex ore Ecclesiae docentis, sive una ex fontibus revelationis, unde illa ipsa doctrinam suam haurit, cognitas habeat necesse est. Attamen licet fides cum scientia historica necessario conjuncta sit: haudquaquam propterea hac scientiâ solâ absolvitur. Ut haec in fidem abeat, ad eamdem decretum voluntatis ea, quae pro veris seu divinitus revelatis cognovimus, etiam pro veris ac revelatis firmiter ac indubitate tenendi accedere debet. Scientia enim omnis est dumtaxat functio intellectus, et argumentorum pondere quasi extorquetur, fides autem simul actus est voluntatis, atque ex reverentia et amore Dei veracissimi nascitur; quamvis, fides scientiam historicam semper ac necessario consequatur, oporteat. Quamprimum enim, sententiam aliquam vere esse revelatam, cognoverimus, illam quoque tamquam certissimam fide inconcussa amplecti obstringimur: secus enim ipsam revelationem negare, i. e. nobismetipsis repugnare cogeremur.

Quod ad relationem fidei et scientiae speculativae et internae attinet: utrinsque naturâ adcuratius expensâ, patet ante omnia, **fidem aeque rationabilem esse ac scientiam.** Etenim fides quidem sententias revelatas admittit, licet illas non comprehendat, attamen tantum propterea, quia summam Dei veracitatem, omniscientiam ac sapientiam, falli fallereque nesciam perspectam, eamque summe venerandam esse persuasum habet,

et ideo se auctoritati divinae subjicit, quia scit Deum nonnisi absolute verum manifestare posse, suumque officium sese illi subjiciendi esse. Quod manifeste dignitati naturae nostrae rationalis haud repugnat, sed quam maxime convenit. Nam fide homo nequaquam usui rationis renuntiat, sed tantum praepeditur, quominus revelationem rejiciat, atque dubiis vanis et opinionibus erroneis ad fallendum compositis aurem praebeat. Quin imo fides aeque ac scientia, i. e. absolute certa est. Nam licet certitudo scientiae immediata sit, utpote perspectae internae necessitati innixa: ideo tamen minime major aut tutior statui potest certitudine fidei, quamvis mediatâ, quum haec infallibili auctoritate divina sit suffulta. Scientia quidem majorem cognitae rei revelatae claritatem, atque etiam naturalem illam admittendi animi alacritatem sibi conjunctam habet: attamen ignis coelestis, quo cor nostrum fide vera ac viva repletum incalescit, vicem nequaquam explere, aut eidem exaequari potest; et hinc quoque fides, partim quoniam auctoritati divinae innititur, partim quia non tantum intellectus, sed et voluntatis motus est, majorem scientiâ vim in vitam exserit, et plus, quam haec, ad mores voluntati divinae conformandos experientia omnium saeculorum teste confert. Bonum est scire, melius credere, optimum utrumque.

Porro fides scientiae basis est ac fundamentum, quae ab illa necessario progredi, et per illam continuo dirigi debet. Res enim, de quarum intelligentia hicce agitur, ejusmodi sunt, quas ratio sibi relicta nunquam inveniret, seu ex principiis perspicue cognitis deduceret. Quare revelationem alio modo, quam per fidem apprehendere non valemus, et prout omnis nostra institutio atque educatio ab auctoritate ac fide incipit, ita quoque institutio ac educatio ab auctoritate et fide initium capiat necesse est. Insuper nisi philosophica rerum revelatarum disquisitio ad fidem continuo respiciat, eidemque immoto quasi pede insistat: ratio facile in illa instituenda eamdem ob causam, quoniam res illae naturales ipsius limites transcendunt, eique dumtaxat per revelationem innotescere potuerunt, aberrare, et phantasiae fallaciis decepta, istius portenta veritati substituere posset. Unde sine fide scientia revelationis neque datur, neque firma ac tuta est.

Denique fides absolute est necessaria, scientia autem haudquaquam. Etenim quae Deus nobis de se, suisque operibus, ac praecipue naturis intellectualibus, Angelis et

hominibus, revelavit, atque continuo per Ecclesiam suam nos edocet, quivis cognoscere (cognitione externa seu historica) ac credere potest, et etiam tenetur: ad scientiam vero (internam) horum omnium, licet imperfectam, evehi nonnisi paucis electis, naturali perspicacitate mentis praeditis, ac praecipue uberiori coelesti gratia illustratis datum, ad perfectam autem pertingere nemini est concessum. Etenim *videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem* [1]), et *cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est.* [2]).

Ex altera parte autem minime timendum est, ne scientia fidem evacuet, aut ex animis nostris tollat. Quamvis enim fides et scientia circa easdem veritates revelatas versetur, idemque habeat utraque objectum: tamen quaevis earumdem proprio innititur fundamento, fides videlicet auctoritati divinae, scientia vero cognitae internae rei rationi ac necessitati; et ideo sibi invicem haud repugnant, sed potius se invicem multum adjuvant, quum fides scientiae afferat certitudinem ac firmitatem, scientia autem fidei alacritatem, et eapropter etiam majorem efficacitatem.

§. 6. Divisio.

Veritates revelatae, quas nobis Ecclesia Catholica fide divina recipiendas proponit, referuntur aut ad Deum ipsum, aut ad ejus opera, et posteriores rursus vel ad mundum generatim, vel speciatim ad naturam angelicam, humanam et physicam. Quapropter Theologia dogmatica pro indole argumenti sui, cui necessario adcommodari debet, ne scopo suo desit, in quinque dispescitur partes. Quarum

1. continet doctrinam de Deo;
2. de mundo in genere;
3. de Angelis;
4. de homine; et
5. de mundo physico.

§. 7. Succincta historia Theologiae dogmaticae.

Priusquam ad exponenda doctrinae Catholicae dogmata accedamus, non abs re esse videtur, brevem disciplinae nostrae praemittere historiam. Quemadmodum enim reliquae disciplinae theologicae, ita et Theologia dogmatica non uno continuo culta est

[1]) 1. Cor. 13, 12.

[2]) 1. Joan. 3, 2.

modo, neque una eademque tradita est methodo; quamvis dogmata religionis nostrae, quae illa proponit, eadem semper immota ac inconcussa steterint.

Licet autem tres diversas doctrinam fidei tractandi methodos distinguere, patristicam, scholasticam et recentiorem, atque hinc etiam historiam Theologiae dogmaticae in tres sectiones seu periodos dispescere.

Periodus prima seu patristica, a Christo Domino usque ad medium aevum. — Christus Dominus ipse doctrinam suam, occasione oblata, modo simplici, populo, ad quem verba faciebat, adcommodato, sine omni scientifico adparatu, quo haud indigebat, proponebat, utpote qui erat ipsa veritas, et ideo edocebat, *sicut potestatem habens*, [1] verbum vitae omnes, *quotquot receperunt eum* [2]. — Simplex quoque erat methodus, qua Apostoli in doctrina revelata tradenda usi sunt. Pro fundamento institutionis suae historiam Salvatoris collocant, quem ex vaticiniis V. T., in ipso exitum nactis, atque miraculis ab ipso patratis, promissum Messiam atque unigenitum Dei Filium esse, ostendunt, doctrinamque ab ipso traditam narrationibus suis intexunt, aut etiam, prout in epistolis faciunt, data opportunitate, ex industria exponunt, *non in persuasibilibus verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis*, ut, fidem hominum non humanâ sapientiâ, sed vi divina niti, intelligatur. [3] Attamen jam ipsi ad dogmata, uti de corporum resurrectione, de nostra justificatione ac praedestinatione, contra adversariorum objectiones vindicanda, ea magis explicare, eorumdem possibilitatem atque cum sapientia ac sanctitate divina congruentiam monstrare coguntur.

Qui Apostolis successere Scriptores ecclesiastici, Patrum Apostolicorum nomine condecorati, ut Clemens Rom., Ignatius M., Polycarpus, Hermas, quibus accensent auctorem epistolae, quae S. Barnabae nomine circumfertur, apostolicum dicendi, scribendique genus imitati, sine adcuratiori dogmatum divinorum disquisitione instituta, atque ordine systematis haud servato, sed prout eorum, quibuscum agebant, exigebat necessitas, aut ferebat occasio, sermonem habuere de rebus divinis, stylo simplici et ab ornatu quaesito

1) Matth. 7, 29.
2) Joan. 4, 10 ss. 1, 12.
3) 1. Cor. 2, 4 s.

vacuo. Non enim hisce viris tam cordi erat, ut scientiam, quam potius ut vitae sanctimoniam inter homines promoverent; et hinc malebant Christum, ejusque religionem magis re ac vita, tum in se, tum in aliis exprimere, quam ornare adscitio adparatu.

Saeculo II. vero quum plures essent, qui disciplinis profanis probe exculti Christo nomen dedissent, atque Christianae fidei hostes varia ejusdem dogmata, praecipue ideo, quod rationi humanae adversentur, impeterent: non poterat non fieri, ut viri illi iisdem armis, quibus adversarii rem Christianam adgrediebantur, hos refellerent, eamque tueri satagerent, mysteriorum revelationis divinae internam rationem ac necessitatem aut saltem possibilitatem ostendendo; idque eo magis, quum menti nostrae desiderium a natura insitum sit, ad clariorem in dies rerum etiam divinarum notionem eluctandi, earumque internam veritatem seu intelligentiam assequendi. Neque asseri potest, S. Scripturam hujusmodi conaminibus adversari, quum Apostolus nos admoneat, ut ambulemus *digne, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei,* [1]) atque solummodo philosophiam οὐ κατὰ Χριστὸν rejiciat. [2]). Tali modo igitur nata est scientia Christiana; atque omnes Patres et Scriptores Ecclesiae, qui de dogmatibus sacris scripserunt, dum ex una parte unanimiter agnoscunt, doctrinam divinitus revelatam, in sinu Ecclesiae repositam, atque ab ea traditam absolute perfectam esse, ita ut nec dilatari nec perfici queat, ex altera parte simul, alii magis ac consulto, alii minus ac quasi praeter voluntatem, profunda illius doctrinae scrutantur, ut falsae scientiae phantasmata destruant, et nativo illi rationis nostrae desiderio veritatem comprehendendi, quantum id videlicet fieri potest, satisfaciant. In hac divina scientia perfectionem Theologi, quin imo omnis Christiani reponunt, ut nominatim Clemens Alex., qui illam γνῶσιν, et ideo Theologum seu Christianum eâdem instructum γνωστικὸν adpellat, atque eam ita describit: *Cognitio* (γνῶσις) *autem est firma et stabilis demonstratio eorum, quae assumta sunt per fidem, quae per doctrinam Domini super fidem aedificatur, quae transmittit ad infallibilitatem et scientiam et perfectam comprehensionem. Ac mihi quidem ea videtur esse prima salutaris mutatio, quae fit a gentibus ad fidem; secunda autem, quae est a fide in cognitianem. Illa vero*

---

[1]) Col. 1, 10. Cf. 2. Petr. 3, 18.

[2]) Col. 2, 8.

desinens in charitate, amicum id, quod cognoscit, ei reddit, quod cognoscitur. Et fortasse qui est ejusmodi, jam praeoccupavit, ut sit similis Angelis [1]). Hinc et usum philosophiae, cujus ope divina scientia tam in nobis, quam in aliis gignitur, non tantum ipsi ubique faciunt, sed et Theologo commendant. [2]) Etenim *rationi*, ut ait Cassianus, *non obest sermo rationis, et semper veritas ventilata plus rutilat, meliusque est errantes disputationis curatione corrigi, quam censurae severitate damnari* [3]). Atque Hilarius: *Fidem non nudam* (indoctam) *Apostolus atque inopem rationis reliquit: quae quamvis potissima ad salutem sit, tamen nisi per doctrinam instruatur, habebit quidem inter adversa tutum refugiendi recessum, non etiam retinebit constantem obtinendi securitatem; eritque, ut infirmibus sunt post fugam castra, non etiam ut castra habentibus adest interrita fortitudo. Contundendae sunt ergo insolentes adversum Deum disputationes, et destruenda rationum fallacium munimenta, et elevata ad impietatem ingenia conterenda, nec carnalibus armis, sed spiritualibus; nec terrena doctrina, sed coelesti sapientia: ut quanta rerum divinarum humanarumque discretio est, tanta ultra terrena studia ratio coelestis excedat.* [4]) Nimirum quamvis ad repellendos ac refutandos haereticos divinis Scripturis ac dogmatibus, hoc est, propriis disciplinae principiis nitatur Theologus, ac praecipuum in iis robur ac momentum pugnae situm habeat: non tamen illis ipsis uti, nec ea tractare scienter arma poterit, si scientia divinorum dogmatum sit destitutus.

Omnem tamen malum philosophiae ac scientiae usum in negotio fidei ac Theologiae iidem viri respuunt; qui duplex esse potest. Primus ille est, quando sola ratio credendi in scientia constituitur, adeo ut nulli assentiri dogmati libeat, quod sola auctoritate constat, nisi humana ratiocinatione capi, probarique potuerit. Quam sapientiam humanam atque mundanam vocant. *Humana mens*, ait Hilarius, *hoc solum sapit, quod intelligit, et mundus hoc tantum, quod potest, credit, secundum elemento-*

---

1) *Strom. l. 7. n. 10.* Opp. ed. c. T. 2. p. 824 s.

2) Cf. Clem. Alex. *Strom. l. 6. n. 18.* T. 2. p. 824 s. — Augustin. *De doctr. Christ. l. 2. c. 31. 40. n. 48—49. 60—61.* Opp. ed. c. T. 3. c. 38. 42 s. — Gregor. Naz. *Or. 20.* Opp. ed c. T. 1. c. 300. c.

3) *De Incarn. l. 1. c. 6.* Opp. p. 972.

4) *De Trinit. l. 12. n. 20.* Opp. ed. c. T. 2. c. 419 s.

rum naturas id tantum possibile existimans, quod aut videret, aut ageret. [1]) Quam nobis prorsus non posse sufficere, porro adstruunt. *Nescit plane sapere,* inquit idem S. Doctor, *qui Deum nescit. Et cum sapientia Christus sit, necesse est, ut extra sapientiam sit, qui Christum aut ignorat, aut odit,* h. e. fide ejus doctrinam haud recipit. [2]) Quamobrem juxta illorum doctrinam praecedere omnino fides debet, sequi deinde ratio ac intelligentia seu scientia. Quod ex Clementis Alex. loco supra laudato efficitur. In quo asserit, fidem instar esse fundamenti, super quod ἡ γνῶσις, id est scientia et cognitio struitur. Porro: *Janua nostra fides est,* ait Ambrosius, *quae totam domum, si fuerit robusta, communit.* [3]) Cassianus: *Sed rationem dicti quaeris? non reddo. Interim Deus hoc dixit. Deus hoc locutus est mihi; verbum illius summa ratio est. Removeo argumenta; removeo disputationes. Sola mihi ad credulitatem sufficit persona dicentis. Non licet mihi de fide dicti ambigere; non licet deliberare. Quid mihi quaerere, quomodo verum sit, quod Deus dixerit, cum dubitare non debeam, quin verum sit, quod Deus dixerit?* [4]) Atque Cyrillus Alex.: *Fidem enim sequitur cognitio, non antecedit, juxta illud: „Si non credideritis, non intelligetis." Fide quippe simplici, non curiosa basis instar constituta, superaedificatur deinceps cognitio, quae paulatim in mensuram aetatis Christi et in virum perfectum ac spiritualem nos effert.* [5]). Hanc ergo ex mente Patrum Ecclesiae disciplinae coelestis ac divinarum rerum percipiendarum hominibus viam Christiana praescribit religio, ut credendarum rerum rationem non ab intelligentiae luce repetant, nec argumentis ac probabilibus inventis humanae sapientiae, vel argumentorum subtilitate aut demonstrationis necessitate moveantur ad assensum, sed sola auctoritate testificantis Dei, quae quidem idoneis ad sui significationem notis ac documentis illuxerit. Postquam vero propositis rebus assensi sunt, ac fide suscepta Christiani jam esse coeperunt: tum ex frequenti creditarum rerum meditatione ac tractatione oritur illa scien-

[1]) *De Trinit. l. 8. n. 53.* Ib. c. 251 *s.*

[2]) Ib. *n. 6.* c. 218.

[3]) *Expos. in Ps. 118. Serm. 12. n. 14.* Opp. ed. c. T. 1. c. 1118. Cf. *De Abrah. l. 1. c. 3. n. 21.* Ib. c. 289.

[4]) *De Incarn. l. 4. c. 6.* Opp. p. 1007.

[5]) *In Joan. 4, 69. l. 4. c. 4.* Opp. ed. c. T. 4. p. 393. Cf. Augustin. *Epist. 120. n. 3.* Opp. ed. c. T. 2. c. 347. — *Hom. in Ps. 115.* Inter opp. Basilii M. ed. c. T. I. p. 371 *ss.*

tia seu cognitio, quae robur ac firmitatem addit fidei, et ad eam tuendam, illustrandam, tradendam lumen ingeniis et adjumenta suppeditat. Non ergo philosophia et intelligentia dux est habenda et magistra credendi, sed ancilla et pedisequa; non quae meliori luce afflatas regat mentes, ac quo velit, ducat, sed obsequatur potius, ac praesto sit ad tutelam et ministerium. *Haec artis humanae peritia*, ait Petrus Damianus, *si quando tractandis sacris eloquiis adhibetur, non debet jus magisterii sibimet arroganter arripere, sed velut ancilla dominae quodam famulatus obsequio subservire, ne, si praecedit, oberret, et, dum exteriorum verborum sequitur consequentias, intimae virtutis lumen, et rectum veritatis tramitem perdat.* [1]).

Alter sinister philosophiae in Theologia usus, quem SS. Patres atque Scriptores priorum saeculorum respuunt, est, qui, prout a sophistis tam gentilibus quam haereticis fiebat, in solis sophismatum nugis ac praestigiis reponitur, ad veram fidem evertendam et circumveniendos rudes ac simplices. De hocce abusu loquitur Ambrosius, quum de Arianis disserens ait: *Omnem vim venenorum suorum in dialectica disputatione constituunt, quae philosophorum sententia definitur non adstruendi vim habere, sed studium destruendi. Sed non in dialectica complacuit Deo salvum facere populum suum. „Regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis"* [2]). Quam improbam disputandi solertiam in divinam invasisse sapientiam, conqueritur Gregorius Naz., qui ait, *in Ecclesiam irrepsisse captiones sophisticas, pravarum artium Aristotelicarum artificium, ac Platonicae facundiae praestigias*, et hujus generis alias, *velut Aegyptiacas quasdam plagas.* [3]) Quae ipsius querimonia crebrior ac vehementior est in iis orationibus, quas contra Eunomium scripsit; *cujus arguta loquacitate*, ait, *eo rem adductam esse, ut periculum sit, ne magnum fidei nostrae mysterium exigua quaedam articula esse videatur.* [4]) Quod item jam longe ante cavendum esse monuerat Gregorius Thaumaturgus, qui scribit: *Ne Evangelicam scripturam curiosius inquiramus, aridis, et enucleatis dictionibus inhaerentes; ac ne quaestiones inextricabiles, verborumque contentiones seminemus, ac planum*

[1]) *Opusc.* 36. c. 5. Opp. T. 3. p. 312.
[2]) *De fide. l.* 1. c. 5. n. 42. T. 2. c. 451.
[3]) *Or.* 26. T. 1. c. 403. D.
[4]) *Or.* 33. Ib. c. 467. D.

et facilem, eumdemque rectissimum fidei sermonem asperum scabrumque reddamus. [1]

Inter scripta tamen, quae hac aetate ab Ecclesiae Scriptoribus exarata sunt, nullum occurrit, quod sententias singulas fidei Christianae certo quodam nexu colligatas exhiberet, atque plenum et apte concinnatum systema Theologiae Catholicae sisteret, solis quibusdam periculis, atque praecipue Joannis Damasceni libris *De fide orthodoxa* exceptis. Nec mirum, religio Christiana enim inter insectationes undique nata est et adolevit; et quemadmodum Reges ac Praesides in Christianos ferro, igniquc saeviebant, ita philosophi ac docti, Gentilium et Judaeorum, atque haeretici et schismatici postea fidem Christianam lingua et calamo aggressi sunt. Quapropter omnes viri eruditi, quotquot sacra Christiana eo tempore amplexati, aut in religione Christiana sunt enutriti, ad eam contra adversarios tuendam, ejusque dogmata vindicanda cogebantur, ita ut de horum systemate construendo haud cogitarent.

Qui ex Gentilibus contra religionem Christi insurrexerant, partim Christianis contemtum plurium deorum, partim una cum Judaeis fidem in mysteria generatim, ac speciatim in Deum-hominem vitio vertebant. Unde auctores Christiani, qui adversus Gentiles scripserunt, prae omnibus unitatem Dei adserunt, cujus potentia sicut condita sint universa, ita et providentia gubernentur, fidem Christianorum in mysteria, utpote auctoritate revelantis Dei sapientissimi nixam, haud irrationabilem aut coecam esse ostendunt, atque Incarnationem Verbi divini, aliaque ejus mysteria exponunt. Id pariter fit ab iis, qui contra Judaeos calamum strinxerunt, cum hoc tamen discrimine, quod adversus Gentilium philosophos disserentes magis argumentis internis, qui vero contra Judaeos disputant, una testimoniis A. T. veritatem dogmatum Christianorum demonstrare satagant. Inter Scriptores ecclesiasticos, qui defensionem rei Christianae contra Gentiles susceperunt, eminent: Justinus M., *Apologia I. ad Antoninum Pium* [2]), *Apologia II. ad Senatum Romanum* [3]), et, si ejus opus est, *Liber de Monarchia* [4]); Tatianus, *Oratio*

[1]) *De Incarn. et fid.* Cf. Petav. *De theol. dogmat. Prol. c. 3. n. 6.* Antverp. 1700. T. 1. p. 8 s.
[2]) Opp. p. 42—90.
[3]) Ib. p. 90—102.
[4]) Ib. p. 35—42.

adversus Graecos [1]); Athenagoras, *Legatio pro Christianis* [2]); Theophilus Antiochenus, *Ad Autolicum libri tres* [3]); Hermias, *Gentilium philosophorum irrisio* [4]); Hippolytus, *Adversus Platonem de causa universi* [5]); Clemens Alex., *Protrepticus, seu Cohortatio ad Gentes* [6]); Origenes, *Contra Celsum libri VIII* [7]); Eusebius Caesar., *Praeparationis Evangelicae libri XV* [8]), et *Liber contra Hieroclem* [9]); Athanasius, *Oratio contra Gentes* [10]); Gregorius Naz., *Orationes invectivae adversus Julianum Imperatorem* [11]); Theodoretus, *Orationes X de Providentia* [12]), et *Graecarum affectionum curatio* [13]); Cyrillus Alexandrinus, *Pro sancta Christianorum religione adversus libros athei Juliani* [14]). Huc quoque quodammodo referri possunt Basilii *Homiliae IX in Hexaëmeron,* [15]) Gregorii Nyss. *De hominis opificio* [16]), item *Contra fatum* [17]), et tractatus *Adversus Graecos, ex communibus notionibus, seu de Deo trino* [18]), Joan. Chrysostomi *homiliae tres adversus eos, qui dicunt, daemones gubernare res humanas, etc.* [19]), et *de S. Babyla, contra Julianum et Gentiles* [20]), Nemesii Emeseni *Liber de natura hominis* [21]), et Zachariae, Mitylenensis Episcopi, *De mundi opificio, contra Philosophos disputatio* [22]). Porro ex latinis Patribus: Tertullianus, *Apologeticus adversus Gentes* [23]), *Ad na-*

1) Ib. p. 254—293.
2) Ib. p. 294—334.
3) Ib. p. 359—428.
4) Ib. p. 429—435.
5) Gallandii *Biblioth. vv. PP.* T. 2. p. 451—454.
6) Opp. ed. c. T. 1. p. 1—95.
7) Opp. ed. c. T. 310—799.
8) Ed. Fr. Viger. Par. 1628.
9) *Demonstr. Evang. etc.* ed. R. M. Par. 1628. p. 511—545.
10) Opp. ed. c. T. 1. P. 1. p. 1—47.
11) *Or.* 3. *et* 4. Opp. ed. c. T. 1. c. 45—121.
12) Opp. ed. c. T. 4. p. 319—459.
13) Ib. p. 461—679.
14) Opp. ed. c. T. 6. Sect. 2. p. 5—362.
15) Opp. ed. c. T. 1. p. 1—88.
16) Opp. ed. Par. 1638. T. 1. p. 44—138.
17) Ib. T. 2. p. 62—81.
18) Ib. p. 82—89.
19) Opp. ed. c. T. 2. p. 244—276.
20) Ib. p. 529—577.
21) Galland. *Biblioth. PP.* T. 7. p. 253—425.
22) Ib. T. 11. p. 266—293.
23) Opp. ed. c. V. 1. p. 20—79.

tiones libri duo [1]), *De testimonio animae* [2]), et *Ad Scapulam*[3]); Minucius Felix, *Octavius* [4]), Cyprianus, *De idolorum vanitate* [5]), et *Ad Demetrianum* [6]); Arnobius, *Adversus Gentes libri VII* [7]), Lactantius, *Divinarum institutionum libri VII* [8]), *Epitome institutionum divinarum* [9]), *Liber de opificio Dei* [10]), *Liber de ira Dei* [11]), et *Liber de mortibus persecutorum*[12]); Prudentius Clemens, *Libri II adversus Symmachum* [13]); Julius Firmicus Maternus, *De errore profanarum religionum* [14]); Paulus Orosius, *Historiarum libri VII* [15]); atque Augustinus, *Libri III contra Academicos* [16]), *De vita beata* [17]), *Libri II de ordine* [18]), *Sex quaestiones contra Paganos expositae* [19]), et *De civitate Dei libri XXII* [20]). — Adversus Judaeos vero, quorum scripta conservata et typis impressa exstant, scripserunt: Justinus M., *Dialogus cum Tryphone Judaeo* [21]); Tertullianus, *Adversus Judaeos* [22]); Hippolytus, *Demonstratio adversus Judaeos* [23]); Cyprianus, *Testimoniorum libri III adversus Judaeos* [24]); Eusebius Caesar., *Demonstrationis Evangelicae libri XX*, quorum tamen tantum X superstites sunt [25]); Gregorius Nyss., *Ex vet. Testamento delecta testimonia cum adjecta quadam explica-*

1) Ib. p. 81—120.
2) Ib. p. 121—127.
3) Ib. p. 128—132.
4) Galland. *Biblioth. PP.* T. 2. p. 377—408.
5) Opp. ed. c. V. 2. p. 105—112.
6) Ib. p. 88—104.
7) Ed. c. p. 1—268.
8) Opp. ed. c. T. 1. p. 1—591.
9) Ib. T. 2. p. 1—69.
10) Ib. p. 71—125.
11) Ib. p. 127—179.
12) Ib. p. 180—250.
13) Galland. *Biblioth. vv. PP.* T. 8.
14) Arnobii *Adv. Gent.* ed. c. p. 269—322.
15) In Galland. *Biblioth. PP.* T. 9. p. 63—156.
16) Opp. ed. c. T. 1. c. 245—296.
17) Ib. c. 297—312.
18) Ib. c. 313—352.
19) Ib. T. 2. c. 273—287.
20) Ib. T. 7.
21) Opp. p. 103—245.
22) Opp. V. 1. p. 264—298.
23) Gallandii *Biblioth. vv. PP.* T. 2. p. 448—450.
24) Opp. V. 2. p. 200—296.
25) Ed. Fr. Viger. Par. 1628.

tione adversus Judaeos de S. Trinitate [1]; **Basilius Seleuciensis**, *Demonstratio adversus Judaeos de adventu Christi* [2]; **Joan. Chrysostomus**, *Adversus Judaeos et Gentiles demonstratio, quod Christus sit Deus* [3], et *Orationes VIII adversus Judaeos* [4]; **Augustinus**, *Tractatus adversus Judaeos* [5]; **Gergentius**, seu, ut alii judicant, **Palladius Alexandrinus**, *Disputatio cum Herbano Judaeo* [6]; **Anastasius**, Abbas Palaestinensis, *Adversus Judaeos disputationes V* [7]; **Julianus Poletanus**, *Contra Judaeos libri III* [8].

Gentilibus et Judaeis in impugnando genuino dogmate Christiano se statim saeculo primo adjunxerunt **Gnostici**, haereticorum primi surculi, licet et ipsi magis ad externos, quam internos Christiani nominis hostes pertineant; nam dogmata sua ex Orientali philosophia pleraque hauserunt, quibus tantum speciem quamdam dogmatum Christianorum praetenderunt, ideam Redemtionis systemati suo adcommodantes. Haeretici autem hi, qui, se solos scientiam, *γνῶσιν*, rerum divinarum habere, jactitabant, inde etiam Gnostici adpellati, substituerunt mysterio SS. Trinitatis et creationis naturarum invisibilium seu Angelorum emanationem aeonum e Numine quodam incomprehensibili, mundum visibilem e materia aeterna formatum esse, contendebant, atque ejus creationem, vel potius formationem non uni vero Deo, sed aeoni cuidam seu Demiurgo tribuebant, et ideo, quoniam de materia male sentiebant, matrimonium spernebant, ac resurrectionem corporum negabant. Quoad personam Christi alii Jesum pro mero homine habuerunt, cui se unus aeonum inde a baptismo usque ad passionem junxisset, alii vero, aeonem ipsum esse, censebant, qui ad speciem tantum humanam naturam induerit. Quapropter Patres, qui tempore Gnosticorum dogmata Ecclesiae depravantium vixerunt, praecipue ad id adnituntur, ut ostendant, verum ac proprium principium religionis Christianae doctrinam seu praedicationem Ecclesiae esse, utpote quae sit prae-

---

[1] Opp. ed. Par. 1638. T. 2. p. 151—162. Item **Galland.** *Biblioth. vv. PP.* T. 6. p. 578 ss.

[2] *Biblioth. max. PP.* Lugdun. T. 8. p. 495—498.

[3] Opp. T. 1. p. 557—583.

[4] Ib. p. 583—688.

[5] Opp. T. 8. c. 29—40.

[6] *Biblioth. max. PP.* Lugdun. T. 6. p. 1014—1040.

[7] **Ang. Maji** *Coll. nov. vet. Script.* V. 7. P. 1. p. 207—244.

[8] *Biblioth. max. PP.* Lugdun. T. 12. p. 614—630.

destinata columna et firmamentum veritatis, atque unum supremum Deum esse Creatorem mundi visibilis et invisibilis, absque ullo mediatore Demiurgo sive Angelo, honestas esse nuptias, darique resurrectionem mortuorum, atque unum esse eundemque Jesum Christum, indivisum et inseparabilem, unigenitum Dei Filium, qui vere, non specie tantum homo factus, passus ac mortuus sit pro salute nostra, et ideo verum Deum et verum hominem ac Salvatorem generis humani exsistere. In certamen adversus Gnosticos descenderunt praeter Patres Apostolicos Irenaeus, *Contra haereses libri V* [1]; Epiphanius, *Panarium, sive adversus LXXX haereses* [2]; Tertullianus, *De praescriptione haereticorum* [3]; Augustinus, *Liber de haeresibus ad Quodvultdeum* [4]; Theodoretus, *Haereticarum fabularum libri V* [5]; atque Clemens Alex., Origenes, Cyrillus Hieros. in suis libris. Qui contra haereticos generatim scripserunt. Porro qui singulares hujus generis commentationes elucubrarunt: Agrippa Castor, *Excerpta ex confutatione adv. Basilidem* [6]; Tertullianus, *Adversus Hermogenem* [7], *Adversus Valentianos* [8], *Scorpiace* [9], *De Carne Christi* [10], *De resurrectione carnis* [11], et *Adversus Marcionem* [12]; Augustinus, *Contra adversarium Legis et Prophetarum libri II* [13], et *Ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas* [14]; Orosius, *Commonitorium de errore Priscillianistarum et Origenistarum* [15]; Leo M., *Epist. ad Turibium* [16]; Turibius, *Epist. de secta Priscillianistarum ad Idacium et Caponium* [17]; atque auctor *Tractatus de S. Tri-*

1) Ed. c. p. 1 ss.
2) Opp. ed. c. T. 1.
3) Opp. V. 1. p. 299—333.
4) Opp. T. 8. c. 1—28.
5) Opp. T. 4. p. 187—318.
6) Galland. *Biblioth. vv. PP.* T. 1. p. 330.
7) Opp. V. 1. p. 349—381.
8) Ib. p. 382—402.
9) Ib. p. 403—427.
10) V. 2. p. 43—72.
11) Ib. p. 73—145.
12) Ib. p. 146—402.
13) Opp. T. 8. c. 549—606.
14) Ib. p. 611—620.
15) Ib c. 507.
16) *Epist. 15.* Opp. ed. c. p. 226—282.
17) Ib. p. 134—235.

nitate, seu in Symbolum Apostolicum, olim Ambrosio adscripti [1]).

Ex Orientali philosophia, quae Gnosticismo originem dedit, sine dubio natus quoque est saeculo tertio Manichaeismus, qui cum illo eatenus convenit, quatenus pariter dualismum, principium videlicet bonum et malum statuit, de materia aeque male sentit, atque, Christum haudquaquam ejusdem numero substantiae cum Patre, sed eo longe inferiorem esse, contendit, qui figuram tantum humani corporis prae se tulerit, actusque humanos specie tantum peregerit, et nec incarnatum, nec vere passum et mortuum esse, sed ad speciem tantum cruci se affigi permisisse, ut carnem crucifigendam seu mortificandam esse homines doceret. Contra hanc famosissimam, et late diuque propagatam haeresin multa prodierunt SS. Patrum scripta, e quibus aetatem tulerunt: Archelai *Acta disputationis cum Manete*, a. **277**. in urbe Caschar Mesopotamiae habitae [2]); Alexandri Lycopolitani *Adversus Manichaeorum placita* [3]); Serapionis Thmuensis *Liber adv. Manichaeos* [4]); Titi Bostrensis *Contra Manichaeos libri IV* [5]); Didymi Alex. *Liber adv. Manichaeos* [6]); Gregorii Nyss. *Contra Manichaeos syllogismi decem* [7]); Epiphanii *Haeresis LXVI, quae est Manichaeorum* [8]); Fab. Mar. Victorini *Liber ad Justinum Manichaeum*, et *Contra duo principia Manichaeorum et de vera carne Christi* [9]); Augustini *De libero arbitrio libri III* [10]), *De Genesi contra Manichaeos* [11]), *De moribus Ecclesiae Catholicae et Manichaeorum libri II* [12]), *De vera religione* [13]), *Liber de utilitate credendi* [14]), *De duabus animabus contra Mani-*

[1]) Opp. Ambros. Append. c. 310—344.
[2]) Opp. Hippolyti, ed Fabric. T. 2. p. 142 ss. Et Galland. *Biblioth. vr. PP.* T. 3. p. 569—610.
[3]) Fr. Combefis. *Biblioth. graece. PP. Auct. noviss.* T. 2. p. 3 ss.
[4]) Henr. Canis. *Lectt. antiqq.* ed. Basnage. T. 1. p. 35—56.
[5]) Ib. T. 1. p. 156—163.
[6]) Ib. T. 1. p. 197—217.
[7]) Opp. ed. Par. 1638. T. 3. p. 180.
[8]) Opp. T. 1. p. 617—709.
[9] Galland. *Biblioth. PP.* T. 8. p. 133—137.
[10]) Opp. T. 1. c. 563—642.
[11]) Ib. c. 643—684.
[12]) Ib. c. 684—744.
[13]) Ib. c. 744—788.
[14]) T. 8. c. 45—70.

chaeos [1]), *Acta contra Fortunatum Manichaeum*, seu disputatio contra eundem a. 392. Hippone habita [2]), *Liber contra Adimantum Manichaei discipulum* [3]), *Liber contra epistolam Manichaei, quam vocant Fundamenti* [4]), *Contra Faustum Manichaeum libri XXXIII* [5]), *Libri II de actis cum Felice Manichaeo* [6]), *De natura boni adv. Manichaeos* [7]), denique *Liber contra epistolam Secundini Manichaei* [8]); Evodii *Liber de fide contra Manichaeos* [9]); Zachariae Mitylen. *Disputatio adv. Manichaeos* [10]); Joan. Damasceni *Dialogus contra Manichaeos*, recentiores scilicet, seu Paulicianos [11]), qui nempe, sub finem saeculi VII. oborti, propter errores suos Manichaeis affines recentiores Manichaei vulgo adpellantur; Photii *Adversus Paulianistas, seu recentiores Manichaeos libri IV* [12]); Petri Siculi *Historia de vana et stolida Manichaeorum haeresi* [13]); et Joan. Ozniensis *Oratio contra Paulicianos* [14]).

Quemadmodum Gnosticorum et Manichaeorum haereses ex philosophia Orientali pullularunt, ita ex sinistra Judaismi intelligentia alius funestus error, Antitrinitariorum videlicet ortus est. Ad Antitrinitarios sive Unitarios pertinent: Praxeas, Noëtus, Sabellius et Paulus Samosatenus, porro Theodotus et Artemon. Qui omnes in eo conveniebant, ut, sublata trinitate personarum in divina substantia, unicam tantum personam in Deo assererent; quoad Christum autem a se invicem discedebant, ita ut alii statuerent, eumdem illum unum Deum, qui alias ut Pater operatur, humanam in Jesu Christo naturam sibi adsociasse, natum, passum et mortuum esse, unde etiam Patripassiani, alias Monarchiani dicti sunt, alii vero sub Filio et Spiritu S. virtutes quasdam ex Deo Patre profectas intelligerent, qua-

[1]) Ib. c. 71—92.
[2]) Ib. c. 92—108.
[3]) Ib. c. 109—150.
[4]) Ib. c. 150—182.
[5]) Ib. c. 182—470.
[6]) Ib. c. 470—500.
[7]) Ib. c. 500—518.
[8]) Ib. c. 519—548.
[9]) Augustin. Opp. T. 8. Append. c. 25—36.
[10]) Galland. *Biblioth. PP.* T. 11. p. 293.
[11]) Opp. ed. c. T. 1. p. 429—465.
[12]) Wolf. *Anecdott. graec.* Hamb. 1722—24. T. 1. p. 1 ss.
[13]) *Biblioth. max. PP.* Lugd. T. 16. p. 754—764.
[14]) Opp. ed. J. B. Aucher. Venet. 1834.

rum altera cum Jesu mero homine juncta Redemtionis mysteria operata sit, altera nos illustret ac sanctificet, alii tandem blasphemarent, Jesum Christum merum hominem fuisse, attamen supernaturali modo conceptum, virum sanctum ac sapientem, ipsisque Prophetis praestantiorem. Contra hos errores plures Scriptores ecclesiastici surrexerunt, dogmaque Catholicum de tribus in divina substantia personis, atque de Christo Jesu vero Dei Filio, et quidem non tantum ex fontibus revelationis divinae, sed et rationibus internis, seu speculative, ut ajunt, contra adversarios demonstrarunt.

Quorum scripta, huc spectantia, sunt: Caji, Rom. Presbyteri, *Parvus Labyrinthus*, adversus Artemonem, cujus tamen libelli nonnisi fragmenta supersunt [1]; Malchionis, Antiocheni Presbyteri, *Disputationes cum Paulo Samosateno*, et *Epistolae Synodicae* fragmenta, ab Eusebio et Leontio Byzantino nobis servata [2]; Tertulliani *Adversus Praxeam* [3]; Hippolyti *Tractatus contra haeresin Noëti*, et *Contra Beronem et Heliconem* [4]; Novatiani *De Trinitate* [5]; Dionysii Alex. *Adversus Sabellium* [6]; Dionysii, Rom. Pontificis, *Epistola encyclica adversus Sabellianos*, ad Ecclesias Aegyptiacas data [7]; Eusebii Caesareensis *Adv. Marcellum libri II*, *De ecclesiastica Theologia libri III* [8], et *Libri II adv. Sabellium* [9]; Basilii *Homilia 24. contra Sabellianos, et Arium, et Anomoeos* [10], atque *Epistola 210.* ad Primores Neocaesareae exarata [11]; auctoris incerti *Liber contra Sabellii gregales* [12]; et Gregorii Nyss. *Sermo adv. Arium et Sabellium* [13].

Cum haeresis Antitrinitariorum nondum esset exstincta, alia initio saeculi IV., et quidem ex ea ipsa manavit omnium hucusque formidolosissima, Ario auctore. Qui impio ore ajebat, Dei

[1]) Galland. *Biblioth. vv. PP.* T. 2. p. 204—207.
[2]) Ib. T. 3. p. 558—562.
[3]) Opp. V. 2. p. 403—442.
[4]) Galland. *Biblioth. vv. PP.* T. 2. p. 454—473.
[5]) Ib. T. 3. p. 278—314.
[6]) Ib. p. 494 s.
[7]) Ib. p. 538—540. Mansi *Coll. Conc.* T. 1. c. 1011—1016.
[8]) *Demonstr. Evang. Sect.* 2. p. 1—195.
[9]) *Biblioth. max.* PP. Lugdun. T. 4. p. 2—9.
[10]) Opp. T. 2. p. 189—197.
[11]) T. 3. p. 313—318.
[12]) Inter opp. Athanas. T. 2. p. 37—48.
[13]) In Ang. Majl *Coll. nov. vv. Scriptt.* V. 8. P. 2. p. 1—9.

Verbum non semper fuisse, sed ex nihilo factum esse ac creatum, non aeternum, neque ejusdem cum Patre substantiae. Similia his de Spiritu S. statuebant Macedoniani deinde, ex Arianis procedentes. Primus, qui novae haeresi sese opposuit erat Alexander Alexandrinus, utpote qui vi muneris sui Arium, quem ad resipiscendum frustra admonuerat, anathemate perculit, deposuitque, atque reliquos Episcopos ea de re litteris encyclicis certiores fecit. Exstant ejus hodiedum adhuc nonnullae *Epistolae de Ariana haeresi, deque Arii depositione* [1]). Acerrimus autem veritatis Catholicae vindex exstitit Athanasius M., cujus opera huc pertinentia haec sunt: *Epistola ad Monachos* [2]), *Historia Arianorum* [3]), *Condemnatio Arii* [4]), *In illud: Omnia mihi tradita sunt* [5]), *Orationes IV contra Arianos* [6]), *Epistola encyclica* [7]), *Apologia contra Arianos* [8]), *Epistola de decretis Nicaenae Synodi* [9]), *Epistola de sententia Dionysii* [10]), *Epistola ad Serapionem de morte Arii* [11]), *Epistolae quatuor ad eumdem* [12]), quarum prima, tertia et quarta Spiritus S., secunda vero Filii divinitatem defendit, *Epistola de Synodis Arimini et Seleuciae* [13]), *De Incarnatione, et contra Arianos* [14]), *Epistola ad Adelphium* [15]), *Epistola ad Maximum Philosophum* [16]), et alia [17]). Athanasium secutus Basilius, a quo conscriptae sunt *Rationes syllogisticae contra Arianos* [18]), *Antirrheticus adversus impium Eunomium* [19]), et *Liber ad Amphilochium de Spiritu S. Deo* [20]).

[1]) Galland *Biblioth. PP.* T. 4. p. 441—456.
[2]) Opp. T. 1. P. 1. p. 343 s.
[3]) Ib. p. 345—402.
[4]) Ib. p. 396—402.
[5]) Ib. p. 103—108.
[6]) Ib. p. 403—645.
[7]) Ib. p. 110—118.
[8]) Ib. p. 118—205.
[9]) Ib. p. 206—242.
[10]) Ib. p. 242—262.
[11]) Ib. p. 340—342.
[12]) T. 1. P. 2. p. 645—714.
[13]) Ib p. 714—769.
[14]) Ib. p. 870—890.
[15]) Ib. p. 910—917.
[16]) Ib. p. 917—920.
[17]) Ib.
[18]) Canis. *Lectt. antiqq.* ed. Basnage. T. 1. p. 169 ss.
[19]) Opp. T. 1. p. 205—323.
[20]) Ib. T. 3. p. 1—68.

Qui Amphilochius ipse in certamen cum hostibus his veritatis divinae descendit, et quamvis liber illius *De Spiritu S. Deo* perierit, ab interitu tamen vindicata est ejusdem *Epistola synodica*, in qua divinitatem Spiritus S. demonstrat. Et quum interim ad Antirrheticum Basilii impugnandum Eunomius haeresiarcha apologiae suae iterum apologiam scripsisset, Basilius autem tunc jam supremam diem obiisset: refutationem suscepit Gregorius Nyss. conscribens *Orationes seu libros XII. antirrheticos adv. Eunomium* [1]). Ab eodem exstat quoque *Sermo de Spiritu S. adv. Macedonianos pneumatomachos* [2]). His accesserunt: Gregorius Naz., *Orationes de Theologia V* [4]), opus tanta ab omnibus admiratione exceptum, ut inde sanctus auctor nomen Theologi promeritus sit, *Oratio in laudem Martyrum* [5]), *Tractatus de fide* [6]), et *Tractatus de fide Nicaena* [7]); Epiphanius, *Ancoratus* [8]); Joan. Crysostomus, *De Incomprehensibili adv. Anomoeos homiliae VI* [9]), item *Hom. 7—12. contra Anomoeos* [10]); et Cyrillus Alex., *Thesaurus* [11]), *Dialogi VII de sancta et consubstantiali Trinitate*, cum compendio dialogi septimi *De Spiritu S.* [12]), Dialogus octavus *De Incarnatione Unigeniti* [13]). — E latinis Patribus doctrinam Catholicam contra Arianos et Macedonianos defenderunt: Hilarius Pictaviensis,) e cujus scriptis huc pertinent: *De Trinitate libri XII* [14]), *Liber de Synodis, seu de fide Orientalium* [15]), *Ad Constantium Augustum libri II* [16]), *Liber contra Constantium Imperatorem* [17]), et *Liber contra Arianos vel Auxentium Mediolanensem* [18]); C. Mar. Victorinus, *Adv. Arium libri*

1) Opp. ed. Par. 1638. T. 2. p. 284—864.
2) Ang. Maji *Scriptt. vv. nov. Collect.* V. 8. P. 2. p. 10—25.
3) Opp. T. 1. c. 467—543.
4) Ib. c. 645—648.
5) Ib. c. 652—666.
6) Ib. c. 667—668.
7) Opp. T. 2. p. 1—125.
8) Opp. T. 1. p. 443—501.
9) Ib. p. 501—557.
10) Opp. T. 5. P. 1. p. 1—381.
11) Ib. p. 383—677.
12) Ib. p. 678—713.
13) Opp. ed. c. T. 2. c. 1—444.
14) Ib. c. 445—520.
15) Ib. c. 531—550.
16) Ib. c. 553—586.
17) Ib. c. 587—602.

IV [1]), *De ὁμουσίῳ recipiendo* [2]), *De generatione divina* [3]); **Eusebius Vercellensis**, *Epist. ad Presbyteros et plebem Vercellensem*, cui additus est *Libellus facti*, seu protestatio contra violentas Patrophili, cujusdam Arianorum Episcopi, injurias [4]); **Luciferus Caralitanus**, *Ad Constantium Imperatorem pro S. Athanasio libb. II* [5]), et *Moriendum pro Filio Dei* [6]); **Faustinus**, *De Trinitate, seu de fide contra Arianos* [7]); **Ambrosius**, *De fide libb. V ad Gratianum Augustum* [8]), *De Spiritu S. libb. III ad eumdem* [9]), *De Incarnationis Domin. Sacramento* [10]), et *De fide orthodoxa contra Arianos, seu de Filii divinitate et consubstantialitate tractatus* [11]), quem tamen alii **Gregorio Nazianzeno**, alii **Vigilio**, alii **Gregorio Eliberitano** tribuunt; **Hieronymus**, *Epistolae ad Damasum P.*, et *Marcum Presbyterum*, scilicet *XV. XVI. et XVII.* [12]); **Augustinus** *Contra sermonem Arianorum* [13]), *Collatio cum Maximino Arianorum Episcopo, librique duo contra eumdem* [14]), et quodammodo *De Trinitate libb. XV* [15]); **Paschasius**, *De Spiritu S. contra Macedonium libb. II* [16]); **Vigilius Tapsensis**, *Contra Arium Dialogus* [17]), *Contra Arium, Sabellium et Photinum libri III* [18]), *De Trinitate, seu de unita Trinitate deitatis ll. XII* [19]), et *Adversus Varimadum seu Maribadum*, Diaconum et amicum Hunerici, Regis Vandalorum, quem librum tamen alii **Idacio Claro** adscribunt [20]); **Cerealis**, *Adversus Maximi-*

1) **Galland.** *Biblioth. PP.* T. 8. p. 152—197.
2) Ib. p. 198 s.
3) Ib. p. 140—150.
4) Ib. T. 5. p. 78—80.
5) Ib. T. 6. p. 155—198.
6) Ib. p. 245—256.
7) **Galland.** *Biblioth. PP.* T. 7. p. 441—459.
8) Opp. ed. c. T. 2. c. 439—596.
9) Ib. c. 596—700.
10) Ib. c. 700—730.
11) Append. Opp. **Ambros.** c. 343—358.
12) Opp. ed. c. T. 1. c. 38—45.
13) Opp. T. 8. c. 621—648.
14) Ib. c. 649—744.
15) Ib. c. 745—1004.
16) *Biblioth. max.* Lugdun. T. 8. p. 807—818.
17) Ib. T. 8. p. 743—752.
18) Ib. p. 753—773.
19) Ib. p. 773—806.
20) Ib. T. 5. p. 726—751.

num [1]); **Avitus**, *Collatio Episcoporum coram Rege Gundebaldo adversus Arianos* [2]); **Fulgentius Ruspensis**, *Contra Arianos* [3]), *Libri III ad Trasimundum Regem* [4]), et *Liber Contra sermonem Fastidiosi Ariani, ad Victorem* [5]).

Quum divina **Jesu Christi** natura per definitionem solennem Ecclesiae esset stabilita: scientia, quae inflat, charitate aedificante destituta novos de ejus humanitate excogitavit errores. **Apollinaris** videlicet, Laodicenae Ecclesiae Presbyter et postea Episcopus, duplicem animam cum Platonicis sentientem et rationalem docens, Christo illam tantum adjudicavit, hujus locum ipsam ejus divinitatem obtinuisse contendens, idque ideo, quod anima rationalis mutationi, errori et peccato obnoxia sit, atque quod perfectus Deus et perfectus homo unicam personam constituere non possint. Quod pariter **Nestorius**, Patriarcha Constantinopolitanus, probavit; verumtamen quum sententiam sustineri a Patribus et Ecclesia, Christum perfectum Deum et perfectum hominem esse, videret: duplicem in ipso personam, alteram divinam, humanam alteram assumsit, ita ut Christus Jesus ut homo minime verus ac proprius Dei Filius, neque B. V. Maria *θεοτόκος* sit. Quem errorem ut evitaret, in oppositum lapsus est **Eutyches**, non tantum unam in Christo personam, sed et unam naturam, ex divinitate et humanitate confusam, propugnans. Ex qua Monophysitarum haeresi alia Monotheletarum processit, quae sententiam de una natura in Christo damnatam defendere non ausa, unam saltem in ipso naturalem voluntatem et operationem statuebat. Attamen etiam contra hosce haereticos genuina doctrina multos nacta est defensores, qui ex SS. Litteris et Traditione, nec non ex Redemtionis necessitate probarunt, eumdem Christum verum Deum esse et hominem verum, ita ut in ipso utraque natura, divina et humana, in una eademque hypostasi divina conjuncta sit, indivise et inseparabiliter, ast simul inconfuse ac impermixte, salva utriusque naturae proprietate, atque hinc divina et humana natura licet ejusdem personae divinae, Dei Filii scilicet propria sit, naturalem suam *βούλησιν* et *ἐνέργειαν* retineat. Contra **Apollinaristas** Catholicam veritatem

1) *Biblioth. max. PP.* Lugdun. T. 8. p. 671—675.
2) **Galland.** *Biblioth. PP.* T. 10. p. 794—796.
3) Opp. ed. c. p. 51—68.
4) Ib. p. 69—143.
5) Ib. p. 340—359.

tuitus est **Athanasius** in ***Epistola ad Epictetum*** [1], et ***Libb. II contra Apollinarium*** [2]; **Gregorius Naz.** in ***Duabus oratt. seu Epist. ad Calidonium Presbyterum*** [3]; **Gregorius Nyss.** in *Antirrhetico Contra Apollinarem* [4], et *Epist. ad Theophilum adv. Apollinarium* [5]; Joan. Chrysostomus, vel potius incertus auctor in *Epist. ad Caesarium Monachum* [6]; Damasus in *Epist. ad Paulinum Antiochenum* [7], et altera *Epist. synodica contra Apollinarium et Thimotheum* [8]; atque Leontius Byzantinus in tractatu *Adversus eos, qui proferunt quaedam Apollinarii* [9].— Contra Nestorianos et Eutychianos scripserunt: Cyrillus Alexandrinus, inter graecos Scriptores in causa Nestoriana sine dubio princeps, a quo exstant: *Adversus Nestorii blasphemias contradictionum libb. V* [10], *Explicatio duodecim capitum* [11], *Liber de Trinitate Dialogus* (nonus), *quod unus sit Christus* [12], *Scholia de Unigeniti Incarnatione* [13], *De Incarnatione Verbi Dei Filii Patris* [14], *Apologeticus pro duodecim capitibus, adv. orientales Episcopos* [15], *Apologeticus adv. Theodoretum* [16], et alius *Apologeticus ad Theodosium Imperatorem* [17]; Theodotus Ancyranus, *Homilia contra Nestorium* [18], et *Liber adv. eumdem, seu expositio Symboli trecentorum octodecim Patrum Conc. Nicaeni* [19]; Proclus, *Laudatio in S. Dei Genitricem Mariam* [20], *De Incarnatione Domini nostri Jesu Christi* [21], et

1) Opp. T. 1. P. 2. p. 900—910.
2) Ib. p. 920—955.
3) Opp. T. 1. c. 669—680.
4) Opp. Par. 1638. T. 2. p. 47 s.
5) Ib. T. 3. p. 261—266.
6) Opp. J. Chrysostom. T. 3. p. 736—749.
7) Mansi, *Coll. Conc.* T. 3. c. 425 s. et Galland. *Bibl. PP.* T. 6. p. 325—327.
8) Ib p. 337.
9) *Biblioth. max. PP.* Lugdun. T. 9. p. 707—713.
10) Opp. T. 6. Sect. 1. p. 1—143.
11) Ib. p. 145—157. Mansi, *Coll. Conc.* T. 5. c. 1—19.
12) Ib. T. 5. P. 1. p. 714—778.
13) Ib. p. 779—800. Mansi, *Coll. Conc.* Ib. c. 141—168.
14) Ib. p. 801—804. Mansi, *Coll. Conc.* Ib. 169—176.
15) Ib. T. 6. p. 157—200. Mansi, *Coll. Conc.* T. 5. c. 19—82.
16) Ib. p. 200—240. Mansi, *Coll. Conc.* Ib. c. 82—140.
17) Ib p. 241—252. Mansi, *Coll. Conc.* Ib. c. 225—255.
18) Galland. *Bibl. PP.* T. 6. p. 456—458. Mansi, *Coll. Conc.* Ib. c. 221—225.
19) Ib. p. 425—439.
20) Ib. p. 614—619. 629—646.
21) Ib. p. 619—626.

Epist. de fide [1]; Theodoretus, *Eranistes, seu Polymorphus* [2], *Fabularum haereticarum l. 4. c. 12—13.* [3]; Joannes Maxentius Scythopolitanus, *Contra Nestorianos capitula*, et *Dialogi contra Nestorium* [4]; Euphraemus Alexandrinus, *Adversus Monophysitas*, opus deperditum, cujus tantum fragmenta a Photio sunt asservata [5]; Justinus Siculus, *Expositio rectae confessionis* [6]; Leontius Byzantinus, *Contra Nestorium et Eutychen libri III* [7], et *Dubitationes hypotheticae et definientes adv. Eutychianos* [8]; Anastasius Sinaita, *Ὁδηγός*, i. e. *dux viae adversus Acephalos* [9]; Eulogius Alexandrinus, *Capita VII de duabus naturis Domini Deique Salvatoris nostri Jesu Christi* [10]; Theodorus Abucara, *De unione et Incarnatione* [11]; atque Joannes Damascenus, *Contra Jacobitas* [12], *Institutio elementaris, Dissertatio de natura composita contra Acephalos, De duabus in Christo voluntatibus et operationibus, deque naturalibus reliquis proprietatibus*, et *Adversus exosam Deo Nestorianorum haeresin* [13]. E Latinis: Leporius, *Libellus emendationis, seu satisfactionis ad Episcopos Galliae* [14]; Joan. Cassianus, *De Incarnatione Christi libri VII contra Nestorium* [15]; Marius Mercator, *Refutatio Symboli Theodori Mopsuesteni* [16], *Comparatio dogmatum Pauli Samosateni et Nestorii* [17], item *Contradictiones adv. anathematismos Nestorii* [18]; Capreolus, Episcopus Carthaginensis, *De una Christi Dei et hominis persona, contra Nestorium* [19]; Petrus

1) Ib. p. 684—691.
2) Opp. ed. c. T. 4. p. 1—175.
3) Ib. p. 244—247.
4) *Biblioth. max. PP.* Lugdun. T. 9. p. 537. 546—549.
5) Photii *Bibl. Cod. 228 et 229.*
6) Opp. Justin. M. Append. P. 1. p. 447—465.
7) *Biblioth. max. PP.* Lugdun. T. 9. p. 674—706.
8) Ib. p. 721—724.
9) Ib. p. 808—857.
10) Galland. *Biblioth. PP.* T. 12. p. 310.
11) Ib. T. 13. p. 286—289.
12) Opp. T. 1. p. 396—427.
13) Ib. p. 515—571.
14) Galland. *Biblioth. PP.* T. 9. p. 396—399.
15) Opp. p. 959—1130.
16) Galland. *Biblioth. PP.* T. 8. p. 625—628.
17) Ib. p. 628.
18) Ib. p. 651—658.
19) Galland. *Biblioth. PP.* T. 9. p. 490—492.

Chrysologus, *Epist. ad Eutychetem Archimandritam* [1]; Prosper Aquit., *Epitaphium Nestorianae et Pelagianae haereseos* [2]; Leo M., *Epistola ad Flavianum* [3], et *Epist. ad Leonem Augustum* [4], praeter alias plurimas; Felix III. P. *Epistolae duae ad Petrum Fullonem*, praeter alias, item *Tractatus*, in quo, quae pro Acacio afferebantur, refellit [5]; Faustus Rhegiensis, *Epist. ad Gratium Diaconum* [6]; Gelasius P., *De duabus in Christo naturis adversus Eutychen et Nestorium* [7]; Vigilius Tapsensis, *Contra Eutychetem libri V* [8]; Severinus Boëthius, *Adversus Eutychen et Nestorium de duabus naturis et una persona Christi* [9]; Fulgentius Ferandus, *Epist. ad Anatolium, Diaconum Romanum, de duabus in Christo naturis, et quod unus de Trinitate natus passusque dici possit* [10]. — Haeresi Monotheletarum opponuntur: Sophronii, Patriarchae Hierosolymitani, *Epistola de haeresibus adversus Cyrum Alexandrinum et Sergium Constantinopolitanum* [11]; item RR. Pontificum, Joannis IV. et Martini I. *Epistolae* [12]; porro Maximi, Abb. et Confessoris, *Disputatio cum Pyrrho* [13], et *De duabus naturis Domini et Dei Salv. n. J. Chr. capita decem* [14]; Anastasii, in monasterio ad S. Euthymium in Palaestina Abbatis, *Epist. ad Monachos Caralitanos* [15]; Anastasii, Presbyteri et Apocrisiarii Romani, *Epist. ad Theodosium, Presbyterum Gangrensem* [16]; Anastasii, Rom. Eccl. Bibliothecarii, *Collectanea*, i. e. variae epistolae et relationes de Monotheleta-

1) *Biblioth. max. PP.* Lugdun. T. 7. p. 979.
2) Opp. c. 197—200.
3) Mansi, *Coll. Conc.* T. 5. c. 1363—1390.
4) Ib. T. 6. c. 349—370.
5) Ib. T. 7. c. 1037—1094.
6) *Biblioth. max. PP.* Lugd. T. 8. p. 553—555.
7) Ib. p. 699—707.
8) Ib. T. 8. p. 722—743.
9) Opp. ed. Loriti Glareani. Basil. 1570.
10) Opp. ed. Petr. Fr. Chifflet. Divion. 1649. p. 181—206. *Biblioth. max. PP.* Lugdun. T. 9. p. 502—508. Galland. *Biblioth. PP.* T. 11. p. 346—354.
11) Mansi, *Coll. Conc.* T. 11. c. 462—510.
12) Ib. T. 10. c. 682—686. 790—864.
13) Ib. T. 10. c. 709—760.
14) *Biblioth. max. PP.* Lugdun. T. 12. p. 533.
15) Ib. p. 851 s.
16) Ib. p. 858.

rum erroribus congestae [1]; et Joan. Damasceni *De duabus in Christo voluntatibus* [2]. — Contra adoptianismum, qui tamquam surculus haeresis Nestorianorum considerari debet, scripserunt: Beatus et Etherius, *De adoptione Filii Dei adversus Elipandum libri II* [3]; Paulinus, Patriarcha Aquilejensis, *Sacrosyllabus, seu de sanctissima Trinitate adversus Felicem et Elipandum*, et *Libri III contra eumdem Felicem* [4]; Alcuinus, *De Trinitate, Adversus Felicem libri VII*, et *Adversus Elipandum libri IV* [5]; atque Agobardus, Episcopus Lugdunensis, *Adversus dogma Felicis Urgellensis* [6]. — Impiae Joviniani et Helvidii, virginalem dignitatem B. Mariae negantium, opposuit Siricius P. *Epistolam adv. Jovinianum haereticum* [7]; Ambrosius *Epistolam ad Siricium P.*, in qua Joviniani errores recenset et refellit [8], atque Hieronymus *Librum adv. Helvidium* [9], *Libros II adv. Jovinianum* [10], cum *Apologetico ad Pammachium* [11].

Dum adhuc Ariani atque Macedoniani Ecclesiam in Oriente divinitatem Filii et Spiritus S. impugnando perturbabant: in Occidente novus doctrinae Catholicae hostis, caeterum eodem superbiae spiritu ac illi mysteria rationis nostrae limitatae captum transcendentia respuente elatus, Pelagius, Redemtionem, quatenus in nobis perficitur, adgressus est, quum homini nativas liberi arbitrii vires ad finem suum consequendum sufficere adstrueret, atque exsistentiam peccati originalis, et necessitatem omnem gratiae supernaturalis inficiaretur. Magnas turbas et haec haeresis in Ecclesia civit, multosque dogmatis Catholici erroribus illis oppositi defensores excitavit. Inter omnes autem, qui Pelagianam haeresin verbis, scriptisque profligandi provinciam sibi sumserunt, primum locum tenet Augustinus. Pertinet huc ejus *Sermo De verbis Apostoli: Humanus sermo et omni*

1) Galland. *Biblioth. PP.* T. 13. p. 30—90.
2) Opp. T. 1. p. 529—554.
3) Canis. *Lectt. antiqq.* ed. Basnage. T. 2. P. 1. p. 297—375.
4) Opp. ed. c. nott. Madriaii, Venet. 1737.
5) Opp. ed. Frobenii. T. 1. V. 2. p. 757—992.
6) *Biblioth. max. PP.* Lugdun. T. 14. p. 243—254.
7) Galland. *Biblioth. PP.* T. 7. p. 540—542.
8) *Epist. 42.* Opp. T. 2. c. 965—970.
9) Opp. T. 2. c. 205—230.
10) Ib. c. 237—384.
11) Ib. T. 1. c. 211—234.

acceptione dignus, etc. [1]), et *De verbis Evang. Joan.: Nisi manducaveritis carnem, etc.* [2]), inprimis autem *De praesentia Dei liber, seu Epist. 187.* [3]), *De peccatorum meritis et remissione, et de Baptismo Parvulorum ad Marcellinum libri III* [4]), *De spiritu et littera ad Marcellinum* [5]), *De natura et gratia contra Pelagium* [6]), *De perfectione justitiae hominis* [7]), *De gestis Pelagii* [8]), *De gratia Christi et peccato originali libri II* [9]); *De nuptiis et concupiscentia libri II* [10]); *De anima et ejus origine* [11]), *Contra duas epistolas Pelagianorum libri IV* [12]), *Contra Julianum libri VI* [13]), *Operis imperfecti contra secundam Juliani responsionem libri VI* [14]). Praeter haecce supersunt Hieronymi *Epist. 133. ad Ctesiphontem* [15]), et *Dialog. contra Pelagianos* [16]); Orosii *Apologeticus contra Pelagianos de arbitrii libertate* [17]); Marii Mercatoris *Commonitorium super nomine Coelestii, et Commonitorium adv. haeresin Pelagii et Coelestii* [18]); atque Gelasii I. P. *Adversus Pelagianorum haeresin* [19]).

Ex errore Pelagii ortus est error eorum, qui rejecta reliqua haeresiarchae illius doctrina necessitatem gratiae initialis admittere noluerunt, Semipelagiani dicti. Contra hosce in pugnam descendit idem Augustinus, cujus opera huc pertinentia sunt: *De gratia et libero arbitrio ad Valentinum et cum illo Monachos* [20]), *De correptione et gratia* [21]), *De praedestina-*

1) *Serm. 174.* Opp. T. 5. c. 830—835.
2) *Serm. 131.* Ib. c. 640—645.
3) T. 2. c. 678—692.
4) T. 10. c. 1—84.
5) Ib. c. 86—126.
6) Ib. c. 127—164.
7) Ib. c. 167—190.
8) Ib. c. 191—228.
9) Ib. c. 230—276.
10) Ib. c. 279—334.
11) Ib. c. 337—408.
12) Ib. c. 411—494.
13) Ib. c. 497—710.
14) Ib. c. 873—1386.
15) Opp. T. 1. c. 1025—1042.
16) Ib. T. 2. c. 693—806.
17) Opp. ed Havercamp. p. 588. ss.
18) Galland. *Biblioth. PP.* T. 8. p. 613.
19) Mansi, *Coll. Concil.* T. 8. c. 101—120.
20) T. 10. c. 717—748.
21) Ib. c. 749—778.

tione Sanctorum [1]), *De dono perseverantiae* [2]). Porro Hilarius in *Epist. ad Augustinum* [3]); Prosper Aquit. in *Epist. ad Augustinum de reliquiis Pelagianae haeresis in Gallia* [4]), *Epist. ad Ruffinum, de gratia et libero arbitrio* [5]), *Pro Augustino responsiones ad capitula objectionum calumniantium Gallorum* [6]), *Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum pro Augustino* [7]), *Pro Augustino responsiones ad excerpta, quae de Genuensi civitate sunt missa* [8]), et *De gratia et libero arbitrio liber contra Collatorem* [9]); atque Coelestinus P., *Epist. de gratia Christi* [10]). Huc referri quoque possunt Fulgentii Ruspensis *Libri III ad Monimum* [11]), *Libri III ad Joannem et Venerium* [12]), et praesertim *De Incarnatione et gratia Domini nostri Jesu Christi ad Petrum Diaconum aliosque* [13]); Fausti Rhegiensis *Epist. ad Lucidum Presbyterum*, et *De gratia Dei et humanae mentis libero arbitrio libri II* [14]); praeter alia [15]).

Quemadmodum error Nestorianorum Eutychianismum excitaverat, ita per Pelagianismum error Praedestinatianorum evocatus est, quem impugnarunt: Anonymus in libris tribus, qui inscribuntur *Praedestinatus, seu Praedestinatorum haeresis et libri S. Augustino temere adscripti refutatio* [16]); Rabanus Maurus in *Epist. de praedestinatione adv. Gothescalcum* [17]) Hincmarus, Archiepiscopus Rhemensis, in *Libro de Praedestinatione Dei et libero arbitrio* [18]); Pardulus, Laudunensis Episcopus, in *Epist. ad Amolonem*; Amolo, Episcopus Lugdunen-

1) Ib. c. 789—820.
2) Ib. c. 821—858.
3) Ib. c. 779—784.
4) Ib. c. 784—788.
5) Ib. Append. c. 163—170.
6) Ib. c. 198—208.
7) Ib. c. 207—214.
8) Ib. c. 213—222.
9) Ib. c. 171—198. Cf. Prosperi *Carmen de Ingratis*. Ib. 67—69.
10) Ib. c. 131—134.
11) Opp. p. 1—51.
12) *Ep. 15*. Ib. p. 269—276.
13) Ib. p. 286—323.
14) *Biblioth. max. PP.* Lugdun. T. 8. p. 524—545.
15) Cf. Opp. Augustin. T. 10. Append.
16) Galland. *Biblioth. PP.* T. 10. p. 363—399.
17) Opp. T. 2. p. 1289.
18) Opp. ed. Sirmond. Par. 1643.

sis, in *Libro sententt. Augustini de praedestinatione et libero arbitrio,* nec non in *Epist. ad Godeschalcum;* et Joannes Erigena in *Libro de divina praedestinatione contra Godeschalcum,* qui tamen omnino ab erroribus haud est vacuus [1]).

Ad opera illa, in quibus ab antiquis Scriptoribus, quamvis non ejusmodi, quibus nunc utimur, systemata theologica exhibentur, tamen plura dogmata artificiosa quadam methodo exponuntur, seu *Compendia theologiae* pertinent: Origenis *Libri IV de principiis* [2]). In quo opere auctor agit primum de SS. Trinitate, deinde de creatione mundi et ejus gubernatione per Deum unum veteris et novi Testamenti, tum de Incarnatione Jesu Christi et de Spiritu S., qui idem tam in Moyse et Prophetis quam in Apostolis locutus sit; porro de anima, resurrectione, poenis et praemiis aeternis; de libero arbitrio, diabolo adversante, mundo corruptioni obnoxio, ejusque consummatione; postremo de S. Scriptura, ejusque divina auctoritate et legendi ratione. Ex quibus facile cognoscitur, ab Origene nonnisi illic systema valde imperfectum proponi. Insuper auctor genio suo nimium indulgens, dum doctrinam Christianam philosophiae principiis adcommodare studet, pluribus sese irretivit erroribus. Cyrilli Hierosolymitani *Catecheses XVIII ad Illuminandos,* seu Catechumenos [3]), in quibus primum de peccato, deinde de Baptismo disseritur, tum praecipua fidei capita atque omnes articuli Symboli Hierosolymitani exponuntur. Augustini *Enchiridion ad Laurentium, seu de fide, spe et charitate.* Cujus libri in prima et maxima parte Augustinus, quae credenda sint, docet, servato Symboli ordine, ac varias haereses Manichaeorum, Apollinaristarum, Priscillianistarum, Arianorum, praecipueque Pelagianorum, tacito eorum nomine, passim refellit; secundam partem de iis, quae ad spem pertinent, in dominicae orationis expositione quam brevissima impendit; tertiam postremo, nec eam prolixam, de charitate adjungit. Huc quodammodo etiam referri possunt ejusdem *Libri IV de fide Christiana* [4]), licet scopus eorumdem potius exegeticus seu hermeneuticus sit. Ordinem, quo hic S. Pater divinam exponit doctrinam, sequitur deinde

---

[1]) Gilb. Maguin. *Vett. Auct. qui saec. IX. de praedestin. et grat. scripserunt,* Opp. et fragmen. Par. 1650.

[2]) Opp. T. 1. p. 42—195.

[3]) Opp. p. 1—302.

[4]) Opp. T. 3. P. 1. c. 1—92.

Petrus Lombardus in suis Sententiarum libris. **Gennadii** Massiliensis *De ecclesiasticis dogmatibus* [1]), in quo opere dogmata Ecclesiae adversus haereticos stabilita recensentur, nullo tamen nexu colligata, quemadmodum systematis justi efflagitat ratio. **Junilii Africani** *De partibus divinae legis libri duo* [2]), quorum primus de S. Scriptura, alter de doctrina divina agit. Haecce dividitur in doctrinam de Deo, de mundo praesenti, et de mundo futuro. **Fulgentii Ruspensis** *De fide, seu de regula verae fidei* [3]). In quo opere Fulgentius primum tractat doctrinam de SS. Trinitate et Incarnationis mysterio; deinde transit ad creaturas, quas in corpora dispescit et spiritus; tum agit de statu primi hominis et peccato originali, atque de judicio et resurrectione; porro de fide, baptismo, gratia ac praedestinatione; atque tandem de Ecclesia et reprobis, qui aut extra Ecclesiam exsistunt, aut malam vitam ducunt. **Isidori Hispalensis** *Sententiarum, seu De summo bono libri III* [4]). in quorum primo de doctrina fidei, secundo ac tertio de praeceptis moralibus agitur, ita tamen, ut et his permulta de gratia, praedestinatione, peccato originali ex scriptis Augustini, Gregorii M., aliorumque immixta legantur. — In Ecclesia Orientali **Leontii Cyprii** *Loci communes*, anthologia quasi dogmatica e graecis Patribus. Praecipue vero hic commemoranda est **Joannis Damasceni** *ἔκδοσις ἀκριβὴς τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, De fide orthodoxa, seu adcurata fidei Catholicae expositio* [5]). Quod opus praestantissimum sine dubio inter omnia primum systematis nomen meretur, licet in eo doctrina de gratia justificante et Sacramentis frustra quaeratur. Joanni Damasceno, qui saeculo VIII. floruit, Graeci adhaeserunt etiam saeculis sequentibus. Latini autem potius Augustinum sunt secuti, quamvis etiam in Ecclesia Occidentali Joannes Damascenus sectatores nactus sit [6]).

§. 8. Continuatio.

Periodus secunda. Medium aevum, **a saeculo XI. usque ad dimidium saeculi XV.** — Inde a saeculo XI.

[1]) Ib. T. 8. Append. c. 75—80.
[2]) Galland. *Biblioth. PP.* T. 12. p. 79—92.
[3]) Opp. p. 500—533.
[4]) Opp. p. 414—485.
[5]) Opp. T. 1. p. 118—304.
[6]) Cf. Permaneder. *Biblioth. patrist.* Landish. 1841. T. 1. p. 154—157. 242—296.

Theologia dogmatica novam faciem induere coepit. Jam prioribus quidem saeculis in Ecclesia viri exstiterunt, qui philosophiae Aristotelicae studium suum dicarunt. Quapropter saeculo VI. jam **Philoponus** libros Aristotelicos insigni illustravit commentario, et **Boëthius** sermoni latio reddidit. Inde a saeculo VII. autem quum ab Arabibus religio Christiana peripateticis rationibus impugnaretur et in risum verteretur, Theologi Christiani coacti erant, philosophiae illius formulas sibi quoque familiares reddere, iisque uti in disputationibus suis atque scriptis theologicis. Usus tamen, quem usque ad saeculum XI. philosophiae et dialecticae Aristotelicae fecerunt Scriptores Christiani, ad expositionem ac defensionem singularum sententiarum revelatarum restrictus erat; ab hoc autem saeculo ad omnem fidei doctrinam extensus est. Prout enim Patres certa duntaxat fidei mysteria, ab adversariis videlicet impugnata, philosophice explicarunt, ita modo Theologi scholastici id ipsum in expositione omnium dogmatum praestare, simulque ea apte disponere et inter se colligare adlaborarunt, ut systema vere scientificum Theologiae conficerent. Licet autem Scholastici philosophiam cum Theologia conflassent: Theologia tamen ipsis per omnia regina mansit, philosophia vero ancillae munus subibat, utpote cujus placita revelationi, veritati absolutae, prorsus subsint, et quae nonnisi ideo in Theologiae subsidium vocetur, ut haec per illam ad scientiam evehatur. Qrapropter omnes Theologi scholastici, tametsi intelligentiam maximi habeant, imo negligentiae eos accusent, qui postquam in fide confirmati sunt, non studeant, quod credunt, intelligere [1]), tamen ubique fidem pro fundamento philosophicae investigationis ponunt, atque illam ab hac prorsus non pendere affirmant. *Neque enim quaero*, ait **Anselmus**, *intelligere, ut credam; sed credo, ut intelligam* [2]). Et iterum: *Nullus Christianus debet disputare, quomodo, quod Catholica Ecclesia corde credit, et ore confitetur, non sit; sed semper eamdem fidem indubitanter tenendo, amando et secundum illam vivendo, humiliter, quantum potest, quaerere rationem, quomodo sit. Si potest intelligere, Deo gratias agat: si non potest, non immittat cornua ad ventilandum; sed submittat caput ad venerandum. — Palam namque est, quia illi non habent fidei firmitatem, qui, quoniam, quod credunt, in-*

[1]) Cf. **Anselm.** *Cur Deus homo? c.* 2. Opp. p. 75. et **Bernard.** *De consid. l.* 5. *c.* 3. Opp. T. 2. c. 452 s.

[2]) *Proslog. c. 1.* Opp. p. 30. c. 2.

telligere non possunt, disputant contra ejusdem fidei a sanctis Patribus confirmatam veritatem, velut si vespertiliones et noctuae nonnisi in nocte coelum videntes, de meridianis solis radiis disceptent contra aquilas, solem ipsum irreverberato visu intuentes. Prius ergo fide mundandum est cor, — et prius per praeceptorum Domini custodiam illuminandi sunt oculi, — et prius per humilem obedientiam testimoniorum Dei debemus fieri parvuli, ut discamus sapientiam[1]). Potius fidem causam et conditionem scientiae esse adstruunt. *Nimirum hoc ipsum*, inquit idem Anselmus, *quod dico, qui non crediderit, non intelliget. Nam qui non crediderit, non experietur, et qui expertus non fuerit, non intelliget. Nam quantum rei auditum superat experientia, tantum vincit audientis cognitionem experientis scientia: et non solum ad intelligendum altiora prohibetur mens ascendere sine fide et mandatorum Dei obedientia; sed etiam aliquando datus intellectus subtrahitur, et ipsa fides subvertitur, neglecta bona conscientia* [2]). Solummodo pauci inter Scholasticos exstiterunt, qui scientiam fidei praeferentes, omnia, quae credantur, prius ratione discutienda esse, tenerent aut statuerent, et ideo etiam in varios errores lapsi sunt, uti Roscellinus, auctor Nominalismi, seu sententiae, qua adstruebatur notiones universales, uti sunt genus, species, differentia, etc. non res vere exsistentes, sed mera esse nomina, et Abaelardus atque alii.

Quando autem Theologi scholastici docent, scientiam fidei superstruendam esse, eaque nonnisi sustentari: de scientia, quam adpellamus internam seu speculativam, divinorum dogmatum loquuntur; nequaquam autem de scientia externa et historica sentiunt, quae cum fide saltem explicita semper conjuncta esse, eamque praecedere debet; quum potius diserte tradant, cognitiones illas, sine quibus nulla persuasio de divinae revelationis veritate, et eapropter etiam nulla prorsus rationabilis fides Christiana est, tamquam praeambula ad fidem, hancce antecedere, et antecedere debere. *Deum esse*, ait Thomas A., *et alia hujusmodi, quae per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. 1. non sunt articuli fidei* (quamdiu scilicet ceu revalata non spectantur), *sed praeambula ad articulos. Sic enim fides praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, et ut perfectio perfectibile; nihil tamen prohibet illud, quod secundum se*

[1]) *De fid. Trinit.* c. 2. Opp. p. 42.

[2]) Ib.

demonstrabile est, et scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit[1]). Sententia illa, quae statuit, omni cognitioni fidem, seu scientiam immediatam, quae tamen tantummodo sensio quaedam obscura esse potest, praecedere, Scholasticis, uti Patribus, est incognita. Qui hanc opinionem autem unicam vere Catholicam esse contendunt, oppositamque Pantheismi insimulant, viderint, ne ipsi in luto pantheistico haereant, aut patronos fidei cœcae ac irrationabilis agant.

Primus, qui philosophiam Aristotelicam Theologiae jungeret, erat Lanfrancus, Italus Papiensis, ex Abbate Cadomensi Archiepiscopus Cantuariensis, † 1088; parens autem Theologiae scholasticae jure censetur Anselmus, Augustae in Pedemontio natus, Lanfranci discipulus, postea Monachus et Scholasticus Beccensis, atque tandem, postquam Abbas factus fuerat, pariter Archiepiscopus Cantuariensis, vir non minus vitae sanctitate, quam ingenio acerrimo et singulari doctrina celebris, qui non quidem universam fidei doctrinam, ast principales ejus partes philosophice pertractavit. Opera ejus potiora sunt: *Monologium*, in quo Dei exsistentia et attributa, nec non divina Trinitas philosophice demonstratur; *Proslogium*, in quo pro Dei exsistentia unicum argumentum, quod nullo alio indigeat, nimirum sic dictum ontologicum exponitur, cui accedit *Liber contra insipientem*, qui est apologeticus *Proslogii*; *Libri duo contra Gentiles, cur Deus homo?* in quibus rationibus e natura rei deductis ostenditur, Filium Dei propterea hominem fieri debuisse, quia nonnisi hac conditione genus humanum a peccato liberari, Deoque satisfieri potuerit; *De conceptu virginali et de peccato originali liber*, in quo monstratur, cur Adami peccatum omnibus hominibus, infantibus quoque recens natis non exceptis, insit, Christo autem inesse non potuerit; et *Tractatus de concordia praescientiae et praedestinationis, nec non gratiae Dei cum libero arbitrio*[2]). Post Anselmum scripserunt Hildebertus, Episcopus Cenomanensis, postea Turonensis, qui *Tractatus theologicos* composuit, et Robertus Pullus, qui *Sententiarum libros octo* conscripsit. At omnibus palmam praeripuit Petrus *Lombardus*, in agro Novarensi in Lombardia natus, Abaelardi, secundum alios Hugonis a S. Victore discipulus, postea Theologiae in urbe Parisiensi Professor, et

[1]) *P. 1. q. 2. art. 2. ad. 1.* Opp. ed. c. T. 20. p. 12.

[2]) Opp. p. 3—28. 29—35. 37—40. 74—90. 97—108. 122—134.

tandem ibidem Archiepiscopus, † a. 1164, vulgo Magister Sententiarum nuncupatus, a *Libris quatuor Sententiarum*, quas e scriptis SS. Patrum, praecipue S. Augustini, collegit, et methodo dialectica exposuit, ut, quemadmodum affirmat, orthodoxa ingenia acuerentur ad strenue revincendos haereticos, qui spinosis, subtilibusque quaestionibus tunc Ecclesiam lacessebant. Quilibet quatuor librorum in multas breviores sectiones, quae distinctiones adpellantur, divisus est. In distinctionibus quaestiones ad materiam, quae tractatur, pertinentes moventur, rationes ex rei natura, S. Scriptura, et praecipue scriptis SS. Patrum depromtae in utramque partem proponuntur, contrariae sententiae inter se conciliantur, et secundum probatissimam, plerumque secundum S. Augustinum deciditur, aut etiam decisio judicio lectoris relinquitur. Ordo autem materiarum, quae per quatuor Sententiarum libros pertractantur, est sequens: In primo libro agitur de Deo, speciatim de Trinitate, et dein de scientia, praedestinatione, voluntate et potentia divina. In secundo, et quidem in parte prima de mundo, rebusque creatis; in secunda de naturis intellectualibus, Angelis et hominibus; et in tertia de libero arbitrio et gratia divina, de virtutibus et vitiis. In tertio de Redemtione. In quarto tandem de Sacramentis, de resurrectione, caeterisque extremis. Quum opus istud ex omnibus, quae hucusque in lucem prodierunt, maxime completum, optime dispositum, perspicuum, et doctrinae communiter susceptae consentaneum esset: summo applausu est exceptum, et in scholas introductum, commune Theologorum enchiridion, quod in suis publicis institutionibus sequebantur, evasit, nemoque in Thologia quidquam molitus est, qui Petrum Lombardum non esset interpretatus, ita ut, teste Fleury, 244 numerari possint Theologi, qui eum commentariis illustraverint. Inter hos eminent: Alexander Halensis, Doctor irrefragabilis, cujus est *Summa universae Theologiae, seu commentarius in IV libros Sententiarum*; Albertus Magnus, *Commentarius in IV libros Sententiarum*; Thomas Aquinas, Doctor angelicus, *Comment. in libr. IV Lombardi*; Bonaventura, Doctor seraphicus, *Commentar. in IV libros Sententiarum*; Aegydius de Columna, Doctor fundatissimus, *Comment. in Magistri Sententias*; Joannes Duns Scotus, Doctor subtilis, *Comment. in libr. IV Sentent. P. Lombardi*; Raimundus Lullus, Doctor illuminatus, et magnus inventor artis universalis, *Comment. in P. Lom-*

bardi Sententias; Gul. Durandus, Doctor resolutissimus, *Comment. in P. Lombardi Sententias;* Gul. Occamus, Doctor singularis, invincibilis, *Comment. in Lombardi Sententias;* praeter alios. Attamen viri hi, aliique non tantum commentarios in Sententias Lombardi scripserunt, sed et propria, quibus Theologiam explanarunt, exararunt opera, *Summas, Compendia, Quodlibeta theologica,* et alia ejus generis. Huc pertinent praeter alia: Alberti Magni *Compendium theologicae veritatis,* et *Summa Theologiae;* Thomae Aquinatis *Compendium Theologiae, Summa totius Theologiae, De veritate Catholicae fidei contra Gentiles;* Aegydii de Columna *Compendium Theologiae;* Joannis Duns Scoti *Quaestiones quodlibetales;* Henrici Gandavensis *Summa Theologiae;* Richardi de media villa *Octoginta quodlibeta theologica;* Francisci Mayronii et Natalis *Quaestiones quodlibetales;* Gul. Occami *Quodlibeta;* Raymundi de Sabunde *Theologia naturalis.* Inter quae omnia procul dubio primum locum sibi vindicat *Summa* Thomae, quam plurimis commentariis illustrata, et in linguam graecam, arabicam et sinensem versa. Haec tribus constat partibus, quarum altera iterum in duas alias est divisa. Prima pars agit de Deo in se, et ad mundum relato; altera de Deo tamquam fine hominis et ejus actionum, quae eum cum Deo conjungunt, aut ab ipso separant, et quidem prima secundae de actibus humanis, peccatis et virtutibus generatim, atque secunda secundae, praemissa doctrina de justificatione, de iisdem speciatim; et tertia de Christo Redemtore, de Sacramentis, atque de resurrectione et iis, quae eam sequuntur.

Per methodum scholasticam ingenia ad cogitandum de rebus religiosis esse excitata, ad ordinate de iisdem disserendum instituta, notiones adcuratius definitas, veritates revelatas magis illustratas et explicatas, nova argumenta in medium prolata, aut jam nota majori vi instructa, inanitatemque quam plurimarum objectionum monstratam, inficias iri a nemine potest. Verumtamen methodus illa, quum omnes res humanae imperfectae sint et abusibus obnoxiae, malos quoque dedit effectus. Etenim primi Theologi scholastici et posteriores melioris notae quidem in exponendis divinis dogmatibus minime soli rationi acquiescebant, sed ubique ad effata S. Scripturae atque Traditionis divinae testimonia provocabant, porro nunquam pia animi sensa excitare, doctrinamque ad vitam et omnem agendi rationem adplicare

omiserunt, atque quaestionum numerum intra justos limites restrinxerunt, aut eos saltem non multum excesserunt. Ast progressu temporis a plerisque, neglectis SS. Litteris et fontibus Traditionis, sola adhibita sunt ratiocinia et disquisitiones philosophicae, excitatio piorum sensuum ac consiliorum intermissa, atque quaestiones inutiles, curiosae ac spinosae propositae, ad quas solvendas innumerae distinctiones, eaeque subtilissimae sunt excogitatae, novaque vocabula ac novae loquendi formulae introductae, quibus lingua latina, in scholis usitata, magnam contraxit barbariem. Quapropter statim initio viri exstiterunt, qui scholasticam Theologiam tractandi rationem improbarent, quique fidei doctrinam, quam exponebant, e fontibus revelationis, S. Scriptura et Traditione, potius haurire malebant, Theologi positivi ideo cognominati; licet, quum novitas omnis placeat, Theologia scholastica juvenibus magis adrideret, et brevi omnes ad se traheret discipulos, ita ut, quemadmodum recens natae scholasticae crevit studium atque cultus, ita sensim decreverit apud plerosque amor veteris instituti. Nunquam tamen deerant viri, qui naevos, quos methodus scholastica praecipue ob neglectum S. Scripturae, SS. Patrum atque Synodorum studium annexos habebat, impugnarent, aut illam in melius emendatam vellent.

Penes Theologiam scholasticam tamen continuo una Theologia mystica colebatur, per quam, quod illi deerat, supplebatur, et quod justo plus excedebat, temperabatur. Prout enim Theologia scholastica potentiam animae cognitivam, ut Gersonius illam adpellat, occupabat, atque ratiocinando cognitionem rerum divinarum promovebat, mentem autem variis suis quaestionibus ac distinctionibus distrahebat et inquietabat: ita Theologia mystica potentiam affectivam exercebat, animum, Deum in se, suisque operibus considerando, affectus pios excitando, ac virtutes exercendo, ad conjunctionem cum Deo per charitatem perfectam, rerumque mundanarum renuntiationem evehebat, mentemque in summo bono, uno necessario, figebat atque confirmabat. Inter Theologos mysticos hujus periodi primus jure Bernardus, Doctor mellifluus, censetur († 1153), ex cujus operibus potiora sunt: *Libri V de consideratione, ad Eugenium III., De conversione, Tractatus de diligendo Deo, Sermones sacri,* inter quos eminent 86 in tria priora capita Cantici

Canticorum [1]). Alii Scriptores mystici sunt: Hugo a S. Victore; Richardus a. S. Victore; Rupertus Tuitiensis; Albertus Magnus; Thomas Aquinas; Bonaventura, *Itinerarium mentis ad Deum, Opus contemplationis, Mystica Theologia*; Adamus Scotus, *Tractatus de triplici genere contemplationis, Soliloquia de instructione animae*; Gulielmus, Monachus Claravallensis, qui reliquit *Librum meditationum de natura et dignitate amoris divini*, et *Librum de contemplando Deo*; Humbertus de Romanis, a quo sunt: *Speculum religiosorum, seu institutionum spiritualium libri sex*, et *Epistola de tribus votis substantialibus religionis*; Gersonius, Doctor christianissimus, *De mystica Theologia practica, Considerationes de mystica Theologia speculativa*, et alia [2]); Henricus Harphius, *De Theologia mystica, Speculum aureum in praecepta decalogi, Speculum perfectionis, Collationes tres de perfectione vitae*; Dionysius Carthusianus; Joannes Taulerus, cujus scripta germanice composita sunt: *Imitatio pauperis vitae Christi, Considerationes spirituales de vita et passione Christi, Medulla animae, seu de perfectione omnium virtutum, De decem coecitatibus et quatuordecim radicibus divini amoris, De novem rupibus sive gradibus Christianae perfectionis, Institutiones divinae ad unionem cum Deo per spirituales exercitationes virtutesque*, et alia; Henricus Amandus Suso, Constantiensis, Ordinis Praedicatorum, *Horologium divinae sapientiae, Tractatus de septem rupibus, Centum meditationes de passione Domini*; Joannes Ruisbroek, *Summa totius vitae spiritualis, Tractatus de septem custodiis, Tr. de septem gradibus amoris, Speculum salutis aeternae, Tr. de vera contemplatione*; Bernardinus Senensis, *De aspirationibus quotidianis ad Deum, De triplici statu animae, De triplici amore Magorum, De triplici Christi Domini nativitate, De tribus tormentis peccatorum, De mundana prosperitate, De pugna spirituali, De amore Dei*; Laurentius Iustinianus, *De disciplina et spirituali perfectione, De casto connubio Verbi et animae, De interiori conflictu, De vita solitaria, De contemtu mundi, De spirituali interitu animae, et de animae resurrectione spirituali, De gradibus perfectionis*; Thomas

---

[1]) Opp. T. 2. c. 413—464. 483—502. 590—608. T. 3—4. p. 723—1570.

[2]) Opp. ed. Antv. 1706. T. 3. c. 361 ss.

Haemmerken, a loco natali communiter a Kempis dictus, qui maxime inclaruit libello *De imitatione Christi*, qui quantum plerorumque Christianorum animo congruat, ejusdem in omnes Europaeas et nonnullas Asiaticas linguas translationes, et iteratae usque ad recentissima tempora editiones testantur.

Caeterum non cogitandum est, ac si medio aevo Theologi in excolenda disciplina per adversarios religionis Catholicae, cujus defensionem suscipere contra illos cogebantur, retardati non fuerint. Ad antiquos enim Christiani nominis hostes, Gentiles, Judaeos et Muhamedanos atque haereticos antiquos, accesserunt haeretici recens exorti, uti Pauliciani, Priscilianistae, Bogomili, Petrobrusiani, Cathari, Albigenses, Waldenses, Wicleffitae, Hussitae, et alii. Attamen contra Gentiles nonnisi paucissima sunt exarata opera, pauciora etiam contra Judaeos et Muhamedanos, frequentiora vero contra haereticos. Argumenta, quibus pugnabatur, pro diversitate adversariorum, partim e ratione seu philosophia, partim e S. Scriptura et Traditione depromebantur. Caeterum inter Polemicos alii opera sua contra omnes rei Catholicae hostes, aut saltem plures direxerunt, alii vero contra unum vel paucos affines scripserunt. Ad priores pertinent: Euthymius Zigabenus, cujus est *Armarium dogmaticum orthodoxae fidei*, in viginti quatuor classes divisum, et Nicetas Acominatus, qui *Thesaurum orthodoxiae* composuit, ex Graecis; e Latinis vero: Honorius, Ecclesiae Augustodunensis Scholasticus, *De haeresibus;* Alanus ab Insulis, *De fide Catholica contra Waldenses, Catharos, Judaeos et Muhamedanos;* Raymundus Martini, *Pugio fidei adversus Judaeos et Mauros;* Marsilius Ficinus, *De religione Christiana et fidei pietate;* Hieronymus Savonarola, *Triumphus crucis;* Alphonsus de Spina, *Fortalitium contra Judaeos, Saracenos, aliosque Christianae fidei inimicos;* Alvarus Pelagius, *Collyrium adversus haereses;* Guido de Perpiniano, *Summa de haeresibus omnibus et earum confutationibus.* Ad posteriores vero, et quidem contra infideles: Thomas Aquinas, *Contra Gentiles;* Petrus Mauritius, Abbas Cluniacensis, *Adversus nefandam sectam Saracenorum*, et *Tractatus adversus inveteratam Judaeorum duritiem;* Joannes de Turrecremata, *Stabilimentum fidei Catholicae*, et *Tr. contra principales Muhamedanorum errores;* Dionysius de Rykel, *Contra Alkoranum;* Joannes Cantacuzenus, *Apologia, seu quatuor assertiones pro fide Christiana adv. Saracenos et Alcoranum;*

Nicolaus Cusanus, *Cribrationum Alrorani libri III;* Guibertus, Abbas Nogentinensis infra Cuciacum, *Tractatus de Incarnatione contra Judaeos;* Rupertus Tuitiensis, *Aunulus, seu dialogus Christiani et Judaei de fidei sarramentis libri tres;* Petrus Blesensis, Vicecancellarius Regis Angliae, postea Archiepiscopus Cantuariensis, *Contra perfidiam Judaeorum;* Nicolaus Lyranus, *De Incarnatione Verbi adversus Judaeos,* et *Contra Judaeum quemdam;* Petrus Niger, *Contra perfidos Judaeos de conditione veri Messiae;* Victor de Carben, *Propugnaculum fidei Christianae.* Contra haereticos: Petrus Mauritius, *Tractatus adversus Petrobrusianos;* Eckbertus, Abbas Schoenaugiensis, *Sermones XIII adversus haereses Catharorum;* Yvenotus, *De haeresi pauperum de Lugduno;* Moneta Cremonensis, *Libri V adversus Catharos et Waldenses;* Rainerus Sacco, *Summa de Catharis et Leonistis;* Lucas, Episcopus Tudensis, *De altera vita fideique controversiis adversus Albigensium errores libri tres,* Thomas de Bradwardino, Doctor profundus, *De causa Dei contra Pelagium, et de veritate causarum libri tres,* ex nimio tamen fervore in oppositos errores Praedestinatianorum lapsus; Petrus de Pilichdorf, *Obviationes S. Scripturae contra errores Waldensium, Liber contra pauperes de Lugduno;* Gersonius, *Tractatus contra haeresin de communione laicorum sub utraque specie, Tractatus contra sectam Flagellantium;* Aeneas Sylvius, *Tractatus de communione sub utraque specie contra Bohemos et Taboritas;* Thomas Netter, a loco natali Waldensis dictus, *Doctrinale antiquitatum fidei Ecclesiae Catholicae adversus Wicleffitas et Hussitas,* et *Fasciculus zizaniorum Wicleffi.* Contra Schismaticos: Anselmus, Episcopus Havelbergensis, *Dialogorum adversus Graecos libri tres;* Thomas Aquinas, *Opusculum contra errores Graecorum;* Nicetas, Episcopus Thessalonicensis, *Libri VI dialogorum de processione Spiritus S.;* Nicephorus Blemmidas, Monachus in Macedonia, eruditione et pietate inter Graecos celeberrimus, *Orationes duae de processione Spiritus S.;* atque ex ipsis Graecis: Joannes Calecas, Barlaamus, Bessarion, post suum ad Latinos transitum Cardinalis factus, Joannes Argyropolus, et Georgius Trapezuntinus, Nicolao V. ab epistolis.

§. 9. Conclusio.

Periodus tertia. A dimidio saeculi XV. usque ad nostra tempora. — Studium litteraturae antiquae per Graecos fugitivos, Imperio orientali a Turcis occupato, in Italia et inde etiam per alias Occidentis partes latius propagatum, non poterat non in disciplinas theologicas generatim, et Theologiam dogmaticam speciatim vim suam benignam aeque ac nocivam exserere. Amore enim litterarum elegantiorum excitato effectum est, ut studium linguae graecae, latinae et hebraicae reviviscere, artes ingenuae efflorescerent, studiumque litteraturae Christianae, S. Scripturae scilicet et scriptorum SS. Patrum impensius coleretur. Meliori itaque litterarum gustu tali ratione enato, necessario methodus scholastica sua vitiosa haud raro subtilitate ac corrupta et inculta dictione multis displicere coepit. Quapropter surrexerunt plures viri, qui pertractatis singulis materiis, quomodo Theologia scholastica emendaretur, exemplo ostendere conarentur, et alii iterum, qui viam hucusque tritam deserere monerent, melioremque methodum Theologiam tradendi, ut Melchior Canus in opere *De locis Theologicis*, multa eruditione, arte et elegantia conscripto, exhiberent. Neque negari potest, Theologiam revera ad meliorem frugem converti coepisse. Pauciora quidem sunt exarata opera, in quibus praecipuae partes propriis religionis fontibus, S. Scripturae et Traditioni, delatae fuissent; atque pristina methodus omnia ex placitis philosophiae Aristotelicae demonstrandi, quaestiones quam plurimas in utramque partem ventilandi, atque subtilissimas distinctiones adhibendi, etiam nunc dominans mansit: nihilominus tamen Theologia praesens illâ, quae prioribus saeculis viguit, multo praestantior fuit, quoniam majori eruditione instructa erat, S. Scripturam et Traditionem plus respiciebat, atque a quaestionibus inutilibus et spinosis, a subtilitatibus ac distinctionibus sibi magis temperabat, et puriori sermone utebatur. Haec autem feliciter coepta brevi per religionis dissidia, saeculo XVI. ineunte orta, interrupta sunt. Studiis enim antiquae litteraturae multorum animi non tantum amorem litterarum elegantiorum, sed et spiritum, quo scripta Graecorum atque Romanorum exarata sunt, imbiberunt, omnia subjectivae sententiae deferentem, atque superbiam mentis, voluptatumque sensualium cupidinem excitantem ac nutrientem. Hinc illa, quae, antiquâ litte-

raturâ restauratâ, se prodebat, atque in dies magis, magisque crevit, animorum ab objectiva veritate et aliena auctoritate abalienatio, quae initio in pugnam adversus Ecclesiam in Protestantismo erupit, deinde in proelium contra revelationem supernaturalem in Naturalismo ac Rationalismo abiit, atque tandem in bello contra ipsum Deum personalem, a mundo diversum, in Pantheismo ac Materialismo desiit. Tali autem ratione multi Theologi, ad veritatem Catholicam contra adversariorum insultus defendendam coacti, ab excolenda disciplina nostra detinebantur, et qui eidem operam dabant, in ea ex illa parte, ex qua doctrina divina impugnabatur, expolienda omne studium collocabant. Inde effectum est, ut licet initio hujus periodi in tradenda Theologia methodus scholastica dominaretur, haec pedetentim positivae cederet, et quidem ita, ut philosophica dogmatum pertractatio omnino negligeretur. Nam quum adversarii continuo Ecclesiae Catholicae objicerent, eam a sua primitiva integritate defecisse, ejusque doctrinam a germina S. Scripturae atque antiquae Ecclesiae doctrina disparem esse: Theologi, ut aditus dubio in discipulorum animos praecluderetur, prae omnibus operam navare debebant, ut doctrinam Ecclesiae cum S. Scriptura et prima Ecclesiae Traditione revera consentientem ostenderent. Philosophicam autem doctrinae divinae tractationem eo facilius omittebant, quoniam haec partim apud adversarios male audiebat, partim quia philosophia, ex quo tamquam singularis disciplina coli coeperat, sese Theologiae inimicam monstrabat; quapropter illa ultimo hujus periodi saeculo e scholis prorsus exulavit, donec tandem nostris diebus iterum revixerit. Caeterum innumera fere opera labente hac periodo sunt exarata, tum dogmatica tum polemica seu apologetica. Hic loci potiora tantum utrorumque commemorari possunt. Prioris generis sunt: Thomas de Vio, Cardinalis Cajetanus, *Commentar. in Summam S. Thomae;* Franciscus de Victoria, *Comment. in 4 libros Sententiarum;* Dominicus a Soto, *Comment. in 4 libros Sententiarum*, et *De natura et gratia;* Petrus a Soto, *Institutionum Christianarum libri tres;* Canisius, *Summa doctrinae Christinae;* Jodocus Coecius, *Thesaurus theologicus;* Gabriel Vasquez, *Commentar. in Summam Thomae Aquinatis;* Franciscus Suarez, *Comment. et disputat. in Summam S. Thomae;* Martinus Becanus, *Theologia scholastica, in tres partes divisa;* Adamus Tanner, *Theologia scholastica;* Dionysius

Petavius, vir magni ingenii et summae eruditionis, *De theologicis dogmatibus*, Antwerp. 1700, ed. noviss. Venet. 1757, opus, quod sibi par non habet, ad finem tamen non perductum; Reddingius, *Theologia scholastica*, 1667; Hannoldus, *Theologia speculativa*, 1670; Ludovicus Thomassinus, *Dogmata Theologica*, 1680—1689; C. Schrenk, *Theologia dogmatico-scholastica*, 1696—1702; Gulielmus Estius, *Summa Theologiae*, et *Comment. in libros quatuor Sententiarum*; Vincentius Contenson, *Theologia mentis et cordis*, Col. Agripp. 1722; Joannes Du Hamel, *Theologia speculativa et practica, juxta SS. Patrum dogmata pertractata, et ad usum scholae accommodata*, Par. 1691, Venet. 1734; Natalis Alexander, *Theologia dogmatica et moralis*, Par. 1693; Nic. L. Hermenier, *Summa theologiae, ad usum scholae accommodata*, Par. 1701; M. de Thomasiis, *Institutiones Theologiae antiquorum Patrum*, Rom. 1709; Casparus Ivenin, *Institutiones Theologiae*, Lugd. 1696, Par. 1700, Lugd. 1704, Venet. 1710, et *Comment. historico-dogmat. de Sacramentis*, Lugd. 1717; Joan. Obstraet, *Institutiones theologicae*, Leod. 1710; Ant. Boucat, *Theologia Patrum schol. dogmatica*, Par. 1718; Ulloa *Theologia scholastica*, 1719. P. Gabr. Antoine, *Theologia universa speculativa et dogmatica*, *Par.* 1713; Honor. Tournelius, *Cursus theologicus scholastico-dogmaticus et moralis*, Par. 1726; Eus. Amort, *Theologia eclectica*, Aug. Vindel. 1752; Ren. Billuart, *Summa S. Thomae hodiernis academiarum moribus accommodata, sive cursus Theologiae universalis juxta mentem, et in quantum licuit, juxta ordinem et litteram D. Thomae*, Leod. et Wirceb. 1745—1767; Vinc. Lud. Gotti, *Theologia scholastico-dogmatica*, Ven. 1750; J. Laur. Berti, *Theologia historico-dogmatico-scholastica*, Rom. 1739; Antonius Genuensis, *Elementa universae Theologiae Christianae*, Ven. 1771: Petrus Collet, *Institutiones Theologiae scholasticae, sive Theologia speculativa*, Lugd. 1768; Mart. Gerbert, *Principia Theolog. dogmaticae*, ad S. Blas. 1758, *Principia Theol. symbolicae*, 1758, *Principia Theol. scholasticae*, 1758; C. Witasse, *Tractatus theolog. de attributis div., Trinitate, Incarnatione, Eucharistia, Poenitentia, Ordine*, cum reliquis tractatibus ab anonymo auctore additis; Kilber, *Theologia dogmatico-polemico-scholastica*; Thom. ex Charmes, *Theologia universa*, Aug. Vind. 1780; Lud. Habert, *Theologia dogmatica et mo-*

ralis, Aug. Vind. 1771; Petr. M. Gazzaniga, *Praelectiones de Deo, etc.* Vindob. 1780, *Theolog. dogm. in systema contractu*, Vindob. 1789, *Praelectiones Theol. universae*, Ven. 1794; Aug. Gervasius, *Praelectiones Theolog. dogm. de Incarnatione, de legibus et peccatis, de Sacramentis in gen. et in specie*, Vindob. 1763—1766; Claes, *Principia Theol. dogm.* 1781; Cuer, *Theolog. dogm. et moral.* 1792; Concinna, *Theolog. Christ. dogm. moral.* 1768; Lory, *Institut. theolog. dogmat.* 1784—86; Dom. Schramm, *Compendium Theologiae scholasticae dogmaticae et moralis, methodo scientifica propositae*; Herm. Schollinger. *Praelectiones theologicae*, Aug. Vind. 1769; Jos. Widmann, *Institutiones universae Theologiae dogmatico-polemico-speculativae et moralis*, Aug. Vind. 1775: Jos. Bertieri, *Tractatus theol. de Incarnatione, Leg. et Sacram. in genere, Baptismo et Confirmatione*, Vind. 1771—1774, *Theologiae in systema redactae P. 2.* Vindob. 1778; Ben. Stattler, *Theologia Christiana theoretica*, Ingolst. 1776, Eustadt. et Günzb. 1781, Allgemeine katholisch-christliche Religionslehre, Monach. 1793; Steph. Wiest, *Institutiones theologicae*, Ingolst. 1782; *Institutiones dogmaticae*, Ingolst. 1791; Fr. Gmeiner *Theologia dogmatica in systema redacta et methodo scientifica proposita*, Graec. 1785; Simp. Schwarzhueber, Praktisch-katholisches Religionshandbuch für nachdenkende Christen, Salisb. 1785; Bern. Bauer, *Theologia univ. dogmatica, historica, critica, genio puriori adcommodata*, Wirceb. 1768; Bailly, *Theologia dogm. et moral.* 1815; Engelb. Klypfel, *Institutiones Theologiae dogmaticae*, Vindob. 1789: 4. ed. op. et st. Greg. Th. Ziegler, 1821; Ildeph. Schwarz, Handbuch der christl. Religion, Bamb. et Wirceb. 1797; Bern. Gallura, Die neueste Theologie des Christenthums, wie solches von Ewigkeit im Sinne Gottes war, und in der Zeit aus dem Munde Gottes gekommen ist, Aug. Vind. 1800: Patr. Ben. Zimmer, *Theologia Christ. specialis et theoretica*, Landish. 1802—6; J. Mich. Sailer, Grundlehren der Religion, als Leitfaden zu seinen Vorlesungen an die akademischen Jünglinge aus allen Facultäten, Monach. 1805; Marian. Dobmayer, *Systema Theologiae Catholicae*, Salisb. 1807—19; Georg. Fejér, *Institutiones Theologiae dogmaticae*, Vien. ed. 3. 1819—1820; Fried. Brenner, Construction der kathol. speculativen Theologie, Ratisb. 1837—38; Bonif. Schnappinger, *Doctrina dogmatum Ecclesiae Christiano-Catholicae ad usum academicum*, Aug. Vind. 1816; Ign.

Thanner, Wissenschaftliche Aphorismen der kathol. Dogmatik, Salisb. 1816; Fr. L. B. Liebermann, *Institutiones theologicae*, ed. 3. Mogunt. 1831; Ad. Jos. Onymus, Die Glaubenslehre der kath. Kirche, praktisch vorgetragen, Salisb. 1820—23; Dan. Tobenz, *Institutiones Theologiae dogmaticae*, Vien. 1820; Geishüttner, Versuch einer wissenschaftlichen und populären Dogmatik, 1818; Lienhardt, *Institutiones Theologiae dogmaticae*, 1821; Goldwitzer, *Compendium dogmaticae Christianae* 1824. Al. Waibel, Dogmatik der Religion Jesu Christi, Aug. Vind. 1831; Buchner, *Summa Theolog. dogmat.* 1828—9; Georg. Hermes, Christkatholische Dogmatik, Monast. 1834; Henr. Klee, Katholische Dogmatik, Mogunt. 1835; Jos. Prúnyi, *Systema Theologiae dogma. christiano-Catholicae*, Vindob. 1842; Ign. Penka, *Praelectiones ex Theol. dogmatica*, Cracov. 1844; Fr. Bittner, *De civit. Dei comment.* Mogunt. 1845; J. Perrone, *Praelectiones theologicae*, Lovan. 1838—43, *Eaedem in compendium redactae*, Vien. 1846; Conr. Martin, Lehrbuch der kathol. Religion, Mogunt. 1848, ed. 3.; E. A. Staudenmaier, Die christliche Dogmatik, Frib. 1844; J. Kuhn, Katholische Dogmatik, Tubing. 1846; Fr. A. Scharpff, Handbuch der christlichen Religion, Gieß. 1848; Berlage, System der katholischen Dogmatik, Monast. 1848; Beyr, *Institutiones Theologiae dogmaticae*, Vienn. 1847; F. Dieringer, Lehrbuch der kathol. Dogmatik, Mogunt. 1847; Alb. Koller, *Institutiones Theologiae theoreticae*, Taur. 1853; Fr. Baader, Vorlesungen über speculative Dogmatik, Stuttgard. et Tubing. 1828; Ant. Günther, Vorschule zur speculativen Theologie des positiven Christenthums, 2. Aufl. Vien. 1846—1848, Süd- und Nordlichter am Horizonte speculativer Theologie, Vien. 1832, Thomas a Scrupulis, Vien. 1835. Die Juste — Milieus in der deutschen Philosophie gegenwärtiger Zeit, Vien. 1838, Euristheus und Heracles, Vien. 1843; J. Henr. Pabst, Der Mensch und seine Geschichte. 2. Aufl. Vien. 1847, Adam und Christus. Vien. 1835. — Inter Theologos polemicos, praeter illos, qui hac periodo adhuc scripserunt contra Judaeos, ut Petr. Palatinus et Josephus de Voisin, atque contra Muhamedanos, ut J. Andreas, Alb. Widmanstadius, Lupus de Obregon, Lud. Maracius, et Abrah. Hinkelmann, notatu digniores sunt: Joannes Eck, qui praeter multa alia scripsit *Enchiridium locorum communium adversus Lutherum et alios Ecclesiae hostes;* Joan. Cochlaeus (Dobnek), auctor plurimorum scriptorum polemicorum contra Lutherum et Melanchthonem, e quibus com-

memorari meretur *Septiceps Lutherus, ubique sibi suisque scriptis contrarius;* Ambrosius Catharinus, *Apologia pro veritate Catholicae et Apostolicae fidei adversus Lutheri dogmata;* Stanislaus Hosius, *Propugnatio verae Christianae Catholicae fidei contra Joannem Brentium;* Fr. Feuardentius, *Theomachia Calvinistica, XVI libris profligata,* et *Septem dialogi, quibus 200 Calvinianorum errores refelluntur;* Preg. de Valentia, *De rebus fidei, hoc tempore controversis;* Fr. Coster, *Enchiridion praecipuarum controversiarum nostri temporis de religione;* Rob. Bellarminus, *Disputationes de controversiis Christianae fidei adversus hujus temporis haereticos,* Rom. 1581, opt. ed. Prag. 1720, quod opus vere classicum summam nominis celebritatem auctori merito conciliavit; Mart. Becanus, *Manuale controversiarum hujus temporis,* opus pariter insigne; Petr. Cotton, *Institutio Catholica, in qua fidei veritas comprobatur contra haereses et superstitiones hujus aevi, et praecipue Calvini institutio religionis Christianae refutatur;* Bossuetus, *Historia variationum Ecclesiarum Protestanticarum in religionis materiis;* Arnaldus, *Fides perpetua Ecclesiae Catholicae circa Eucharistiam, Eversio doctrinae Jesu Christi moralis per errores Calvinistarum, justificationem concernentes;* Vit. Pichler, *Theologia polemica, in duas partes divisa,* Aug. Vind. 1719; C. Hanneberg, *Theologia controversa,* Posn. 1723; Sebastianus a S. Christophoro, *Theologia historico-polemica pro vindicanda contra haereticos, Protestantes praesertim, Romano-Catholicae Ecclesiae gloria,* Bamb. 1751; Neubauer, *Theologia dogmat. polem. scholast.* 1766: Ign. Tentscher, *Institutiones polemicae,* Prag. 1767; Adrianus et Petrus de Wallenburg, *Tractatus de controversiis generales,* 1768; Sardagna, *Theologia dogmatico-polemica,* 1770—71; Gazzaniga, *Theologia polemica,* Vindob. 1779; Car. Schwarzel, *Praelectiones Theologiae polemicae,* Vindob. 1781; Renaudotius, *Perpetuitas fidei contra calumnias et falsitates libri inscripti: Monumenta authentica religionis Graecorum,* Par. 1708, *Perpetua fides Ecclesiae Chatholicae respectu Eucharistiae,* Par. 1711, *Perpetua fides Ecclesiae Catholicae circa Sacramenta et caetera puncta religionis ac disciplinae, quibus primi reformatores in praetextum secessionis suae usi sunt, comprobata per consensum Ecclesiarum orientalium,* Par. 1713; Gotti, *Colloquia theologico-polemica contra Calvinistas,* Bon. 1727; Jac. Scheffmacher,

Epistolae doctoris cujusdam ad nobilem quemdam Protestantem de sex obstaculis, quae habentur in religione Lutherana, Argent. 1748; Fr. Seedorf, Sendschreiben über die streitigen Glaubensfragen, Mannh. 1748; Anonymus Gallus, *Triumphus fidei Catholicae de erroribus Protestantium,* Lugd. 1749; J. A. Moehler, Symbolik oder Darstellung der dogmatischen Gegensätze der Katholiken und Protestanten nach ihren öffentlichen Bekenntnißschriften, Mogunt. 1832, 1833, 1834, 1835, 1838, Neue Untersuchungen der Lehrgegensätze zwischen den Katholiken und den Protestanten, Mogunt. 1834, 1835; B. J. Hilgers, Symb. Theologie, oder die Lehrgegensätze des Katholicismus und Protestantismus dargestellt und gewürdigt, Bonn. 1841; J. Buchmann, Populärsymbolik, oder vergleichende Darstellung der Glaubenssätze zwischen Katholiken und Protestanten nach ihren Bekenntnißschriften, Mogunt. 1844; J. Kleutgen, S. J. Die Theologie der Vorzeit. Mog. 1853.

Pars prima.

De Deo.

(Θεολογία).

§. 1. Momentum.

Prima pars Theologiae dogmaticae, ex divisione supra facta, complectitur doctrinam de Deo, unde et Theologia κατ' ἐξοχήν a Scriptoribus veteribus est appellata [1]).

Nulla sane disciplinae nostrae est pars, cui majus pondus insit, quam tractatui huicce. Etenim

1. Deus, de quo hic agitur, est ens summum, bonum absolutum, α et ω, principium rerum omnium et finis, a quo omnia pendent, et ad quem omnia tendunt. Hinc etiam cognitio Dei est omnium cognitionum prima ac nobilissima, omnium summe necessaria ac utilissima. Unde recte ait Propheta: *Non glorietur sapiens in* (de) *sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, et judicium, et justitiam in terra: haec enim placent mihi, ait Dominus* [2]).

2. Porro prout Deus ratio et causa est rerum omnium extra se exsistentium, ita cognitio Dei omnis religionis, omnis sapientiae, sanctitatis et verae felicitatis principium est atque fundamentum. Sine Dei cognitione omnis scientia nostra destituitur veritate, virtus puritate, robore ac constantia, animus vero solatio et tranquillitate. Quomodo enim de rebus divinis bene ac recte judicabit, qui de Deo male senserit? Quomodo

---

[1]) Cf. *Introd. in Theol. univ.* §. 7. *Theol. gener.* p. 7.

[2]) Jer. 9, 23 s.

virtuti ac sanctitati studebit, qui **Deum**, summum bonum atque Legislatorem sanctissimum, revereri ac diligere, in eo ceu Patre benignissimo fiduciam collocare, et illum tamquam Judicem omniscium ac justissimum timere haud didicerit? Quomodo animi quietem servabit, atque spem futurae vitae fovebit, qui **Deum** mundi Rectorem sapientissimum atque Remuneratorem clementissimum ignoraverit? Male de **Deo** sentire, de ejus natura et attributis falsa fingere fons est vanissimae superstitionis, omnis pravitatis et summae infelicitatis; vera autem **Dei cognitio** intellectum illuminat, voluntatem roborat ac confirmat, et animum solatio ac quiete replet. Unde jam **Seneca** ait: ***Bonus vir sine Deo nemo est*** [1]); et ante eum **Sapiens**: *Nosse enim te* (Deus) *consummata justitia* (sapientia ac justitia) *est: et scire justitiam* (perfectionem), *et virtutem* (majestatem) *tuam, radix est immortalitatis* (omnis felicitatis) [2]). Quapropter et

3. revelatio divina Deum cognoscendi necessitatem clare edisserit. **Christus Dominus** enim divinam cognitionem unicam viam ad vitam aeternam declarat verbis: ***Haec est autem vita aeterna: Ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum*** [3]); et post eum **Apostolus** eamdem conditionem esse tradit, sine qua **Deo** conjungi prorsus non possimus, scribens: ***Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit*** [4]).

Omnem itaque operam institutionibus hisce impendamus, in quibus, ut verbis Lactantii utamur, *non de stillicidiis, aut aquis arcendis, aut de manu conserenda, sed de Deo loquimur;* — (a quo) *mundus factus est, ut nascamur: ideo nascimur, ut cognoscamus factorem mundi, ac nostri Deum: ideo agnoscimus, ut colamus: ideo colimus, ut immortalitatem pro mercede laborum capiamus. — Haec summa rerum est, hoc arcanum Dei, hoc mysterium mundi* [5]). Verumtamen una nos mundo abdicemus, atque puritati

---

[1]) *Epist. 41.* Opp. ed. Amstelod. 1672. T. 2. p. 142. Cf. *Ep. 76.* p. 298.

[2]) Sap. 15, 3.

[3]) Joan. 17, 3.

[4]) Hebr. 13, 6.

[5]) *Div. instit. l. 1. c. 1. l. 7. c. 6.* Opp. T. 1. p. 4. 534.

cordis inprimis studentes Deo vivamus, ut fructum exoptatum ex instituto nostro reportemus. Etenim licet cognitio Dei vitae spiritualis origo sit atque fundamentum: ipsa neque clara, neque firma ac certa evadet, nisi confestim vita accesserit, nisi amor Dei, ejusque santissimae legis pectus nostrum inflammaverit. Sicut enim nulla datur vera vita sine cognitione, ita nulla est vera cognitio sine vita. Quod Christus Dominus significat hisce verbis: *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt* [1]. — *Qui ex Deo est* (i. e. qui divino spiritu praeditus est, eoque ducitur), *verbum Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* [2]. Et: *Si quis voluerit voluntatem ejus (Patris) facere: cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar* [3]. Atque Apostolus: *Qui novit Deum* (qui Deum diligit), *audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris* (i. e. qui agantur spiritu veritatis, et qui spiritu erroris) [4]. Et: *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum* [5].

§. 2. Divisio.

Si ideam Dei adcuratius consideramus: tria momenta ejusdem facile, utpote se nobis quasi sponte obtrudentia, discernimus, scilicet absolutam ejus exsistentiam, essentiam et vitam. Quapropter tractatum praesentem de Deo dividimus in tres sectiones, in quarum

1. agemus de Dei notione atque exsistentia; in
2. de Dei infinite perfecta essentia, seu de attributis divinis; atque in
3. de Dei absolute perfecta vita, seu de Deo triuno.

1) Math. 5, 8.
2) Joan. 8, 47. Cf. 5, 40.
3) Joan. 7, 17.
4) 1. Joan. 4, 6.
5) 1. Joan. 4, 7.

SECTIO I.

De Dei notione atque exsistentia.

§. 3. Notio Dei.

Quemadmodum facillimum est Deum invenire, ita dicere, quid ille sit, difficillimum. *Ecce Deus*, ait S. Scriptura, *magnus, vincens scientiam nostram* [1]). Lactantius: *Cujus* (Dei parentis nostri, Dominique) *nec virtus aestimari potest, nec magnitudo perspici, nec principium comprehendi. Cum ad illum mentis humanae intentio et acumen et memoria pervenerit, quasi subductis et consummatis omnibus viis, subsistit, haeret, deficit; nec est aliquid ulterius, quo progredi possit* [2]). Et Augustinus: *Quaeris, quid sit* (Deus)? *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quid quaeris, ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit* [3])? Atque rursus: *Facilius dicimus, quid non sit* (Deus), *quam quid sit* [4]). Verum quamvis neque cogitatione comprehendere, neque verbis exprimere valeamus supremi Numinis naturam ac majestatem: sufficientem tamen Dei notionem mente concipere valemus, eum necessario ens vel potius spiritum perfectissimum a se, totius mundi Creatorem ac Conservatorem omnipotentem et Moderatorem sanctissimum ac sapientissimum cogitantes.

Haec est autem ea ipsa notio, quam nobis de Deo revelatio divina subministrat; quod facili negotio tum ex SS. Litteris, tum ex Traditione demonstrari potest.

Nam 1. Deum esse spiritum,

a) docent SS. Litterae tam A. quam N. T., quum enim

α) expresse spiritum adpellant. *Spiritus Dei ferebatur super aquas* [5]), voluntate sua et omnipotentiâ molem indige-

---

[1]) Job. 36, 26.

[2]) *Div. Instit. l. 1. c. 7.* Opp. T. 1. p. 32.

[3]) *Enarr. in Ps. 85. n. 12.* Opp. T. 4. c. 909.

[4]) Ib.

[5]) Gen. 1, 2.

stam secernens, evolvens ac vivificans. *Spiritus Dei fecit me, et spiraculum Omnipotentis vivificavit me* [1]). — *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* [2]). — *Genus ergo cum simus Dei, non debemus aestimare auro et argento, aut lapidi, sculpturae artis et cogitationis hominis* (artis et ingenii humani ope sculpto), *divinum esse simile,* i. e. cum Deo simus similes atque animâ rationali constemus, Deum quoque necessario spiritum mente concipere debemus [3]).

β) Quum Dei infinitam scientiam ac sapientiam, porro omnipotentiam atque summam libertatem, sanctitatem ac benignitatem, seu infinitum intellectum atque perfectissimam voluntatem praedicant.

b) Ecclesiam autem semper Deum spiritum professam esse, omnes admittunt. Quapropter in re tam manifesta testimonia SS. Patrum omittimus, ad Concilium Lateran. IV. solummodo provocantes, quod definit: *Tres quidem personae, sed una essentia, substantia seu natura simplex omnino* [4])

2) Porro pari modo aeque SS. Litterae, SS. Patres atque Ecclesia tradunt, Deum esse ens infinite perfectum, i. e. omnibus perfectionibus, quae dari aut cogitari possunt, sine ulla limitatione aut ullo defectu, in infinito gradu praeditum. Huc pertinent:

a) omnia S. Scripturae loca, in quibus Deus exhibetur ceu ille, cujus *magnitudinis non est finis* [5]); *qui magnus est, et non habet finem: excelsus et immensus* [6]); qui *indiget nullo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia* [7]); *cui non est similis* [8]); qui *est Deus deorum, et Dominus dominantium* [9]); *altissimus super omnem terram, nimis exaltatus super omnes deos* [10]): *coram quo sunt omnes gentes, quasi non sint, et quasi nihilum,*

[1]) Job. 33, 4.

[2]) Joan. 4, 24.

[3]) Act. 17, 29. Cf. Jud. 6, 34. 11, 29. 13, 25. 1. Reg. 11, 6. Psal. 50, 13. Sap. 12, 1. Agg. 2, 6. Zach. 4, 6. Is. 48, 16. 40, 13. Rom. 1, 19 ss.

[4]) *Capit. 1. De fid. Cath.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 22. c. 981—982.

[5]) Ps. 144, 3.

[6]) Bar. 3, 25.

[7]) Act. 17, 25.

[8]) Exod. 15, 11. Ps. 88, 7—16.

[9]) Deut. 10, 17. Ps. 95, 4 ss.

[10]) Ps. 96, 4.

et inane reputatae sunt ei, et insulae, quasi pulvis exiguus [1]); qui est *incomprehensibilis cogitatione* [2]); atque *super omnes* [3]); nec non porro testimonia illa fere innumerabilia, quae Deo perfectiones quascunque speciatim attribuunt, et quidem ita, ut ipse ex perfectione naturae habeat, quidquid perfecti cogitari possit. Dicitur enim *solus ἅγιος, sanctus* [4]), *solus potens* [5]), *solus sapiens* [6]), *solus bonus*, seu perfectus [7]), proinde et (solus) *Legislator et Judex* [8]); quae infra explicatius exponentur, ubi de perfectionibus divinis singillatim agetur.

b) Veteres Patres autem et universam Ecclesiam in hac sententia semper stetisse, iterum a nemine in dubium vocatur. Unde illorum testimonia recensere et hic superfluum ducimus [9]), idque eo magis, cum mens humana indole sua coacta, Deum alium, quam perfectissimum cogitare haud queat. Quod pulchre eloquitur Augustinus, scribens: *Nam cum ille unus cogitatur deorum Deus, ab his etiam, qui alios suspicantur et vocant et colunt deos, sive in coelo sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid, quo nihil melius sit atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere. — Omnes certatim pro ex-*

---

[1]) Is. 40, 17. 15. Cf. Sap. 11, 23.

[2]) Jer. 32, 19.

[3]) Eph. 4, 6.

[4]) Apoc. 4, 6.

[5]) 1. Tim. 6, 15.

[6]) Rom. 16, 27.

[7]) Matth. 19, 17.

[8]) Jac. 4, 12.

[9]) Cf. Clem. Alex. *Paedag. l. 1. c. 8.* Opp. T. 1. p. 135 ss. — Athanas. *Or. cont. Gent. n. 39.* Opp. T. 1. P. 1. p. 38. *Epist. 2. ad Serap. n. 5.* T. 1. P. 2. p. 686. etc. — Gregor. Naz. *Or. 12.* Opp. T. 1. c. 178 s. — Dionys. Areop. *De div. nom. c. 13.* Opp. T. 1. p. 873. — Cyrill. Alex. *De Trinit. dial. 1.* Opp. T. 2. p. 240. c. 1. C. D. — Joan. Damasc. *De orthod. fid. l. 1. c. 8. 9. 14.* Opp. T. 1. p. 131. 142. 152. — Hilar. *De Trinit. l. 1. n. 5—7.* Opp. T. 2. c. 4 ss. *In Ps. 2. n. 13.* T. 1. c. 37. etc. — Hieronym. *Comm. in Ep. ad. Ephes. c. 3.* Opp. T. 7. c. 601. *Ep. 14. ad Damas. n. 4.* T. 1. c. 40. — Augustin. *De Trinit. l. 5. c. 1. n. 2.* Opp. T. 8. c. 832 s. — Bernard. *De consider. l. 5. c. 7. n. 13.* Opp. V. 1. c. 457. — Anselm. *Proslog. c. 2.* Opp. p. 30. c. 2. B. *Cont. Gaunil. p. 37. ss.* — Thom. *Adv. Gent. l. 1. c. 28.* Opp. T. 18. p. 28. — Idem quoque gentiles Philosophi testati sunt, ut Cicero, Sextus Empiricus, Plutarchus. Cf. Petav. *De Deo, Deique propr. l. 1. c. 2. n. 9. De theol. dogm.* Antv. 1700. T. 1. p. 37 s.

cellentia Dei dimicant; nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est[1]). Et ante Augustinum Tertullianus: *Nemo negabit, Deum summum magnum quid esse.* Paulo ante dixerat: *Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definio, quod et omnium conscientia agnoscet: Deum summum esse magnum, in aeternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine*[2]). Omnium tamen loco audiatur Joannes Damascenus, qui ita scribit: *Credimus igitur in unum Deum, principium, unum principio carentem, increatum, ingenitum, interitus ac mortis nescium, aeternum, immensum, incircumscriptum, nullis terminis definitum, infinitae potentiae, simplex* (simplicem), *incompositum, incorporeum, a fluxu, passione omnique mutatione et alteratione liberum, invisibilem, omnis bonitatis ac justitiae fontem, lucem intellectualem et inaccessam, potentiam nullâ mensurâ comprehensam, quamque sola voluntas* (βουλήμα) *sua metiatur (potest enim quidquid vult), rerum omnium conditricem, tam visibilium, quam invisibilium effectricem; omnium conservatricem, omnibus providentem; omnia continentem ac regentem, perpetuumque ac immortale regnum in omnia obtinentem; nihil contrarium habentem, omnia implentem, a nulla re comprehensam, imo vero ipsam universa complectentem et continentem ac praehabentem, substantias omnes sine pollutione penetrantem, ultra res omnes et essentias longe provectiorem, ut quae supersubstantialis est, omnibusque entibus sublimior; divinitate, bonitate, plenitudine superiorem, principatus omnes atque ordines statuentem, super omnem principatum atque ordinem positam; essentia, vita, sermone, et cogitatu altiorem; quae lux ipsa est, bonitas ipsa, ipsamet vita, ipsamet essentia; utpote quae nec esse suum, nec quidquam eorum, quae est, ab alio habeat; verum ipsa iis, quae sunt, essentiae; illis, quae vivunt, vitae; et illis, quae ratione utuntur, rationis fons exsistat; bono-*

[1]) *De doctr. Christ. l. 1. c. 7. n. 7.* Opp. T. 3. P. 1. c. 7.

[2]) *Adv. Marcion. l. 1. c. 3.* Opp. V. 2. p. 148 s.

rum omnium cunctis parentem, intuentem omnia, priusquam fiant; unam substantiam, unam divinitatem, unam virtutem, unam voluntatem, unam operationem, unum principatum, unam potestatem, unam dominationem, unum regnum; ut tamen in tribus perfectis personis noscatur, et adoratione una adoretur, credaturque, et colatur ab omni rationali creatura; quippe quod illae citra permistionem et confusionem unitae sint, et sine distantia (quod cogitationem omnem superat) discretae: in Patrem et filium et Spiritum S., in quorum etiam nomine baptizati sumus[1]).

3. **Esse** autem **Deum ens a se**, seu **per se**, **ens absolutum ac necessarium**, ad cujus essentiam τὸ esse pertineat, seu quod sua natura ad exsistendum cogatur, ita ut non exsistere prorsus non possit,

a) **Deus** ipse ad Moysen loquens effatus est his verbis: *Ego sum, qui sum*, אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה. — *Sic dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos*[2]), i. e. ego sum ille, qui vere est, qui esse habet a se ipso, dum caetera omnia ita sunt, quasi non sint, non enim habent in se, ut exsistant. Unde et LXX verterunt: Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. Quae deinde a Prophetis saepius repetuntur. Sic **Isaias** ait: *Haec dicit Dominus, rex Israël, et redemtor ejus, Dominus exercituum: Ego sum primus, et ego novissimus, et absque me non est Deus*, i. e. ego sum, qui a nemine sum, a quo autem omnia sunt ac pendent[3]). Et iterum: *Ego sum Dominus*, יְהוָה *hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo*[4]). In libro **Job** autem legitur: *Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationem ejus*[5]). — In N. T. vero Deus pariter adpellatur *primus et novissimus, α et ω, principium et finis, qui est, qui erat, et qui venturus est*, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, i. e. qui semper ac necessario, adeoque per se est[6]). Insuper dicitur Deus θεὸς ζῶν καὶ ἀληθινός[7]), qui *habet vitam a semet ipso*[8]),

---

1) *De fid. orthod. l. 1. c. 8.* Opp. T. 1. p. 131 s.
2) Exod. 3, 14. Cf. 6, 2. 3. 6. Deut. 6, 4. 32. 39.
3) Is. 44, 6.
4) Is. 42, 8. Cf. 41, 4. 43, 10—13. 48, 12. Ps. 101, 26—29.
5) Job. 23, 13.
6) Apoc. 1, 4. 8. 17. 22, 13.
7) 1. Thes. 1, 9. Joan, 5, 20.
8) Joan. 5. 26.

et est fons omnis vitae [1]), qui *est lux* [2]) et fons omnis lucis seu perfectionis [3]), *charitas* [4]), et fons omnis charitatis [5]). Quae omnia praedicata non sunt tam attributa divinae essentiae, quam potius essentia ipsa, pro qua ipse, quum sit a se, etiam est infinite perfectus, atque omnis finitae perfectionis origo et fons. Unde naturae creatae comparatae cum Deo, qui est exsistendi plenitudo et necessitas, nihil esse dicuntur. *Substantia mea*, ait Psalmista, *tamquam nihilum ante te* [6]).

b.) **SS.** Litteris consonant **SS.** Patres, qui aut ex iisdem verbi divini aut etiam naturae fontibus Dei proprietatem illam hauserunt, pro qua ipsi soli essentiam et exsistentiam, h. e. *τὸ εἶναι*, vel *τὴν οὐσίαν* et *ὕπαρξιν* vindicarunt, caetera esse et exsistere negantes. Sic Clemens Alex. nomen illud *ὁ ὤν* idcirco Dei maxime proprium esse putat, quoniam illum exprimit, *qui vere solus est, qui fuit, et est, et erit. In quibus tribus temporibus*, inquit, *ponitur unum nomen, nempe Qui est* [7]). Quod egregie confirmat Justinus his verbis: *Nemo praeexstitit, qui Deo nomen imponeret, nec se ipse nominandum esse duxit, cum unus et solus sit. — „Ego enim“* inquit *„sum exsistens ille“, se ipsum exsistentem non exsistentibus opponens* [8]). Atque Gregorius Naz., qui ait: *Quantum ergo nobis assequi concessum est, Ens, et Deus magis quodammodo essentiae nomina sunt, ex iisque etiam entis vox ad eam indicandam aptior est, non hoc solum nomine, quod ipse, cum Mosi in montem* (monte) *oraculum ederet, quaereretque ille, quo nomine vocaretur, ita se ipsum appellavit, edicens videlicet ei, ut ad populum his verbis uteretur: „Qui est, misit me“; sed etiam, quia nomen illud magis proprium esse comperimus. — At nos naturam ejusmodi exquirimus, quae ipsum esse per se habeat, ac non cum alio quopiam copulatum. Ens vero proprium sane est Dei, ac totum nec priore aliqua re, nec poste-*

---

[1]) Joan. 6, 58. 1. Joan. 5, 20.

[2]) 1. Joan. 1, 5. Cf. 1. Tim. 6, 16.

[3]) Jac. 1, 17. coll. 13.

[4]) 1. Joan. 4, 8.

[5]) 1. Joan. 4, 9. 12. 13. 16. 1. Cor. 12, 30. coll. 13, 1 ss.

[6]) Ps. 38, 6.

[7]) *Paedag. l. 1. c. 8.* Opp. T. 1. p. 140. Cf. *Strom. l. 1. c. 26.* p. 420. et *l. 6. c. 16.* T. 2. p. 810.

[8]) *Cohort. ad Graec. n. 21.* Opp. p. 21.

riore (nec enim erat aut erit) definitum ac circumcisum [1]. Omnium autem praestantissime **Dionysius** explicavit, qui docet, id primum, et antiquissimum, et maxime proprium habere Deum, ut sit; quem ideo vocat *ens vere exsistens, et omnia, quae sunt, exsistere faciens* (*ὄντως ὄν, τὲ τῶν ὄντων ἀπάντων οὐσιοποιόν*), atque *et τὸ esse temporum, et saeculum eorum, quae exsistunt* (*τὲ χρόνων ὀντότης, τὲ αἰὼν τῶν ὄντων*) [2], et ait: *Deus enim non quovis modo (οὐ πώς, aliquo modo) est ens (ὢν), sed simpliciter et infinite totum esse in se pariter complexus et anticipans; quam ob rem etiam Rex saeculorum nominatur, ut in quo et penes quem cujuslibet esse et sit et constet, et in quo nec erat, nec erit, neque factum est, neque fit, neque fiet, imo nec est* (scilicet datur, utpote qui supra esse finitum ac superessentialis exsistit); *sed ipse est esse rebus* (causa exsistendi), *et non tantum ea, quae sunt, sed ipsum esse rerum, ex proaeterno ente; ipse est enim aevum aevorum, exsistens ante omne aevum. — Et ante alias ejus participationes* (*πρὸ τῶν ἄλλων αὐτοῦ μετοχῶν*, quae simul possidet) *praesupponitur ipsum esse, et est ipsum per se esse antiquius, quam esse per se vitam, et per se sapientiam, etc.* [3]. Hanc Dionysii doctrinam ac sententiam illustrat, affirmatque **Maximus**, ejus interpres, qui *τὸ εἶναι* praecipuam et praestantissimam divinitatis notam esse asserit, a qua sibi nomen adscivit. *Hoc nomen*, ait, *imposuit sibi Deus, cum dixit: „Ego sum, qui sum": a quo idcirco consentanee laudatur ante alia, quae de ipso dicuntur, qualia sunt, nomen vitae, sapientiae et alia ejusmodi. Dicendo autem prius esse et supra esse, declaravit esse Dei carere principio, et penitus intelligentia comprehendi non posse, ut qui praedestinatione cognitionis suae ineffabilis praeproduxerit omnino esse omnia: hoc enim esse statim prima notione mens cogitat, postea hoc aut alio modo illa esse contemplatur* [4]. Id ipsum edisserit **Cyrillus Alex.**, quum docet, in Deo nil accidens esse, nam solummodo in ente necessario omnia necessaria sunt. *Simul ac intelligitur Deus*, inquit, *etiam omnia, quae illius sunt, intelliguntur; neque ullum accidens in ipso*

---

[1] *Or.* 36. Opp. T. 1. c. 522. C. D.

[2] *De div. nomin. c. 5. §. 4.* Opp. T. 1. p. 690.

[3] *De div. nomin. c. 5. §. 4—5.* T. 1. p. 690 *s.*

[4] *Schol. ad. Dionys. Areop. De div. nomin. c. 5. §. 5.* Ib. p. 708.

potest intelligi [1]). Egregie de re nostra disputat quoque Hilarius, qui adductis verbis S. Scripturae: *Ego sum, qui sum:* et: *Haec dices filiis Israel: Misit me ad vos, qui est: Admiratus sum,* inquit, *plane tam absolutam de Deo significationem, quae naturae divinae incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo, quam esse, intelligitur; quia id ipsum, quod est, nec desinentis est aliquando, neque coepti: sed id, quod cum incorruptae beatitudinis potestate perpetuum est, non potuit aut poterit aliquando non esse; quia divinum omne neque abolitioni, neque exordio obnoxium est* [2]). Et iterum: *Deus et ubique est, et totus ubicumque est. Ita regionem intelligentiae excedit, extra quem nihil est, et cui est semper, ut semper sit* [3]). Quibus consona sunt, quae habet Hieronymus scribens: *Loquitur in Exodo Dominus: „Ego sum, qui sum". — Numquid solus Deus erat, et caetera non erant? Utique Angeli, coelum, terra, vel maria, et ipse Moses, cui Dominus loquebatur, et Israël, et Aegyptii, ad quos, et contra quos princeps et adversarius mittebatur, erant. Et quomodo nomen commune substantiae sibi proprium vindicat Deus? Illa, ut diximus, causa: quia caetera, ut sint, Dei sumsere beneficio. Deus vero, qui semper est, nec habet aliunde principium, et ipse sui origo est, suaeque causa substantiae, non potest intelligi aliunde habere, quod subsistit* [4]). Ambrosius non tam nomen Dei, quam rem seu essentiam in illo Exodi loco expressam esse putat. *Moyses,* inquit, *volens proprium Dei, et aliquid de eo speciale cognoscere, quod non esset commune cum coelestibus potestatibus, interrogavit: Quod est nomen tuum? Denique cognoscens mentem ejus Deus, non respondit nomen, sed negotium; hoc est, rem expressit, non appellationem dicens: „Ego sum, qui sum," quia nihil tam proprium Dei, quam semper esse* [5]). Idem tradit non semel Augustinus, qui Deum proprie dici vult essentiam, non substantiam.

---

[1]) *De Trinit. Dial.* 2. Opp. T. 1. p. 421.

[2]) *De Trinit. l. 1. n. 5.* Opp. T. 2. c. 4.

[3]) Ib. *l. 2. n. 6.* T. 2. c. 30.

[4]) *In Epist. ad Ephes. 3, 14—15.* Opp. T. 7. c. 600 s. Cf. *Epist. 15. ad Damas. n. 4.* T. 1. c. 40 s.

[5]) *Enarr. in Ps. 43. n. 19.* Opp. T. 1. c. 896.

Est tamen (Deus), ait, *sine dubitatione substantia, vel si melius hoc appellatur, essentia, quam Graeci οὐσίαν vocant. Sicut enim ab eo, quod est sapere, dicta est sapientia, et ab eo, quod est scire, dicta est scientia: ita ab eo, quod est esse, dicta est essentia. Et quis magis est, quam ille, qui dixit famulo suo Moysi: „Ego sum, qui sum"; et dices filiis Israel: „Qui est, misit me ad vos"* [1]. Ac paulo post: *Quod enim mutatur, non servat ipsum esse; et quod mutari potest, etiam si non mutetur, potest, quod fuerat, non esse: ac per hoc illud solum, quod non tantum non mutatur, verum etiam mutari omnino non potest, sine scrupulo occurrit, quod verissime dicatur esse* [2]. Et alio loco: *Quid est, quod est? Quod aeternum est. Nam quod semper aliter, atque aliter est, non est, quia non manet. Non omnino non est, sed non summe est* [3]. Tandem idem docet Gregorius Mag., qui ad verba Jobi: *„Ipse enim solus est"*, quaerit: *Cur, cum omnia crearerit Deus, ut essent, solus esse dicatur?* ac respondet: *Sed aliud est esse, aliud principaliter esse; aliud mutabiliter, atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim haec omnia, sed principaliter non sunt; quia in semet ipsis minime subsistunt, et nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt* [4]. Quin imo eadem non tantum apud Judaeos, sed et gentiles philosophos, qui illa, etsi non invenerant, tamen lubenter admiserunt, deprehenduntur [5]. — Quando autem antiqui Patres Deum οὐσίαν esse negant: solummodo id asserere volunt, Deum non, ut caetera, quae dicuntur esse, definitam ac determinatam rationem entis

---

1) *De Trinit. l. 5. c. 2. n. 3.* Opp. T. 8. c. 833. Sub substantia Augustinus cum aliis veteribus Scriptoribus intelligit id, quod accidentibus subjectum quoddam, ut esse valeant, subministrat. Unde cum in Deo nullum sit accidens: ideo proprie substantiam illi non tribuendam esse, sed potius essentiam docet. Cf. *De Trinit. l. 7. c. 5. n. 10.* T. 8. c. 860 s. *Enarr. in Ps. 134. n. 4.* T. 4. c. 1494 s. *Enarr. in Ps. 101. Serm. 2. n. 10.* c. 1107. *De cognit rer. rit. c. 3.* Inter opp. Augustin T. 6. Append. c. 170.

2) *De Trinit.* l. c.

3) Cf. *Serm. 6. n. 4. 7. n. 7.* T. 5. c. 38. 40. Cf. *Tract. 39. in Joan. n. 105.* T. 3. P. 2. c. 559 s. *De fid. et Symb. c. 4. n. 6—7.* T. 6. a. 154 s. etc.

4) *Moral. l. 16. c. 37. n. 45.* Opp. T. 1. c. 518. Cf. *l. 18. c. 50. n. 82.* c. 596. — Bernard. *De consider. l. 5. c. 6.* Opp. V. 1. c. 456. *In Cant. Serm. 31. n. 1.* Ib. c. 1384.

5) Cf. Petav. *De Deo, Deiq. propr. l. 1. c. 6. n. 4—6. De theol. dogm.* Antverp. 1700. T. 1. p. 51 s.

obtinere, sed supra omnia, quae in mundo exsistunt, et omnem essentiam creatam eminere, non intra illam contineri. Ita manifeste intelligendus est Dionysius, cum ait: *Supra substantias est illa supersubstantialis infinitas; et supra mentes illa supra mentem unitas; et omnibus ratiocinationibus inscrutabile est illud supra ratiocinationem unum; omnique verbo ineffabile est illud supra verbum unum; unitas effectrix universae unitatis, et substantia supra substantiam, et mens non cadens sub intelligentiam, ratio non effabilis, ratione, intelligentia nomineque vacans, nullius rei similitudinem habens: quae quidem causa est, ut omnia sint, ipsa vero non est, ut quae quiescit extra omnia, quae sunt, quemadmodum etiam ipsa de se proprie scileque haec effari potest* [1]). Nec non Maximus, cum inquit: *Si essentia, οὐσία, dicatur ab esse, esse autem inserat sensum cujusdam derivationis, utique essentia non proprie de Deo dici poterit; quoniam Deus omnem superat essentiam, cum nihil sit eorum, quae sunt, sed supra illa, quae sunt, utpote ex quo exsistunt* [2]). Et iterum: *Cum ens de Deo dicitur, est supra totum id, quod est, collective sumtum; hoc enim vocat supraessentiale, pro supra ens creatum; ens enim est essentia, quoniam ab esse nomen essentia deducitur. Deus itaque, tamquam qui sit supra ipsum esse (quoniam esse declarat* (Dionysius) *ab aliqua causa in rerum naturam productum esse), superessentialiter exsistere intelligitur* [3]). Idem confirmat Joannes Damascenus, qui, quid Deus sit secundum essentiam ac naturam, comprehendi non posse, scribit [4]), atque deinde definite ait: *Neque enim aliquid est eorum, quae sunt; non ut nullatenus sit, sed quia supra omnia, quae sunt, atque etiam supra ipsummet esse ipse sit* [5]). Atque etiam Augustinus, qui pari modo essentiae seu substantiae finitae de Deo omnem affirmationem excludit, cum ait: *Excedat cor vestrum omnia usitata, et excedat intentio universas cogitationes vestras solennes ex carne, eductas a sensibus carnis, et imaginantes nescio quae phantasmata. Totum ab animo rejicite, quidquid occurrerit, negate; cognoscite infirmitatem cor-*

---

1) *De div. nomin. c. 1. §. 1.* Opp. T. 1. p. 439.

2) *Schol. in c. 1. §. 1. Dion. De div. nom.* Ib. p. 456. Cf *In c. 5. §. 1.* p. 702.

3) *In c. 5. §. 4. De div. nomin.* p. 705.

4) *De fid. orthod. l. 1. c. 4.* Opp. T. 1. p. 127.

5) Ib. p. 127 s.

dis vestri, et quidquid occurrerit, quod cogitare possetis, dicite: Non est illud; non enim, si illud esset, mihi jam occurrisset [1]). Clarissime autem omnium edisserit Gregorius Naz., qui habet: *Reputantes Deum omnium, quae sunt, pulcherrimum et sublimissimum esse (nisi quis tamen malit eum supra omnem essentiam ponere, aut in ipso, quidquid est, collocare: utpote a quo alia quoque* (quaeque), *ut sint, acceperint)* [2]). Hinc et velut *pelagus quoddam essentiae immensum et interminatum* Deum adpellat [3]); quod universe, infiniteque ipsum esse, non ejus formam aliquam aut particulam possideat, atque vere ac proprie sit, non autem ut res creatae exsistat, quae ex nihilo sunt, et in nihilum abeunt, ac solo Dei beneficio consistunt, atque ideo proprie ac vere non sunt. — Quamvis autem essentia et substantia, cum de creatis rebus usurpantur, illis omnibus notionibus ac proprietatibus implicatae sint, quae imperfectum aliquid habent, indignumque Deo: nihil tamen prohibet, quominus utrumque vocabulum, absolutum ab illa faece, ac sincerum Deo possit attribui; ut nec derivationem ac manationem intelligamus ullam, neque certum, definitumque genus entis, quod in essentiae nomine cavendum veteres arbitrati sunt; neque porro mutationem ex vicissitudine accidentium, quam iidem in substantiae voce reformidant. Sed in essentiae quidem usu nil sumamus praeter simplicem exstantiam rei, et ab eo, quod est nihil, sejunctionem ac recessum; in substantia vero hoc solum, quod est esse per se, neque alienis adminiculis, ut sit, indiget. Ita non solum proprie Deo, sed excellenti quadam ratione ambae congruent; quia solus ita est, ut cum nihilo commercium habeat nullum, et caetera, quae ab nihilo ducta, et in nihilum reditura sunt, si Deus siverit, infinite superat, quum e nullo ente pendeat, sed ita sit, ut plane non esse non possit. Quod pulchre enuntiat Anselmus, ubi ait: *Deus enim est id, quo majus cogitari non potest. Quod qui bene intelligit, utique intelligit, id ipsum sic esse, ut ne cogitatione queat non esse. Qui ergo intelligit sic esse Deum, nequit eum non esse cogitare* [4]). Quamobrem quod in caeteris proprietatibus usuvenit, quae creatis ex rebus mutuata

[1]) *Enarr. 2. in Ps. 26. n. 8.* Opp. T. 4. c. 122.
[2]) *Or. 12.* Opp. T. 1. c. 178. C.
[3]) *Or. 38.* Ib. c. 546. B.
[4]) *Proslog. c. 4.* Opp. p. 31. c. 1. Cf. Thom. Aq. *Cont. Gent. l. 1. c. 22.*

similitudine quadam in Deum transferuntur; id etiam in essentia, substantiaque fieri convenit, uti pro eo, ac divinitate dignum est, huic illa tribuantur, omni et mutationis et accidentis conditione detracta [1]).

4. Denique Deum ceu mundi universi, tam physici quam moralis, auctorem omnipotentem, atque sanctissimum ac sapientissimum Rectorem a revelatione Christiana tum juxta SS. Litteras, utpote quae hanc doctrinam in quavis fere pagina continent ac inculcant [2]), tum ex fide Ecclesiae, quae illam ubique in libris suis symbolicis aeque ac in suo cultu publico palam profitetur, exhiberi, a nemine in dubium vocatur, quin imo tamquam dogma religionis Christi quam maxime proprium ab omnibus admittitur.

Inde autem patet, quam exigui nos simus et viles, quantamque debeamus reverentiam tanto Numini, cum infinitam ejus majestatem consideramus. Seraphim alis velant faciem coram eo, nec cessant unquam laudare nomen ejus. Quanto magis nos oportet cum multo tremore ad eum accedere, et magno studio in laude ejus versari. *Illius magnitudo,* ait Augustinus, *sine fine est, et tua laudatio sine fine sit* [3])? Haec itaque sit nostra sententia: *Nihil,* ut quidam alius scribit, *supra Deum, nihil praeter Deum, nihil post Deum, sed omnia propter Deum.*

Observatio 1. Notionem Dei in libris N. T. perfectissimam dari, certum est; etiam notionem Dei in libris A. T. exhibitam perfectam esse, negari non potest, atque notionibus, quas philosophi proposuerunt, longe superiorem. Occurrere autem in S.

Opp. T. 18. p. 22 *ss.* et *1. q. 3. art. 4.* T. 20. p. 17 *s.* — Richard. a S. Vict. *De Trin. l. 1. c. 4.* Opp. Rothom. 1650. p. 218. c. 2.

[1]) Cf. Petav. *De theol. dogm. De Deo. l. 1. c. 6.* Antv. 1700. T. 1. p. 51 *ss.*

[2]) Gen. 1, 1. 14, 19. Exod. 20, 11. 1. Paral. 29, 11. Ps. 88, 12. 13. 95, 5. 101, 26. 103, 1 *ss.* 113, 15. 120, 2. 123, 8. 145, 6. Eccli. 1, 8. Is. 37, 16. 40, 12—14. 40, 26. 28. 42, 5. 44, 24. 45, 7. 12. 18. 48, 13. 51, 13. Ier. 10. 12—16. 32, 17. 14, 22. Bar. 3, 32. Jon. 1, 9. Zach. 12, 1. 2. Mach. 1, 25. 6, 28. Matth. 11, 25. 19, 4. Marc. 10, 6. Joan. 1, 3. Act. 4, 24. 14, 14. 17, 24. Rom. 11, 36. 1. Cor. 8, 6. Eph. 3, 9. 4, 6. Coloss. 1, 16. Hebr. 1, 2. 10. 3, 4. 11, 3. Ap. 4, 11. 10, 6. 14, 16. — Gen. 45, 5. Deut. 8, 18. Job. 12, 13 *ss.* Ps. 102, 19. 113, 3. 126, 1. Prov. 10, 22. 16, 4. 9. 19, 21. 20, 24. 21, 1. 30. Eccl. 3, 15. Sap. 12, 13. Is. 26, 15. 45, 7. Jer. 10, 23. 27, 5. Dan. 2, 21. 5, 18. Matth. 6, 33. 11, 26. 20, 14. Luc. 12, 31. Joan. 5, 17. Rom. 9, 16. 2. Cor. 3, 5. Philipp. 2, 13. Hebr. 13, 21. etc.

[3]) *In Ps. 144. n. 5.* Opp. T. 4. c. 1613.

Scriptura inprimis A. T. anthropomorphismos et anthropopathias, i. e. descriptiones a nostro corpore, aut affectibus humanis mutuatas, easque crassas, pariter haud negamus; neque id mirum ei videri potest, qui perpenderit, revelationem gradui culturae hominum, quibus proxime destinatur, se accommodare debere. Verumtamen cum in primis statim S. Scripturae libris omnis imago ac similitudo a rebus finitis sumta tamquam Deo inadaequata rejiciatur: clare colligitur, Scriptores sacros ejusmodi dicendi formulis sensualibus Deum limitibus circumscribere haudquaquam voluisse, sed hasce tamquam imagines ac symbola ab illo ipso bene distinxisse. Porro ipsae notiones in SS. Litteris exhibitae sat arguunt, descriptiones illas minime proprie esse accipiendas. Accedit, eas haud raro per ipsos SS. Scriptores directe tolli ac rescindi. Sic e. g. saepius legimus, Deum alicujus rei poenituisse, e contrario autem iterum expresse declaratur, *non esse Deum, quasi hominem, ut mentiatur; nec ut filium hominis, ut mutetur* [1]). Et sic porro [2]).

Observ. 2. Moysen nequaquam Deum tradidisse solum formidabilem, neque ad populum Israëliticum tantummodo pertinentem, ex locis citatis atque adhuc citandis clare cognoscitur, uberius autem in Archaelogia biblica ostenditur [3]).

Observ. 3. Quoad quaestionem, quam movent, in quonam proprie essentia Dei sit reposita, putamus, distinguendum esse inter essentiam physicam et metaphysicam. Essentia physica Dei sine disceptatione in toto eo, quod in Deo est, seu in cumulo omnium perfectionum divinarum reponenda est; quum in Deo, ut ente necessario, nil esse possit accidens. Methaphysica autem Dei essentia, seu id, quod a nobis primum in Deo concipitur, et ex quo tamquam fonte caeterae perfectiones omnes profluunt, in asseitate seu exsistendi necessitate consistere videtur. Nam in SS. Litteris haecce Deo tribuitur non eodem modo, quo aliae perfectiones, sed velut character expressus et differentia constitutiva. Porro etiam Patres communiter docent, verba Exodi: *Ego sum, etc.* explicantes, effato hoc Dei naturam inprimis significari. Et sane asseitas est, qua non tantum quam maxime Deus ab omni alio ente discernitur, sed et quae prima,

1) Num. 23, 19.

2) Cf. Job. 10, 4. Ps. 120, 4. etc. V. Kuhn, Kathol. Dogmatik. Tüb. 1846. 1. B. p. 307 ss.

3) Cf. Perrone, *Prael. theol.* ed. Lovan. 1838 ss. T. 2. p. 47 ss.

atque ceu omnium perfectionum divinarum fons et radix concipitur [1]). Alii tamen essentiam quoque metaphysicam in congerie perfectionum, alii vero rursus in intellectione actuali, vel etiam radicali (i. e. intelligendi potentia infinita) reponendam esse censent [2]). Caeterum quidquid sit, esse a se seu esse necessarium ad essentiam Dei physicam certo pertinet.

§. 4. Exsistentia Dei.

Exposita notione Dei, quam nobis revelatio divina in suo utroque fonte exhibet, restat, ut doctrinam de ejusdem Dei exsistentia, ejus unitate ac a mundo diversitate exponamus, atque contra atheos, si qui sint mentis adeo nefariae, vindicemus. Etenim num revera sint athei, inter Theologos litigatur. Veruntamen certum esse videtur, et ab omnibus admissum, atheos practicos utique esse, i. e. qui ita nequiter vivant, ac si Deus non esset, quemque velient non esse, quum ipsum suorum criminum justum vindicem ex intimo conscientiae sensu reformident. Porro evictum est, esse atheos speculativos indirectos, qui scilicet de Deo asserunt, quae cum ejus natura stare non possunt, vel idolis ac puris rebus creatis concedunt, quae soli Deo competunt ac propria sunt. Atheos autem speculativos directos, qui non tantum externe et contra intimum conscientiae sensum, sed interne et ex animo Deum esse negent, qui proinde vel ita sint mente perditi, ut vel nullum omnino in se religionis sensum habeant, vel saltem morum perversitate ita obscuratum, ut nulla vi naturae, nulla argumentorum efficacia ad Deum agnoscendum moveantur, nonnisi perpaucos esse, qui asserunt, sine dubio a vero haud procul absunt. *Sicut enim*, ut bene observat Augustinus, *magna pietas paucorum, ita et magna impietas nihilominus paucorum est* [3]). Quando autem S. Scriptura loquitur de hominibus, *in quibus non subest scientia Dei* [4]), *qui sine Deo fuerunt in hoc mundo* [5]), *qui non noverunt Deum* [6]): apertum est, de gentilibus sermonem esse, qui igno-

[1]) Cf. Thom. *1. q. 4. art.* 2. T. 20. p. 22 s. *1. q.* 2. *art. 6. b.* 19.

[2]) Cf. Wiest, *Inst. theol.* Ingolst. 1788. T. 1. p. 39 *s.* et Tournet. *Curs. theol.* Col. Agripp. 1722. T. 1. p. 58 *s.*

[3]) *Serm. 70. de. verb. Evang. c. 2. n. 3.* Opp. T. 5. c. 381.

[4]) Sap. 13, 1.

[5]) Ephes. 2, 12.

[6]) 2. Thess. 1, 8.

rarunt Deum verum et unicum, et iis servierunt, qui naturâ non sunt dii [1]). Apud ethnicos vero atheismi accusati fuerunt, quicumque a populari deorum cultu recesserunt. Hac de causa damnatus est ab Atheniensibus Socrates, et Anaxagoras impietatis postulatus, quod sublatis vulgaribus diis et religionibus popularibus, unum supremum Deum praedicarent, rerum omnium opificem et moderatorem. Quin et ipsi Christiani a gentilibus athei vocati sunt eo, quod falsos eorum deos colere recusarent.

Sententia jam, Deum exsistere, est dogma fidei Catholicae certissimum. Licet enim revelatio divina directe, eum esse, tam parum tradere queat, quam nobiscum colloquens affirmare, se exsistere, cum quilibet, qui revelationem admittit, jam aliunde de Dei exsistentia persuasus esse debeat: nihilo secius tamen revelatio saltem indirecte exsistentiam divinam docere potest, atque etiam reapse docet. Quod

A. vario modo praestant SS. Litterae, in quibus

1. diserte insipiens declaratur, qui Deum esse negat. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*[2]).

2. Docetur, Deum in suis operibus, seu rerum natura cognosci posse. *Interroga jumenta*, ait Jobus, *et docebunt te: et volatilia coeli, et indicabunt tibi. Loquere terrae, et respondebit tibi: et narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia haec manus Domini fecerit? In cujus manu anima omnis viventis, et spiritus universae carnis viventis*[3]). — Psalmista: *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam*[4]). Atque: *Scitote* (omnis terra), *quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, et non ipsi nos*[5]). — Sapiens: *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex. — A magnitudine speciei, et creaturae cognoscibiliter* (gr. *analogice*) *poterit creator horum videri*, i. e. ex magnitudine ac pulchritudine rerum creatarum

[1]) Cf. Gal. 4, 8.
[2]) Ps. 13, 1. Cf. Anselm. *Prosl.* c. 3. Opp. p. 30. c. 2.
[3]) Job. 12, 7—10.
[4]) Ps. 18, 2—3.
[5]) Ps. 99, 3. Cf. 96, 6.

poterit, comparando Creatorem cum creatura, effectum cum sua causa, auctor earum conspici, et in notitiam nostram venire, atque quanto sit ipse major, pulchrior, sapientior, etc., qui res ipsas fecit, cognosci [1]). Atque Paulus ad Lystrenses loquens: *Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit coelum, et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt: qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de coelo, dans pluvias, et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra* [2]). Et iterum in Areopago disputans: *Deus, qui fecit mundum, et omnia, quae in eo sunt, hic coeli et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia: fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum, quaerere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus* [3]). Atque tandem in epistola ad Romanos, ubi scribit, neminem excusari, qui Deum ignoret, utpote cum per mundum creatum necessario ad Deum ascendatur. *Quia quod notum est Dei,* inquit, *manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas: ita ut sint inexcusabiles* [4]).

3. Dei attributa, tum absoluta tum relativa, nec non ejusdem opera fere in quavis linea proponuntur, ut cuilibet SS. Litteras inspicienti patulum est.

4. Deum nonnisi unum esse, traditur [5]), ut statim ostendetur. Et tandem

5. diversae Dei adparitiones, miracula ab ipso patrata et vaticinia edita narrantur, atque *eum multifa-*

---

[1]) Sap. 13, 1. 5. Cf. Estius, *In 1. Sent. d. 3. §. 1.*

[2]) Act. 14, 14—16.

[3]) Act. 17, 24—28.

[4]) Rom. 1, 19—20. Cf. etiam 2, 24 s.

[5]) Cf. Deut. 6, 4. 31, 15 ss. Ps. 113, 1 ss. Sap. 13, 1 s. Rom. 1, 21.

riam multisque modis olim **loquentem patribus** *in Prophetis,* **novissime locutum esse nobis in** *Filio*, hujusque discipulis, seque tali ratione modo extraordinario hominibus indubitate cognoscendum exhibuisse, docetur. Nam si homo non potest certius exsistentiam suam probare, quam quum se praesentem exhibet, aut ea agit, quae praeter eum agere potest nemo: etiam Deus, quum variis modis cum hominibus communicavit, et opera patravit, quae nemo alius potest patrare, luculentissimum nobis praebuit suae exsistentiae testimonium.

B. Ita quoque **Ecclesia** semper, Deum, eumque unum esse firmissime tenuit, atque palam docuit; **SS. Patres** autem ac Theologi insuper varia argumenta quaesierunt, quibus fidem in Christianis confirmarent, vel vero infideles convincerent. Et quidem omnia argumenta, quae posterioribus temporibus a Theologis ad exsistentiam Dei evincendam sunt excogitata, apud veteres, jam adcuratius exposita, jam solummodo adumbrata, deprehendimus. Sic

1. idea, **Deum**, utpote ens perfectissimum, **necessitate exsistendi naturae suae interna exsistere**, ita ut ne cogitatione quidem exsistentia ab ejus essentia seu natura separari possit, **SS.** Patribus minime fuit incognita, quamvis eadem ad argumentum, ut ajunt, ex professo construendum usque ad Anselmum Cantuariensem usus sit nemo. Huc pertinent testimonia **Clementis Alex., Gregorii Naz., Dionysii, Maximi, Hilarii, Hieronymi, Augustini**, atque **Gregorii M.**, supra laudata, quibus edisserunt, Deum, eumque solum *vere, simpliciter, summe ac principaliter esse,* seu *esse per se habere,* ita ut *mutari omnino non possit,* imo *ipsum sic esse, ut neque potuerit, neque aliquando possit non esse.*

2. Maxime usitatum Patribus est illud argumentum, **quod ex universitatis adspectu et ejus partium dispositione, ac rata et constanti illius administratione sumitur.** Sic scribit **Athanasius**, ut Theophilum Antioch. [1]) omittamus, quemadmodum ex operibus saepe artifex, etiam absens, neque visus, agnoscatur, sic etiam ex mundi ordine et gubernatione ejus opificem Deum et conditorem intelligi, etsi corporis oculis usurpari nequeat, quod ipsum tradidisse Paulum Apostolum, tum ad Romanos scribentem tum apud Lycaonas

[1]) *Ad Autolic. l. 1. n. 5—6.* Opp. **Justin.** etc. p. 363 s. Cf. *Quaestion. Graec. q. 3.* Ib. p. 581.

verba facientem, dicit. *Ecquis enim*, inquit, *coeli ambitum solisque et lunae cursum, aliorumque siderum positiones et circumrectiones, contrarias quidem ac dissimiles, sed in ipsa dissimilitudine aequatem ordinem ab omnibus simul servatum intueri potest, quin secum cogitet, haec non a semetipsis, sed ab alio, nempe ab auctore, administrari et regi? Quis solem die exoriri et lunam nocte apparere, immutabilique lege per aequalem omnino dierum numerum decrescere et crescere, atque ex sideribus alia quidem discurrere cursusque varie immutare, alia vero inerrantia constanter moveri adspiciens, non intelligat, illa necessario ab opifice aliquo gubernari*[1]). Addit contemplationem inferiorum mundi partium, velut elementorum contrarias inter se qualitates et efficientias, annuarum tempestatum, quae admirabili et nunquam interrupta vicissitudine sibi succedant invicem, contrariarumque rerum, ex quibus inferior hic potissimum mundus texitur, concentum et harmoniam, cujus tanta vis sit, ut, licet contrariis ac perpetuo secum pugnantibus qualitatibus, naturisque constent, ac se invicem infestent, perseverent tamen in omnem temporum longinquitatem, nec altera consumat alteram et exstinguat. *Atqui non res illae*, pergit, *quae inter se pugnant, et contrariae sunt, se ipsas simul copularent, nisi aliquis superior et dominus eas colligaret, cui et ipsa elementa, tamquam servi hero, tam promte parent, cedunt et obtemperant, ut nullum eorum propriam naturam spectans alteri adversetur; sed singula Dominum colligantem agnoscentia, concordiam erga se servent, et quantumvis contraria sint natura, gubernantis voluntate incant amicitiam*[2]). Quod nisi esset, addit subinde, *nullus ordo* (κόσμος), *sed nil nisi confusio* (ἀκοσμία) *videretur: nil locum suum servaret, sed omnia perturbata forent; nihil consisteret, sed cuncta essent instabilia*[3]). Cum igitur tanta sit rerum non modo diversarum, sed etiam inimicissimarum consentiens et continuata temperatio; *cum nihil in universo incondite et turbide, sed omnia concinne compositeque et quam aptissime cohaereant: necesse est dominum, qui illa una congregarit, constrinxit et conciliarit, mente et cogitatione attingamus. Nam tametsi oculis non conspicitur, ex ordine tamen et concordia rerum contrariarum,*

[1]) *Con. Gentil. n.* 35. Opp. T. 1. p. 34.
[2]) Ib. *n.* 36—37. p. 34 s.
[3]) Ib. *n.* 37. p. 36.

earum moderator, rector et imperator intelligi facile potest. Etenim quemadmodum si civitatem ex multis atque diversis hominibus, pusillis et magnis, divitibus et pauperibus, senibus et adolescentibus, viris et mulieribus compositam, praeclare administrari et regi cerneremus, illosque, qui eam componunt, tametsi diversos, concordes tamen inter se esse, neque divites adversus pauperes, neque majores contra minores, aut juniores contra senes pugnare, sed omnes aequaliter pacem habere: si haec, inquam, videremus, plane intelligeremus, principis praesentiam hujus concordiae causam esse, etiamsi eum oculis non intueremur. Enimvero ubi ordo non est, sed confusio, argumento est, nullum ibi moderatorem esse; at ordo ducis et rectoris evidens signum est. Similiter cum in corpore membrorum inter se concordiam observamus, nec oculum auri adversari, nec manum cum pede dissidere, sed singula membra propria officia absque seditione persolvere: inde concludimus necessario, animam in corpore esse, quae illa regat, quamvis eam non videamus. Ita ergo ex ordine et harmonia universitatis Deum mundi Gubernatorem cogitemus necesse est [1]. — Brevius Gregorius Naz. sic illa omnia complexus est: *Etenim quod Deus sit,* inquit, *ac princeps quaedam causa, quae res omnes procrearit, atque conservet, tum oculi ipsi, tum lex naturalis docet: illi, dum rebus in aspectum cadentibus aciem affigunt, easque et pulchre fixas et stabiles esse, et progredi, atque immote, ut ita dicam, moveri, volvique perspiciunt; haec autem, dum per res oculis subjectas ac recto ordine collocatas auctorem earum conjectura quadam colligit atque assequitur. Quonam enim modo universa haec rerum moles vel producta unquam fuisset, vel consisteret, nisi Deus omnia in rerum naturam protulisset atque conservaret? Quemadmodum enim quispiam citharam pulcherrime confectam et elaboratam conspiciens, ejusque concinnitatem et constitutionem, aut etiam ipsius citharae cantum audiens, nihil aliud, quam ipsius citharae conditorem atque citharoedum mente reputat, atque ad eum cogitatione fertur, etiamsi de facie ignotum, eodem quoque modo qui res effecit, effectasque movet atque conservat, manifestus est, etiamsi mente minime comprehendatur. Ac nimis profecto hebes et stolidus est,*

1) Ib. *n. 38.* p. 36 *s.*

quisquis non hucusque sponte progreditur, naturaliumque demonstrationum vestigiis insistit [1]). — Gregorius Nyss. eum, qui Deum non esse dicat, docet, *ex iis, quae artificiose et sapienter in mundo administrantur, inductum iri, ut per ea fateatur, esse quamdam vim, quae in iis ostenditur, superior universitate* [2]). — Joannes Damascenus, Deum esse, ex rerum mutabilitate, conservatione et gubernatione atque ordinato situ demonstrat. *Omnia, quae sunt,* ait, *aut creata sunt aut increata. Si creata, utique et mutabilia sunt. Quorum enim esse a mutatione incipit, ea mutationi quoque subsint necesse est, sive intereant, sive per voluntatis actus alia atque alia fiant. Sin autem increata, sequitur profecto, ut et mutari nequeant. Quorum enim esse contrarium est, horum etiam modus, quo sunt, proprietatesve contrariae sunt. Ecquis ergo hoc nobis non assentiatur, omnia, quae sunt, mutabilia esse? — Cum ergo mutabilia sint, sane etiam creata esse oportet. Si vero creata, haud dubium, quin ab aliquo opifice sint condita. Atqui Creatorem increatum esse necessum est. Nam si ipse quoque creatus est, a quodam profecto creatus erit, sicque donec ad aliquod increatum venerimus. Increatus igitur cum sit ille conditor, omnino nec mutabilis est. Hoc autem quid aliud, nisi Deus fuerit? Porro ipsa quoque rerum creatarum compages, conservatio atque gubernatio nos docent, Deum esse, qui universum hoc coagmentarit, sustentet et conservet, eique provideat. Qui enim fieri potuisset, ut inter se pugnantes naturae, ignis, inquam, et aquae, aëris et terrae, ad unius mundi constitutionem coirent, tenacique adeo nexu cohaererent, ut nulla ratione solvi possint; nisi omnipotens vis aliqua ea compaginasset, ac perpetuo a dissolutione servaret? — Quid est, quod ea, quae in coelo, et quae in terra exsistunt, quaeque aërem pervagantur, et quae in aquis degunt; imo etiam quae his anteriora sunt, coelum, terram et aërem, ignis quoque et aquae naturam certis disposuit locis? a quonam commixta haec sunt et distributa? quid est, quod motum his impressit, perennique, nec ulla re cohibito cursu ea versat? Annon eorum artifex, qui rebus omnibus rationem mo-*

[1]) *Or.* 34. Opp. T. 1. c. 476. C. D.

[2]) *Praef. Or. cat.* Opp. T. 3. p. 44.

dumque, quo universum hoc agatur, et regatur, indiderit? At quis horum artifex? Annon is, qui ea condidit, inque rerum naturam produxit? Nec enim τῷ αὐτομάτῳ, seu casui, eam vim facultatemque tribuerimus. Sit enim sane casus, quod exstiterint: at cujus tandem erit ea disposuisse? verum illud quoque, si lubet, concedamus: cujus autem erit eadem juxta illas, quibus primum condita sunt, leges conservare et custodire? Alterius profecto, quam casus; atque hoc quidnam aliud sit, nisi Deus? [1]) — Basilius, jam consideratione ipsius hominis, ex anima et corpore constantis, Deum cognosci, docet, tametsi nullis discernatur sensibus. *Diligens tui ipsius*, inquit, *contemplatio satis te deducet in Dei cognitionem. Nam si attenderis tibi ipsi, nil opus erit ex universorum structura ipsum opificem investigare, sed in teipso, velut in concinno quodam rerum summario, magnam conditoris tui sapientiam contuebere* [2]). — Ex consideratione generis humani exsistentiam Dei colligit Theodorus Abucara, Joannis Damasceni, ut quidam opinantur, discipulus. *Omnis numerus*, ait, *qui recipit accessionem, finem quoque recipit, numerus igitur hominum accessionem recipiens, finitus est, quamvis nos, quantus sit, ignoremus, sed ponamus brevitatis et declarationis gratia, omnes homines esse centum, fieri non potest, ut hi omnes fuerint geniti, alii quidem ex aliis ortum ducunt, sed mens rationem ortus et originis sursum revocans, omnino ad unum non genitum evadit, cum enim ad primum devenerit, non potest dicere, ex alio ortum esse, quia et ille alius ex alio item generatus esset, donec in primo mens consistat fixa, necesse igitur est ex terra natum esse hunc instar arborum, aut aeternum esse, aut ab aliquo creatore factum esse. Sed si e terra ortus fuisset, adhuc usque in hodiernum diem alios terra procrearet, sicut fit in genere arborum et herbarum, at quia hoc non fieri videmus, manifestum est, neque primum procreasse. Sed nec aeternus erat. Si enim principio caruisset, essetque aeternus, nunquam mortuus fuisset, neque interisset. Quod enim principium non habet, neque finem habet. Relinquitur igitur, ut factus fuerit, quod factum est, auctorem habet, est igitur Creator, et auctor hominum*

[1]) *De fid. orthod. l. 1. c. 3.* Opp. T. 1. p. 126.
[2]) *Hom. in illud: Attende tibi n. 7.* Opp. T. 2. p. 23.

Deus [1]. — Tertullianus ait: *Habet Deus testimonia, totum hoc, quod sumus, et in quo sumus* [2]. — Lactantius: *Nemo est tam rudis, tam feris moribus, qui oculos suos in coelum tollens, tametsi nesciat, cujus Dei providentia regatur hoc omne, quod cernitur, non aliquem tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione; nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, consilio majori aliquo sit instructum* [3]. — Augustinus: *Mundus ipse*, ait, *ordinatissima sua mutabilitate et mobilitate et visibilium omnium pulcherrima specie quodam modo tacitus, et factum se esse, et nonnisi a Deo et ineffabiliter atque invisibiliter magno, et ineffabiliter atque invisibiliter pulchro fieri se potuisse, proclamat*[4]. Et alio loco, irridens eos, qui, quæ sensibus non attrectant, nolunt credere, præsertim Deum, qui non oculis, sed ex operibus videatur: *Non video*, ait, *inquit* (incredulus)*: quid crediturus sum? Anima enim tua videtur, ut opinor? Stulte, corpus tuum videtur: animam tuam quis videt? Cum ergo corpus tuum solum videatur, quare non sepeliris? Miratur, quia dixi: Si corpus tantum videtur, quare non sepeliris? Et respondet (sapit enim ad hoc): Quia vivo. Unde scio, quia vivis, cujus animam non video? Unde scio? Respondebis: Quia loquor, quia ambulo, quia operor. Stulte, ex operibus corporis agnosco viventem, ex operibus creaturae non potes agnoscere Creatorem?*[5]. — Boëthius: *Mundus hic ex tam diversis, contrariisque partibus in unam formam minime convenisset, nisi unus esset, qui tam diversa conjungeret; conjuncta vero naturarum ipsa diversitas, invicem discors dissociaret atque divelleret; nisi esset unus, qui quod nexuit, contineret. Non tam vero certus naturae ordo procederet, nec tam dispositos motus, locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicaret, nisi unus esset, qui has mutationum varietates*

[1]) *Opusc. 3. Bibl. max. PP.* Lugd. T. 16. p. 733. D. E.

[2]) *Adv. Marcion. l. 1. c. 10.* Opp. V. 2. p. 156. Cf. *c. 13 s.* p. 158 s.

[3]) *Div. instit. l. 1. c.* 2. Opp. T. 1. p. 8 s.

[4]) *De civ. D. l. 11. c. 4. n.* 2. Opp. T. 7. c. 274. Cf. *l. 8. c. 6.* c. 194 s.

[5]) *Enarr. in Ps. 73. n. 25.* Opp. T. 4. c. 781.

manens ipse disponeret. Hoc quidquid est, quo condita maneut, atque agitantur, usitato cunctis vocabulo Deum nomino[1]). — Idem argumentum postea quoque Theologi scholastici tractarunt, quorum omnium loco solus Richardus Victorinus audiatur, qui Deum exsistere demonstrat ad hunc fere modum. Omne, quod est, vel ab æterno est, vel ex tempore coepit esse. Itemque vel a semetipso est, vel ab alio. Ex quo triplex oritur modus, quo est aliquid. Aut enim est ab aeterno et a se ipso, aut e contrario neque ab aeterno neque a se ipso; aut ab aeterno, sed non a se ipso. Nam quod tertio huic oppositum est, a se ipso esse non ab aeterno, nihil omnino est. Quippe *nihil omnino potest esse a semetipso, quod non sit ab aeterno. Quidquid enim ex tempore esse coepit, fuit, quando nihil fuit. Sed quamdiu nihil fuit, omnino nihil habuit, et nihil potuit. Nec sibi ergo, nec alteri dedit, ut esset, vel aliquid posset. Alioquin dedit, quod non habuit, et fecit, quod non potuit.* Jam vero ex illis tribus generibus, quod secundum est, ut nec ab aeterno sit, nec a semetipso, quotidie oculis videmus. Nam innumerabilia nascuntur et intereunt. Primum autem, quod ab aeterno est a semetipso, id est, a nullo alio, certa ratione conficitur. *Nam si nihil a semetipso fuisset, non esset omnino, unde ea exsistere potuissent, quae suum esse a semetipsis non habent, nec habere valent. Convincitur itaque, aliquid esse a semetipso, et eo ipso (uti jam dictum est) et ab aeterno; alioquin fuit, quando nil fuit, et tunc quidem futurorum nihil futurum fuit: quia qui sibi, vel aliis initium exsistendi daret, vel potuisset dare, tunc omnino non fuit.* Porro illud, quod ex aeterno est et a semetipso, esse Deum, sic deinde concludit: *In tanta multitudine rerum exsistentium, et tam multiplici differentia graduum esse oportet aliquid summum. Summum vero omnium dicimus, quo nihil est majus, nihil melius. Absque dubio autem melior est natura rationalis, quam natura irrationalis. Oportet itaque ut aliqua rationalis substantia sit omnium summa. — Non potest autem hoc ipsum, quod est, a suo inferiori accipere.* Quare a se ipsa, non ab alia, habet, ut sit. Proinde summum illud, quod a nullo habet, ut sit, sed a semetipso est, et a quo sunt omnia, summum est esse, h. e. summa essentia, adeoque omnis essentia, omnis potentia, omnis sapientia, quoniam ab illo ceu fonte manant omnia[2]).

[1]) *De consol. l. 3. pros. 12.* p. 70.

[2]) *De SS. Trinit. l. 1. c. 6—12.* Opp. Rothom. 1650. p. 219—220.

Quapropter et, quum revelatio divina *humanae mentis aciem*, ut loquitur **Catechismus Rom.**[1]), *ita exacuerit, ut in coelum nullo labore penetrare possit, atque divino splendore collustrata, primum quidem aeternum ipsum luminis divini fontem, deinde quae infra ipsum posita sunt, intueri;* dum ratio sibi relicta *ab iis, quae sensibus percipiuntur, paulatim progressa non nisi post longos labores, vix tandem invisibilia Dei contemplatur, primamque omnium rerum causam et auctorem agnoscit atque intelligit: recte fideles, se vocatos esse de tenebris in admirabile lumen, quod est apud Apostolorum Principem, cum summa animi jucunditate experientes, primo se in Deum credere profitentur;* atque recte ab Ecclesia docente in omnibus Symbolis, sive in Conciliis oecumenicis sive extra eadem confectis, primus fidei articulus, *Credo in Deum,* collocatus occurrit.

C. Revelationi quoque rationem prorsus assentiri, atque summa, quae postulari potest, certitudine ac evidentia ex notione seu natura entis perfectissimi, porro ex exsistentia contingenti utriusque mundi atque ordinis in hoc conspicui, physici scilicet et moralis, nec non ex consensu omnium gentium ac populorum exsistentiam Dei demonstrare, in Theologia generali[2]) ostendimus.

Observ. 1. In Theologia generali pariter adnotavimus, Theologos inter se haud convenire, utrum cognitio Dei nobis ingenita sit, et a natura intime impressa, seu immediate ab uno naturae auctore Deo animis nostris indita, ita ut ex sola terminorum seu notionum apprehensione mens sana et attenta intelligat, Deum esse, eo ipso modo, quo statim ac sine praevio discursu e. g. concipimus veritatem, impossibile esse, ut idem simul sit, et non sit, atque illud, *alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis*; an vero nonnisi praevio discursu ac ratiocinio, facili quidem et unicuique obvio, cognitio Dei haberi queat. Neque controversia haec ad fidem spectat. Nos pro concessa nobis in ejusmodi rebus libertate arbitramur, ideam Dei, licet menti nostrae valde prope adsit, tamen eidem a natura impressam non esse; quum ipsa manifeste intuitiva non sit, sed potius abstracta; atque quia cognitioni a natura insitae nemo dissentit ac reluctatur, quod tamen in idea Dei obtinere, experientia contestatur. Qui autem sententiam contrariam[3]) in locis S. Scripturae supra laudatis deprehendisse sibi videntur: aperte oculis hac opinione praeoc-

[1]) Ed Vienn. 1833. p. 13.

[2]) Cf. *P. 1. §. 3—9.* p. 52.—70.

[3]) Cf. Kuhn, Kathol. Dogmatik. Tüb. 1846 p. 301 s. 318 s.

cupatis nimium indulgent [1]). Patrum vero testimonia facile de mediata quoque Dei cognitione intelligi possunt, idque eo magis, quum et ipsi illa hoc sensu exponant[2]).

Observ. 2. Porro ibidem quoque observavimus, quid sentiendum sit de sententia illa, demonstrationem de Dei exsistentia stricte talem fieri non posse, aut saltem nullam esse instituendam [3]); simulque errores sententiae nostrae oppositos, atheismum, ideotheismum, autotheismum, pantheismum ac deismum confutavimus, quos modo, dogmate Catholico demonstrato, totidem sententias haereticas esse, conspicimus [4]). Ex iis autem, quae hic atque etiam ibi jam diximus, quoque colligitur, quam falso adstruatur, sententiam, quae negat, Dei exsistentiam posse demonstrari, in SS. Litteris tradi, atque etiam ab Ecclesia teneri; quum illae, ut ex testimoniis laudatis patet, recte contrarium doceant, atque haec pari ratione semper id ipsum professa est. Et sane, si inficias itur, Dei exsistentiam demonstrari posse: statui debet, et revera etiam a patronis hujus sententiae statuitur, ante revelationem admissam solo libero voluntatis decreto exsistentiam Dei credendam esse [5]), aut mentem nostram veritatem sententiae, Deum exsistere, immediate perspicere, aut vero sibi immediate Dei esse consciam. Ast sententiâ primâ admissâ, errores omnes, etiam absurdissimi, pro veris haberi debebunt; alterum certo, ut cuilibet sensus intimus testatur, non obtinet; et tertium pantheismum sapit, quum aperte mens nonnisi sui ipsius, vel quod secum unum, idemque est, immediate conscia esse queat. Accedit, sententiam, Deum ab intellectu humano per solas naturae vires videri posse, in Conc. Viennensi esse proscriptam [6]). — Ex altera parte autem certissimum est, quod item alia occasione fassi sumus [7]), ideam seu cognitionem Dei in mente hominis immediata ac superna-

[1]) Ita quoque Eccli. 1, 16. ubi de timore Dei concreato cum fidelibus Scriptor sacer loquitur, huc non pertinere, per se patuium est.

[2]) Cf. Tertull. *Cont. Marcion. l. 1. c. 10.* Opp. V. 2. p. 156. — Theophil. Antioch. *Ad Autol. l. 1. n. 5.* Opp. Justin. p. 363. — Tatian. *Cont. Graec. n. 4.* Ib. p. 260.—Hieronym. *Comm. in Epist. ad Gal. c. 1.* Opp. T. 7. P. 1. c. 391. et *c. 3.* 2. c. 419.—Augustin. ii. s. cc.

[3]) Ib. §. *9. Obs. 1.* p. 70 s.

[4]) Ib. §. *10—13.* p. 73—78.

[5]) Cf. Kuhn, op. c. p. 444.

[6]) *De haeret. n. 5.* Cf. Baii, *Summ. Conc.* Par. 1659. T. 1. p. 342. — Adeoque non tam manifeste a vero aberrant (Cf. Kuhn, op. c. p. 450.) Perrone, Günther, Baltzer, etc., qui sententiam de immediata Dei cognitione pantheismi nomine suspectam habent.

[7]) Cf. *Theol. gener. P. 1. §. 14. Obs. 1.* p. 34 s.

turali revelatione divina excitatam, et per historiam seu traditionem propagatam esse [1]).

§. 5. Unitas Dei.

Probatâ exsistentiâ Dei, sponte sua ac necessario consequitur ejus unitas, seu non plures, sed unum tantum naturâ et substantiâ esse Deum; nam, ut recte Tertullianus scribit, *Deus si non unus est, non est, quia dignius credimus non esse, quodcumque non ita fuerit, ut esse debebit* [2]). Dicimus autem unum Deum in ea strictissima significatione, quae cujuslibet aequalis consortium excludit, ita ut Deus non tantum specie naturae ejusdem, sed et numero unus ac singularis sit.

Unitatis Dei infensi hostes exstitere Gentiles et inter Christianos haeretici nonnulli. Gentiles, idolorum cultui addicti, innumeros fere venerabantur deos. Ex haereticis alii, ut Gnostici, plures induxerant deos, quos Aeones vocabant, genealogias et conjugia eorumdem fingentes [3]). Alii vero, ut Manichael, duos deos admittebant, seu duplex rerum omnium principium, bonum et malum, utrumque ingenitum, aeternum, attamen alterum alteri adversum, illud boni omnis ac rerum invisibilium auctorem, hoc omnis mali atque rerum sensibilium et materialium causam, porro hoc veteris atque illud novae Legis conditorem. Hinc duo regna, alterum lucis, tenebrarum alterum; indeque continuae in hominum vita bonorum, malorumque vicissitudines [4]). Alii tandem tres divinas personas non solum relatione, sed naturâ ac substantiâ realiter distinctas affirmarunt, Tritheistae propterea dicti.

Esse autem unum et unicum naturâ Deum, solum verum, solum vivum et immortalem, non tantum

A. innumera SS. Litterarum tum V. tum N. T. loca praedicant, sed hoc primum et fundamentale dogma est utriusque, tam Mosaicae quam Christianae religionis. Hinc

1. Moyses statim ab initio Pentateuchi et deinceps Deum unum exhibet Creatorem coeli et terrae, eumdemque solum cuncta pro suo liberrimo ac sapientissimo consilio regentem ac moderantem. Porro primum Legis praeceptum est: *Ego sum Dominus Deus tuus. — Non habebis deos alienos. Non*

[1]) Cf. Staudenmaier, Die christliche Dogmatik, Freib. 1844. 1. Theil p. 7.
[2]) *Adv. Marcion. l. 1. c. 3.* Opp. V. 2. p. 148.
[3]) Cf. Fritz, Ketzerlexikon. Würzb. 1828. 2. B. 2. A. p. 17 ss.
[4]) Cf. Id. 3. B. 1. A. p. 245 ss.

facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in coelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra[1]). Inprimis autem Deuteronomio id ipsum Moyses gravius et crebrius inculcat, ne ipso vitâ defuncto Judaei communi populorum depravatione corrumperentur. Postquam enim prohibuerat, ne Israëlitae hominum imagines haberent aut animalium, atque eos ab astrorum cultu absterruerat, paucis interjectis, ita concludit: *Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in coelo sursum, et in terra deorsum, et non sit alius*[2]). Quod inferius his verbis repetit: *Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est*[3]). Atque inde officium Deum ex toto corde super omnia diligendi, eique omnem vitam mancipandi infert[4]). Et iterum nomine Dei ad populum Israëliticum ait: *Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me*[5]). Huc quoque pertinent varia instituta, ut una urbs sancta, unum templum, unum altare, unum sacerdotium, etc., ideo tantum a Moyse ordinata, quo certius fides in unum Deum inter Israëlitas conservaretur.

2. Id ipsum tradiderunt Prophetae, quorum una vox est, unum esse Deum vivum et verum, et vana esse numina gentium omnia. Quod in illorum scriptis, quemadmodum et in Psalmis, aliisque V. T. libris, centies repetitur, ita ut nihil sit apertius. *Quoniam quis Deus,* ait Psalmista, *praeter Dominum? aut quis Deus praeter Deum nostrum*[6]). Et iterum: *Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus*[7]). — Siracides: *Unus est altissimus Creator omnipotens, et Rex potens, et metuendus nimis, sedens super thronum illius, et dominans Deus*[8]). — Isaias: *Ego primus et novissimus, et absque me non est Deus*[9]).

3. Idem tandem docuit Christus, idem gentibus praedicarunt Apostoli. Legisperito enim interroganti, quodnam es-

[1]) Exod. 20, 2—4. Cf. 3, 14.

[2]) Deut. 4, 15—39.

[3]) Ib. 6, 4.

[4]) Ib. 6, 5. Cf. 6, 1—3. 4, 23 ss. 7, 9 ss.

[5]) Ib. 32, 39.

[6]) Ps. 17, 32.

[7]) Ps. 85, 10. Cf. 82, 19. 113, 3 ss. Sap. 12, 13. 13, 1—15, 19. 1. Reg. 5, 1 ss. 2. Reg. 7, 22. 3. Reg. 8, 60. 18, 37. Tob. 8, 19. 13, 4.

[8]) Eccl. 1, 8. Cf. 11, 4. 36, 5.

[9]) Is. 44, 6. Cf. 44, 24. 36, 16. 43, 10. 11. 45, 5—7. 46, 9. Jer. 2, 26 ss. 10, 1 ss. Os. 13, 4. Mal. 2, 10.

set primum omnium mandatum, respondit divinus **Salvator**: *Quia primum omnium mandatum est: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est: et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc.*[1]). Et alia occasione ait: *Haec est vita aeterna: Ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum*[2]). **Paulus** autem scribit: *Scimus, quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus*[3]).

B. Hanc porro veritatem nullo non tempore omnium Christianorum animis fuisse impressam, atque a magisterio ecclesiastico traditam, res tam certa est, ut probatione vix indigeat. Etenim

1. SS. **Patres** non tantum ubique Deum unum profitentur, sed et adversus Gentiles nullum argumentorum genus omittunt, ut quos ex fidei principiis convincere haud poterant, ratione ad Deum verum adducerent. Et quidem

a. unitatem **Dei ex ipsa ejusdem idea**, quae nobis insit, quaeque non tantum idea Dei, sed Dei unius est, demonstrant. Et revera mens nostra, quae pro sua indole necessario ad unitatem tendit, omnem deorum pluralitatem respuit. Nam ipsa sine sufficiente ratione nil potest admittere, et hic insuper sibi ipsi aperte repugnaret; quum ens non necessarium, quale manifeste omnis alter et quivis ulterior Deus esset, pro ente necessario haberet[4]). Quapropter et unius Dei cognitionem servatam apud omnes gentes in media deorum adulterinorum colluvie deprehendimus. SS. Patres hancce unius Dei cognitionem seu ideam, menti nostrae unice convenientem, et eatenus nobis insitam, naturae oraculum vocant, aut insitum animae testimonium, quod vario modo in homine, etiam vanis deorum superstitionibus ac publicis erroribus occupato, atque ipso invito, se prodat; quum homines instinctu naturae eo ferantur, ut unicum Deum agnoscant, ac communi sermone fateantur. *Vultis*, ait **Tertullianus**, *ex animae ipsius testimonio* (Deum unum esse) *comprobemus? quae licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus ac concupiscentiis evigorata,*

---

[1]) Marc. 12, 28 s.

[2]) Joan. 17, 3. Cf. Matth. 19, 17. Marc. 10, 18.

[3]) 1. Cor. 8, 4. Cf. Act. 14, 14. 17, 22 ss. Rom. 3, 29 s. Ephes. 4, 6. Gal. 3, 20. 1. Tim. 1, 17. 2. 5. 6, 15—16. Hebr. 1, 1.

[4]) Cf. Anselm. *Monol.* c. 3. Opp. p. 5. c. 1.

licet falsis deis exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, et sanitatem suam potitur, Deum nominat, hoc solo nomine, quia proprio Dei veri. Deus magnus, Deus bonus, et quod Deus dederit, omnium vox est; judicem quoque contestatur illum, Deus videt, et Deo commendo, et Deus mihi reddet. O testimonium animae naturaliter Christianae [1]). Similia habent Irenaeus[2]), Athenagoras[3]), Minucius Felix[4]), Cyprianus[5]), Arnobius[6]), Lactantius[7]).

b. Huic adfine est alterum argumentum Patribus usitatum, inde proxime deductum, quod altero praeter unum Deum admisso, numerus deorum infinitus admitti deberet; infinitus autem entium exsistentium numerus prorsus dari non potest, recte propterea, quoniam numerus entium possibilium infinitus est, et ideo nunquam exhauriendus. Quo sensu scribit iterum Tertullianus: *Quaecumque ratio plura summa magna non patitur admitti; eadem nec duo, ut ipsa plura post unum; post unum enim numerus. Quae potuit duo admittere, eadem potuit et plura; post duo enim multitudo, unione jam excessa* [8]).

c. Tertium porro argumentum a Patribus petitur ex notione infinitae Dei perfectionis, quae numero deorum adsumto tollitur. Nam

α. si duo aut plures essent dii: nullus eorum vere esset ens summum ac supremum; quum hoc par habere non possit, summum quippe non est, cui aliquid adaequatur. Ita fere idem Tertullianus: *Deum autem,* ait, *unum esse oportet; quia, quod summum sit, Deus est; summum autem non erit, nisi quod unicum fuerit. Unicum autem esse non potest, cui aliquid adaequabitur* [9]). Quod etiam alibi urget, scribens; *Deus, si non*

---

1) *Apolog. c. 17.* Opp. V. 1. p. 42 s. Cf. *De testim. anim. c. 2.* p. 122 ss. *Ad Scapul. c. 2. p.* 128.

2) *Cont. haer. l. 2. c. 6. n. 1.* p. 122. c. 1.

3) *Legat. pro Christ. n. 7.* Opp. Justin. p. 302.

4) *Octav. c. 18.* Galland. *Bibl. PP.* T. 2. p. 391. B.

5) *De idol. vanit. c. 5.* Opp. V. 2. p. 109.

6) *Adv. Gent. l. 2. c.* 2. p. 46.

7) *Div. instit. l. 2. c. 1.* Opp. T. 1. p. 114.

8) *Adv. Marcion. c. 5.* V. 2. p. 150 s. Cf. Prudentius, *Apotheos. Cont. Union. Poëm.* 2. vv. 186—189. In Galland. *Bibl. PP.* T. 8. p. 471.

9) *Adv. Hermog. c. 4.* V. 1. p. 352.

unus est, non est: quia dignius credimus, non esse, quodcumque non ita fuerit, ut esse debebit. Deum autem, ut scias, unum esse debere, quaere quid sit Deus, et non aliter invenies. Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definio, quod et omnium conscientia agnoscet, Deum summum esse magnum, in aeternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine. — Cum de isto conveniat apud omnes, — quae erit jam conditio ipsius summi magni? nempe ut nihil illi adaequetur, id est, ut non sit aliud summum magnum: quia si fuerit, adaequabitur; et si adaequabitur, non erit jam summum magnum, eversa conditione, et ut ita dixerim, lege, quae summo magno nihil sinit adaequari. Porro summum magnum unicum sit necesse est. Ergo et Deus unicus erit, non aliter Deus, nisi summum magnum; nec aliter summum magnum, nisi parem non habens; nec aliter parem non habens, nisi unicus fuerit[1]).

β. Si plures assumerentur dii: perfectiones divinae inter plures distribuerentur, ita ut nullus esset infinite perfectus, nullus itaque Deus; alioquin enim, si in quovis statueretur infinita perfectio ac virtus, superflui essent, quicumque praeter unum assumerentur. Quod respicit Athanasius, ubi ait, *multos deos nullos deos esse*[2]). — Cyprianus autem: *Unus*, inquit, *igitur omnium dominus est Deus. Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnem teneat potestatem*[3]). Atque Lactantius: *Satis (ut opinor) ostendimus in nostris Institutionibus, deos multos esse non posse; quod divina vis ac potestas, si distribuatur in plures, diminui eam necesse sit; si quod autem minuitur, utique et mortale est; si vero mortalis non est, nec minui nec dividi potest. Deus igitur unus est; in quo vis et potestas consummata, nec minui potest nec augeri. Si autem sunt multi, dum habent singuli potestatis aliquid ac numinis, summa ipsa decrescit; nec poterunt singuli habere totum, quod est commune cum pluribus: unicuique tantum deerit, quantum caeteri possidebunt*[4]). Similia habent Irenae-

---

[1]) *Adv. Marcion. l. 1. c. 3.* Opp. V. 2 p. 148 s. Cf. Iren. *Cont. haer. l. 2. c. 1. n. 4.* p. 116.

[2]) *Adv. Gentil. n. 38.* Opp. T. 1. P. 1. p. 37.

[3]) *De idol. vanit. c. 5.* Opp. V. 2. p. 109.

[4]) *De ira Dei. c. 11.* Opp. T. 2. p. 151. Cf. *Div. inst. l. 1. c. 3.* T. 1. p. 9 s.

us[1]), Tertullianus[2]), Thomas Aq.[3]), Richardus a S. Vict.[4]) Duns Scotus[5]).

γ. Accedit, jam in se absurdum esse, Deum, qui veritas, sapientia, sanctitas, etc. absoluta est, multiplicem cogitari; quum veritas, sapientia, etc. nonnisi una esse queat, atque omnem multiplicationem prorsus repudiet. Ita Fulgentius: *Vera*, ait, *religio in unius constat veri Dei servitio. Ipsa namque veritas unus est Deus, et sicut excepta una veritate non est alia veritas, sic absque uno Deo vero non est alius verus Deus: ipsa enim una veritas est naturaliter una vera divinitas. Et ita non possunt duo veri dii veraciter dici, sicut ipsa una veritas naturaliter non potest dividi*[6]).

d. Quartum argumentum sumserunt Patres ex admirabili mundi dispositione et administratione. Nam omnes partes, sive totum sive res singulas consideraverimus, tam apte connexae sunt, ut appareat, unicum esse rerum opificem, unicum quoque rerum cunctarum moderatorem. De his egregie disserit Athanasius. *Siquidem*, inquit, *ipse dispositionis ordo, omniumque partium concors conspiratio, non multos, sed unum mundi ducem et moderatorem Verbum esse, manifeste ostendit. Nam si plures mundo praeessent, ordo ille servari non posset, sed omnia confusione et perturbatione plena essent. — Siquidem firmissimum*, pergit inferius, *illud argumentum est, unum universi esse auctorem, quod scilicet non multi, sed unus sit mundus. Nam si multi essent dii, multos et diversos mundos esse oporteret. Neque enim decet vel multos unum mundum construere, vel unum a multis aedificari: hinc enim non pauca absurda sequerentur. Primum si unus mundus a multis factus esset, id auctorum imbecillitatem argueret, utpote cum a multis unum opus fuisset confectum: nec leve profecto id esset signum imperfectae singulorum ad faciendum scien-*

---

1) *Cont. haer. l. 2. c. 1. n. 5.* p. 116.

2) *Adv. Marcion. l. 1. c. 5—6.* Opp. V. 2. p. 151 s.

3) *Cont. Gent. l. 1. c. 42. n. 3.* Opp. T. 18. p. 36. c. 2.

4) *De Trinit. l. 1. c. 14.* Opp. p. 221. c. 1.

5) *L. 1. dist. 2. q. 4. Quaest. reform. in 4. ll. Sentent.* Col. 1635. p. 14.

6) *Epist. 8. ad. Donat. c. 4. n. 10.* p. 201. Cf. Richard. a S. Vict. *De Trinit. 1. c. 14. 17.* Opp. 221.

tiae. Enimvero si unus sufficiebat, non multi mutuam inopiam explerent. Atqui in Deo aliquid deesse non solum dictu impium est, sed omne nefas superat. — Id etiam silendum non est, si a multis factus est mundus, diversos et sibi ipsi dissimiles motus habuisse. Nam fieri non potuit, quin ad singulos auctores respiciens varios motus habuerit. In illa autem varietate, ut supra dictum est, nullus rursus ordo in mundo servari posset, sed confusa et perturbata omnia forent. Nam neque navis a multis gubernata recto cursu ferri potest, nisi ejus clavum unus gubernator tenuerit: nec lyra a multis pulsata perfectum concentum perficiet, nisi musicus unus eam percusserit [1]). Nec non **Origenes**[2]), **Joannes Damasc.**[3]), **Minucius Felix**[4]), **Cyprianus**[5]), **Lactantius**[6]), **Ambrosius**[7]), **Thomas Aquinas**[8]).

e. Tandem insuper id ipsum insignium poëtarum ac philosophorum, nec non Sibyllarum testimoniis, iisque quam plurimis comprobare satagunt, ut Orphei, Aeschili, Sophoclis, Hesiodi, Arati, Pythagorae, Platonis, Menandri, et aliorum. Quod praestant **Justinus M.** [9]), **Athenagoras** [10]), **Theophilus Antioch.**[11]), **Clemens Alex.**[12]), **Eusebius**[13]), **Cyrillus Alex.**[14]), **Minucius Fel.** [15]), **Lactantius** [16]), **Prudentius** [17]), **Paulus Orosius**[18]).

---

1) *Or. cont. Gent. c. 38—39.* Opp. T. 1. P. 1. p. 37 *s.*

2) *Cont. Cels. l. 1. c.* 23. Opp. T. 1. p. 340.

3) *De orth. fid. l. 1. c. 5.* Opp. T. 1. p. 129.

4) *Octav. c. 18.* Galland. *Biblioth. PP.* T. 2. p. 390 s.

5) *De idol. vanit. n. 5.* Opp. V. 2. p. 109.

6) *Div. instit. l. 1. c. 3.* Opp. T. 1. p. 9 55.

7) *De fid. l. 1. c. 4. n. 31.* Opp. T. 2. c. 449.

8) *Cont. Gent. l. 1. c. 42. n. 6.* Opp. T. 18. p. 36 *s.*

9) *Cohort. ad Graec. n. 18—19.* Opp. p. 20 *s. De Monarch. n.* 2 *ss.* p. 37 ss.

10) *Legat. pro Christian. n. 5—7.* Opp. Justin. p. 300 *ss.*

11) *Ad Autol. l. 2. n. 36.* Ib. p. 400 ss.

12) *Cohort. ad Gent. n. 6—7.* Opp. T. 1. p. 61 ss. Cf. *Strom. l. 5. c. 14.* T. 2. p. 714 *ss.*

13) *De praepar. Evang. l. 13. c. 13.* p. 678 ss. *l. 11. c. 13.* p. 530.

14) *Cont. Julian. l. 1.* Opp. T. 6. P. 2. p. 23 *ss.*

15) *Octav. c. 19.* Galland. *Bibl. PP.* T. 2. p. 391 s.

16) *Div. instit. l. 1. c. 5—6.* Opp. T. 1. p. 14—29. *De ira D. c. 11.* T. 2. p. 152 *ss.*

17) *Apoth. cont. Unionit. Poëm.* 2. In Galand. *Bibl. PP.* T. 8. p. 471 s.

18) *Hist. l. 6. c. 1.* Ib. T. 9. p. 121. Cf. Huet. *Quaest. Alnet. l. 2. c. 2. n. 13.* Ven. 1761. p. 64 s. — Petav. *De Deo, Deiq. propr. l. 1. c. 3. n. 2—3. De theol. dogm.* Antv. 1700. T. 1. p. 39.

2. Attamen non tantum Patres singuli unitatem Dei docuerunt, atque contra infideles et haereticos defenderunt, sed et universa Ecclesia docens semper ac ubique eamdem fidelibus tenendam proponebat. Nunquam autem fundamentale dogma hoc apertius Ecclesia professa est, quam quum asserenda esset distinctio personarum divinarum contra haereticos, ne scilicet Trinitatem adstruendo, unitatem tollere videretur. Hinc expresse in Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano dicitur: *Credimus in unum Deum, πιστέυομεν εἰς ἕνα Θεὸν.* Quod Symbolum in oecumenica Synodo Ephesina a. 431., prout et in posterioribus comprobatum est. Concilium Lateran. IV. a. 1215. autem habet: *Firmiter credimus, et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus*[1]. Atque Symbolum Athanasianum: *Fides autem Catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur.* Et ita quoque expressus invenitur hic fidei articulus in Symbolis particularium Ecclesiarum fere omnium, inprimis Orientis, ut Ecclesiae Caesariensis, Hierosolymitanae, Antiochenae, Smyrnensis, Alexandrinae[2], porro in Symbolo Synodi Antiochenae contra Paulum Samosatenum a. 264. celebratae[3], quod citatur in Concilio Ephesino[4], et in Symbolo Concilii Toletani a. 400.[5], nec non in regula fidei Ecclesiae universalis, prout ab Irenaeo[6], Tertulliano[7], Origene[8], et in Constitutionibus Apostolicis[9]) describitur.

Quapropter et Ecclesia semper non tantum gentilismum, sed et doctrinam tam Gnosticorum quam Manichaeorum oppugnavit atque rejecit.

Fideles autem statim ab initio veritatem, nonnisi unum dari Deum, tenuisse, jam inde adparet, quoniam a plebe superstitio-

---

1) *Capit. 1. De fid. Cathol.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 22. c. 981 et 982.

2) Cf. Hahn, Bibliothek der Symbole und Glaubensregeln der apost. kathol. Kirche. Bresl. 1842. p. 42—59.

3) Mansi, *Coll. Conc.* T. 1. c. 1033—34.

4) Ib. T. 5. c. 176 s.

5) Ib. T. 3. c. 1003.

6) *Cont. haer. l. 1. c. 10. n. 1.* p. 48. et *l. 3. c. 4. n. 2.* p. 178.

7) *De veland. virg. c. 1.* Opp. V. 2. p. 25. Cf. *Adv. Prax. c. 2. 13.* p. 404. 417. *De praescript. haeret. c. 13.* V. 1. p. 306.

8) *De princip. l. 1. praef. n. 4.* Opp. T. 1. p. 47.

9) *L. 6. c. 14. PP. Apost.* ed. Coteler. Amstel. 1724. V. 1. p. 346.

sa recte propter huncce fidei articulum athei et religionis adversarii vulgo nuncupabantur.

C. Unitatem Dei denique quoque a ratione doceri, quum idea Dei veri simul sit idea unius Dei, ex rationibus, quibus SS. Patres monotheismum propugnabant, supra allatis colligitur.

Observ. Monotheismum originalem religionis generis humani formam fuisse, utpote ex supernaturali revelatione profectam, ex SS. Bibliis certum est atque exploratum. — Quod ad sententiam adversariorum attinet, contendentium, polytheismum ante diluvium viguisse, idque jam ex nomine אֱלֹהִים et phrasibus, quibus plures dii loquentes proferuntur, ut: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, etc.[1]), adparere: pluralis ille numerus aut majestaticus est, aut vero tres in Deo personas exprimens; nomen אֱלֹהִים autem etiam apud Scriptores alios, quorum aevo certo fides in unum Deum in populo Israëlitico vigebat, et speciatim apud Isaiam, patheticum monotheismi praeconem, occurrit[2]). Et sane Moyses, qui legislationem suam Genesi quasi fundamento imposuit, monotheismi, qui totius antiquae oeconomiae caput est, periculum in illo nomine haud vidit, neque Scriptores hebraei eo polytheismum significari crediderunt. Omnis autem difficultas disparet per declarationem populo Israëlitico factam: *Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus,* יְהוָה הוּא הָאֱלֹהִים, *in coelo sursum, et in terra deorsum, et non sit alius*[3]). Hinc illa tam frequens compellatio *Jehova-Elohim*[4]) — Qui vero asserunt, primam hominum religionem fuisse fetischismum seu cultum rerum creatarum sensibilium et idololatriam: a priori historiam confingunt, et gratis sumunt, homines in cognitionibus semper proficere, nunquamque regredi; quod universa historia, et praesertim historia religionis falsum esse ostendit.

§. 6. Deus a mundo diversus.

Quando autem revelatio divina, quoad substantiam unum esse Deum, docet: longe abest, quin cum Pantheistis nonnisi

---

1) Gen. 1, 26. 3, 22. 11, 7.

2) Cf. Jud. 1, 7. 3, 20. 4, 23. 6, 20. 36. 39. 40. 7, 14. 8, 3. 9, 7. 9. 13. 23. 56. 57. 13, 5—22. 15, 20. 16, 17. 17, 5. 18, 5. 20,2. 18. 27. 21, 2. 2. Sam. 2, 27. 3, 9.35. 6, 2. 3. 4. 6. 12. 7, 2. 22. 23. 24. 25. 26. 28. 9, 3. 12, 7. 14, 13. 14. 16. 17. 20. 15, 24. 16, 23. 19, 14. 28. 21, 14. 22, 48. Ps. 58. 11. Job. 35, 9. Is. 25, 1.

3) Deut. 4. 39.

4) Exod. 9, 30. 1. Sam. 6, 20. 2. Sam. 7. 22. 26. 1. Reg. 18. 21. 1. Paral. 17, 16—26. Jon. 4, 6. Ps. 84, 9. 12 etc.

unam substantiam statuat, atque Deum in semetipso subsistentem cum mundo contingenti confundat; sed potius diversitatem Dei ab universo ubique clarissime ac verbis definitis asserit, pantheismumque omnem respuit, sive crassiorem seu materialem Anaximandri, Pherecydis[1]) et Sansimoniorum, quo materia, ὕλη, infinita Dei essentia statuitur, sive subtiliorem Pythagorae, Xenophanis, Zenonis Eleatis, Neoplatonicorum, Spinozae[2]), Schellingii[3]) atque Hegelii[4]), qui licet in diversas partes abeant, tamen in eo conveniunt, ut uni illi substantiae, quam assumunt, tum vim cogitandi tum extensionem tribuant, sive tandem subtilissimum seu idealisticum Fichtei[5]), qui praeter τὸ ἐγώ nil admittit, et omnia solummodo eatenus exsistere, quatenus a nobis mente concipiuntur, contendit. Etenim

A. licet juxta SS. Litteras Deus rerum omnium principium sit inexsistens, iisdemque praesentissimum, in quo vivamus et moveamur et simus: eaedem tamen ubique tradunt,

a. mundum hunece, tum physicum tum spiritualem, a Deo e nihilo solo voluntatis suae omnipotentis nutu esse productum, ita ut ex non exsistenti exsistens factus sit, *quoniam ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt*[6]), ejusque sapientiâ ac omnipotentiâ conservari et gubernari[7]).

b. Deum esse, qui cordibus nostris legem suam inscribat[8]),

---

1) Cf. Tennemann, Grundriß der Geschichte der Philosophie, herausgegeb. v. Wendt. §. 89. ss.

2) Cf. Spinoza. *Ethic. Prop. 15—18.* Opp. ed. Paul. Jennae 1802—3. V. 2. p. 46 ss. *Prop. 5.* p. 37 s. *Epist. 23.* V. 1. p. 513. *Epist. 39.* p. 528.

3) Cf. Schelling, Denkmal der Schrift von den göttl. Dingen. S. 6—8. 77—113. — Paulus, Die endlich offenbar gewordene Philosophie der Offenbarung rc. Darmst. 1843. — A. L. Z. 1844. Nr. 14.

4) Hegel, Encyklopädie der philos. Wissenschaften. 2. Aufl. Heidelb. 1827. p. 58. 99. 570. Geschichte der Philosophie. 3. B. p. 46. — Strauß, die christliche Glaubenslehre. Tüb. 1840. 1. B. p. 523 s.

5) Fichte, Grundlage der gesammt. Wissenschaftslehre. Weim. 1794. Cf. Wegscheider, *Instit. theol. Ch. dogm.* L. 1844. ed. 8. p. 251 ss.

6) Ps. 32, 9. Cf. Gen. 1, 1. 2. Machab. 7, 28. Joan. 1, 1 ss. Act. 14, 14, Rom. 11, 36. Hebr. 11, 3.

7) Cf. Ps. 103, 8 ss. 118, 90 s. Sap. 11, 25 s. 12, 13. Is. 41, 4. Math. 6, 26 ss. Col. 1, 17.

8) Eccli. 11, 15. 17, 5—6. Jer. 31, 33. Ps. 93, 12. Rom. 2, 14—15. 1. Cor. 3, 6—7.

nos sua gratia adjuvet atque sanctificet [1]), et post mortem ac in fine saeculorum judicaturus sit, *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum* [2]).

c. Deum nobis modo extraordinario multifariam, multisque modis esse locutum olim in Prophetis, novissime in Filio suo [3]), qui nostram naturam sibi univit, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo [4]). Quae omnia absolutam Dei a mundo diversitatem manifeste docent. Insuper

d. ubique in SS. Litteris supponitur, nec non disertis verbis docetur:

α. Deum, spiritum purissimum et simplicem omnino, solum esse, qui vere sit [5]), qui sit primus et novissimus seu aeternus [6]), utpote *qui est, qui erat, et qui venturus est,* atque *semper idem* est seu immutabilis [7]): res vero omnes ad mundum pertinentes in tempore atque cum tempore esse ortas ac corruptibiles, nonnisi ipsius voluntate exsistere, propria ac vera exsistentia destitutas. *Priusquam montes fierent,* ait Psalmista, *aut formaretur terra, et orbis: a saeculo, et usque in saeculum tu es Deus* [8]). Atque iterum: *Initio tu Domine terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent; et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* [9]). Atque Sapiens: *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod, a te vocatum non esset, conservaretur* [10])?

β. Deinde, res omnes finibus suis esse circumscriptas, quas Deus sua immensitate excedat et contineat. *Quando,* ait sapi-

---

1) Ps. 27, 11. Joan. 15, 4—5. Philipp. 2, 13. 2. Cor. 3, 4—5. 1. Cor. 12, 3. Heb. 13, 21. Act. 11, 18. Rom. 3, 22—25. Tit. 3,3 ss. etc.

2) 2. Cor. 5, 10. Cf. Matth. 12, 36. Rom. 2, 5—6. 14, 10. — Matth, 24, 50 s. Hebr. 9, 27. — Matth. 16, 27. 25, 31 ss. Act. 17, 31.

3) Hebr. 1, 1. 2.

4) Philipp. 2, 5—7.

5) Exod. 3, 14.

6) Is. 41, 4. 44, 6.

7) Apoc. 1, 4. Cf. 1, 8. 11. 17.

8) Ps. 101, 28.

9) Ps. 101, 26—27. Cf. Gen. 1, 1. 2. Machab. 7, 28. Prov. 8, 22. Joan. 1, 3. 17, 5.

10) Sap. 11, 26.

entia divina, *praeparabat coelos, aderam: quando certa lege, et gyro vallabat abyssos: quando aethera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens*[1]). — Isaias: *Quis mensus est pugillo aquas, et coelos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terrae, et libravit in pondere montes et colles statera? — Ecce gentes, quasi stilla situlae, quasi pulvis exiguus. — Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei*[2]). Auctor libri Job: *Excelsior coelo est, — profundior inferno. Longior terra mensura ejus, latior mari*[3]). — Sapiens: *Quoniam tamquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum, et tamquam gutta roris antelucani, quae descendit in terram*[4]). Atque Salomon Rex: *Si coelum, et coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificari* [5])?

γ. Tum solum Deum esse infinite perfectum, utpote unum bonum[6]), solum potentem[7]), solum immortalem[8]), solum fortem et sanctum[9]), solum justum[10]), solum omnipotentem et aeternum[11]), solum, qui noverit cor omnium filiorum hominum [12]), atque solum pium[13]), omnia autem in mundo esse inania ac vana. *Transit*, ait Apostolus, *mundus et concupiscentia ejus*[14]) Atque Ecclesiastes: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*[15]).

B. Haec autem porro omnia Ecclesia uti totidem dogmata semper et ubique professa est atque profitetur, prout apud

1) Prov. 8, 27—30.
2) Is. 40, 12—17.
3) Job. 11, 8—9.
4) Sap. 11, 23.
5) 3. Reg. 8, 27. 2. Par. 6, 18.
6) Matth. 19, 17. Luc. 18, 19.
7) 1. Tim. 6, 15.
8) Ib.
9) 1. Reg. 2, 2.
10) 1. Machab. 1, 25.
11) Ib. Cf. Ps. 89, 2. Joan. 17, 5. Ephes. 1, 4. Prov. 8, 23.
12) 3. Reg. 8, 39.
13) Apoc. 15, 4.
14) 1. Joan. 2, 27. Cf. Eccli. 14, 18 s.
15) Eccl. 2, 2. 12, 8.

omnes in confesso est. Quapropter non poterat non veritatem nostram quoque, quae dogmatibus illis fundamento est, necessario admittere atque sententiam contrariam necessario respuere. Quae quum ab omnibus prorsus admissa sint, et negari prorsus nequeant: ab excitandis testimoniis SS. Patrum abstinere nos posse censemus, solummodo unum, alterumve locum proferentes, ubi error Pantheistarum definitis verbis negatur, atque Deum a mundo secerni statuitur. Huc pertinent verba Origenis, qui ait: *Haec* (Deum figura corporea non circumscribi, cum dicatur esse in coelis) *me decuit disputare ad illa verba: ,,Pater noster, qui es in coelis,'' ut Dei essentiam a rebus omnibus genitis secernam*[1]). Porro quae scribit Maximus: *Quoniam duobus modis laudatur Deus, aut tamquam similis omnibus, omnia enim in ipso consistunt; aut tamquam dissimilis, nihil enim est eorum, quae sunt*[2]). Atque Augustinus: *Deus ineffabilis est. Facilius dicimus, quid non sit, quam quid sit. Terram cogitas, non est hoc Deus: omnia quae sunt in mari, quae volant per aërem, non est hoc Deus: quidquid lucet in coelo, stellae, sol et luna, non est hoc Deus: ipsum coelum, non est hoc Deus: Angelos cogita, Virtutes, Potestates, Archangelos, Thronos, Sedes, Dominationes, non est hoc Deus. Et quid est? Hoc solum potui dicere, quid non sit. Quaeris, quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*[3]). Et: *neque enim tamquam substantia ejus sic in eo sumus, quemadmodum dictum est, quod habeat vitam in semetipso: sed utique cum aliud simus, quam ipse, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur*[4]).

---

1) *De orat. n.* 23. Opp. T. 1. p. 236. A.

2) *Schol. in Dionys. De coel. hierach. c. 2. §. 3.* Opp. Dionys. T. 1. p. 27.

3) *Enarr. in Ps. 85. n. 12.* Opp. T. 4. c. 909. Cf. *Tract. in Joan. 23. n. 9.* T. 3. P. 2. c. 477.

4) *De gen. ad litt. l. 4. c. 12. n.* 23. T. 3. P. 1. c. 168. Cf. Justin. *Dial. c. Tryph. n. 5.* Opp. p. 111 s. — Tatian. *Cont. Graec. n.* 5. 12. Ib. p. 261 s. 268. — Athenagor. *Leg. pro Christian. n. 4. 15. 19.* Ib. 300. 309. 313 s. — Iren. *Cont. haer. l. 2. c. 10. n. 4.* p. 127. — Athanas. *De Incarn. Verb. n. 2—3.* Opp. T. 1. P. 1. p. 48 s. — Basil. *Hexaëm. l. 2. n.* 2. Opp. T. 1. p. 13 s. — Cyrill. Alex. *Thesaur. Assert. 5.* Opp. T. 5. P. 1. p. 41. *Assert. 15.* p. 168. E. *Assert. 32.* p. 313. E. F. — Joan. Chrysost. *Hom. 2. in Gen. n. 2.* Opp. T. 4. p. 9. — J. Damasc. *De orth. fid. l. 2. c.* 2. 3. 5. Opp. T. 1. p. 154. 155. 160. — *Constit. Apost. l. 6. c. 11.* Coteler.

Concilium Lateranense IV. autem pantheismum expresse damnavit. Nam non tantum definivit: *Firmiter credimus, et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus et immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis et ineffabilis, Pater, et Filius, et Spiritus S.: tres quidem personae, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino: Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac Spiritus S. pariter ab utroque: absque initio semper et fine: Pater generans, Filius nascens, et Spiritus S. procedens: consubstantiales et coaequales, coomnipotentes et coaeterni: unum universorum principium: Creator omnium invisibilium et visibilium, spiritualium et corporalium: qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem: angelicam videlicet et mundanam: ac deinde humanam quasi communem, ex spiritu et corpore constitutam*[1]). Sed et insuper *perversissimum*, uti ait, dogma Almarici reprobavit atque ceu doctrinam non tam haereticam, quam insanam rejecit, qui inter alia docuerat, *Deum non videri in se, sed in creaturis, sicut lumen in aëre, et omnes creaturas in fine in Deum redire, et in ipsum converti, ut sint unum individuum cum ipso*[2]), atque sententiam, teste Gersonio[3]), proposuerat: *Omnia sunt Deus; cum in ipso sint omnia, imo ipse sit omnia.* Concilium autem Constantiense damnavit sententiam Wicleffi: *Quaelibet creatura est Deus. Ubique omne ens est, cum omne ens sit Deus*[4]).

C. Quin imo ipsa jam sana ratio systema pantheisticum tamquam secum pugnans, atque omne studium virtutis ac sanctitatis prorsus evertens improbat ac rejicit. Etenim

---

PP. Apostol. Amstel. 1724. V. 1. p. 342. — Tertullian. *Adv. Hermogen. n. 4 ss.* Opp. V. 1. p. 351 ss. *Adv. Marcion. l. 5. c. 1.* Opp. V. 2. p. 347. — Lactant. *Div. instit. l. 2. c. 9.* Opp. T. 1. p. 142 ss. — Ambros. *Hexaëm. l. 1. c. 1—6.* Opp. T. 1. c. 1—5. — Augustin. *Confess. l. 12. c. 8. n. 8* Opp. T. 1. c. 211 s. *l. 7. c. 10. n. 16.* c. 139. *l. 11.* c. *4.* c. 197. *De civ. D. l. 11. c. 4—6.* T. 7. c. 274—276. — Gregor. M. *Mor. l. 16. c. 23. n. 45.* Opp. T. 1. c. 518. — Isidor. Hisp. *Sentent. l. 1. c. 10.* Opp. p. 416. *Etymol. l. 72 c. 1.* p. 54. D. — Fulgent. *Cont. Fabian. fragm. l. 10. fr. 36.* Opp. p. 65. ss. — Boëthius, *De consol. philos. l. 5. pros. 6.* p. 118 ss.

1) *Capit. 1. De fid. Cath.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 22. c. 981 et 982.

2) *Capit.* 2. Ib. c. 986 et 1080.

3) *De concord. metaphys. c. log.* Opp. Antv. 1706. T. 4. p. 826. A.

4) *Sess. 15.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 27. c. 751.

a. pantheismus discrimen necessarium inter spiritum et materiam respuit, unam nonnisi substantiam admittens, contra testimonium sensus intimi, pro quo nos diversos a mundo externo et etiam nostro corpore novimus;

b. ideam Dei destruit, et loco entis infiniti eus solummodo potentiâ infinitum, actu autem finitum constituit;

c. mundum limitatum ac finitum una absolutum seu necessarium, adeoque infinitum esse defendit;

d. liberum hominis arbitrium et moralem merendi facultatem vel aperte inficiatur, vel nomine retinet, reapse autem tollit, tradens, hominem, etsi sponte sua, necessario tamen facere, quaecunque facit, atque Deum esse vere auctorem seu causam efficientem omnium, quae fiant, et etiam hunccе haud libere agere, sed inevitabili velut fato compulsum, atque omnia ad suum finem, qui tamen omnibus, sive bonis sive malis, unus, idemque sit, necessario protrudere; atque

e. immortalitatem animae, dum contendit, hominem post hanc vitam a substantia divina absorptum et exsistentiam singulorum propriam cum vita exstinctum iri, negat.

Sic ergo pantheismus fundamentum verae in Deum pietatis sustollens, legem moralem omni auctoritate exuens, vel potius prorsus evertens, atque possibilitatem virtutis ac honestatis negans, fatalismum inducit, omnemque omnino, qui facinorosos cohibere posset, obicem removet et destruit, nec non hominem omni solatio, tranquillitate ac felicitate privat. Quos revera effectus morales pantheismus producat, manifestum reddit, ut morum vel publicorum perversitatem et animi abjectionem apud Indos, polytheismo systemati pantheistico cognato addictos, silentio praetereamus, exemplum recentium discipulorum comitis H. de St. Simon, qui in hac vitae civilioris cultura, in ipsa politiorum morum urbe principe, viri utique humanis litteris et scientiis probe exculti, et honoris sui ac gloriae minime pertaesi, eo devenerunt, ut non tantum haereditatis, dominii privati ac matrimonii jura, quae societatis civilis columnae et necessariae conditiones sunt, studio et aperte negaverint, sed et uxorum seu potius foeminarum communionem, prolium commixtionem ac vesanae libidinis actus tamquam optimum divini cultus exercitium et sermone et opere commendarint, ita ut, nisi obstitisset publica indignatio, et magistratuum adversio, et praesertim pecuniarum post insanam prodigentiam inopia, societas brevi evasisset omnium obscoenitatum colluvies et quasi pandaemonium.

SECTIO II.

De absoluta Dei essentia seu natura.

§. 7. Transitio. Natura Dei neque plene intelligi neque explicari potest.

Non satis est, quod noverimus, Deum exsistere, eumque naturâ unum et a mundo diversum seu supramundanum esse, et in cumulo quasi sciamus, quae notio cum voce Dei conjungenda sit: verum quo nostra Dei cognitio clarior, amor in eum intensior et efficacior, atque tranquillitas firmior evadat, oportet ulterius ideam Dei, quantum id fieri potest, evolvere et in singulis suis quasi partibus considerare; quanto accuratius enim illa explicetur, tanto majorem in omnem cogitandi, sentiendi et agendi rationem exseret influxum. Sed obstat magnitudo divina, quominus, quid proprie sit Deus, seu quae propria ejus sit conditio, mente assequi aut sermone explicare valeamus. Deus enim incomprehensibilis et inneffabilis est.

Eunomius et Aëtius saeculo IV. eo superbiae et dementiae devenerunt, ut contenderent, se Deum tam perspicue cognovisse, ac tantam illius notitiam esse consecutos, ut ne se ipsos quidem melius quam Deum nossent, imo Deus ipse se cognoscat, atque ejus essentiam nobis ex ipsius nomine innotescere, quum id nominibus in universum proprium sit, ut internam rerum naturam nobis manifestent, utpote iisdem a Deo inditis, idque propterea, quo facilius, SS. Litteris Deum Patrem ἀγέννητον adpellantibus (?), divinitatem Filii negare possent[1]). Quem errorem postea saeculo XIV. saltem ex parte renovarunt Beguardi et Beguinae a Concilio Viennensi a. 1311. proscripti.

Verumtamen error hic adeo absurdus est, ut confutationem haud mereatur. Neque est aliquid aliud, quod SS. Litterae apertius doceant, SS. Patres et Ecclesia clarius tradant, atque ratio ipsa facilius perspiciat, quam dogma, neque intellectum finitum, etiam lumine gloriae adjutum, plene ac distincte naturam divinam percipere et exaequare, neque linguam nostram effari valere.

---

[1]) Cf. *Epiphan. Haer. 76. n. 4.* Opp. T. 1. p. 916. — Gregor. Nyss. *Cont. Eunom. l. 1.* Opp. ed. Par. 1638. T. 2. p. 324. A. p. 327. B. *Or. 3.* p. 552. A. *Or. 6.* p. 605. D. p. 612. A. B. *Or. 10.* p. 670. B. 647. B. *Or. 12.* P. 2. p. 784. A. 817. C.

A. In SS. Litteris enim dicitur Deus *magnus, vincens scientiam nostram*[1]), *Deus vere absconditus*[2]), *qui lucem inhabitat inaccessibilem*[3]), quem *nemo vidit unquam*, sed *unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*[4]), quemque nemo, nisi ipse solus possit cognoscere, *quae enim Dei sunt*, scribit Apostolus, *nemo cognoscit, nisi Spiritus Dei*[5]). — Huc quoque pertinent ea loca, quae toties in S. Scriptura leguntur de incomprehensibilitate consiliorum et operum Dei. *Judicia tua*, ait Psalmista, *abyssus multa*[6]). Et Apostolus: *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus*[7])! — Porro praedicatur ille, cui nomen non sit, quemque nemo enarrare aut praedicare, uti est, queat. *Quod nomen*, legitur in Proverbiis, *est ejus* (Dei), *et quod nomen filii ejus* (*sapientiae*), *si nosti*[8])? Et Siracides: *Terribilis Dominus*, inquit, *et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius. — Ne laboretis, non enim comprehendetis. Quis videbit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum, sicut est ab initio*[9])? — Haec, Deum nobis omnino incomprehensibilem et ineffabilem esse, ostendunt. — Imperfectionem autem cognitionis, quam in hac vita habemus, clare S. Paulus describit his verbis: *Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum*[10]). Itaque cognitio nostra obscura et imperfecta est, et perfectior, licet etiam haec non comprehensiva, ut ajunt, utpote cujus ens finitum capax prorsus non est, futuro statui reservatur, ut aurora veluti contenti, meridiem in altera vita exspectemus.

B. Id ipsum ore unanimi tradunt SS. Patres, qui docent, neminem, et quidem non tantum oculis corporis, sed vel ipsa mente, licet sit purissima ac limpidissima, Deum videre posse,

---

1) Job. 36, 26. Cf. 11, 7—10. Ps. 144, 3.
2) Is. 45, 15. Cf. 40, 28.
3) 1. Tim. 6, 16. Cf. Exod. 33, 20—23.
4) Joan. 1, 18. Cf. 6, 46. 1. Joan. 4, 12. Matth. 11, 27.
5) 1. Cor. 2, 11. Cf. 13, 9. 2. Cor. 5, 7.
6) Ps. 35, 7.
7) Rom. 11, 33. Cf. Sap. 9, 13. 16. Ps. 146, 5.
8) Prov. 30, 4.
9) Eccli. 43, 35.
10) 1. Cor. 13, 12. Cf. 1. Joan. 3, 2. 2. Cor. 5, 7.

quum sit infinitus ac incapabilis, ut **Irenaeus**[1]), **Origenes**[2]), **Gregorius Naz.**[3]), **Cyrillus Alex.**[4]), **Hilarius Pictav.**[5]), **Augustinus**[6]); illius comprehensionem non solum mentem

---

1) *Cont. haer. l. 4. c. 20. n. 5.* p. 254. *Secundum magnitudinem quidem ejus, et mirabilem gloriam „nemo videbit Deum et vivet": Incapabilis enim Pater.* Cf. *l. 2. c. 13. n. 4.* p. 130.

2) *De princip. l. 1. n. 5.* Opp. T. 1. p. 51. c. 1. e. *Sicut enim si videamus, aliquem vix posse scintillam luminis, aut brevissimae lucernae lumen aspicere: et eum, cujus acies oculorum plus luminis capere, quam supra diximus, non valet, si velimus de claritate ac splendore solis edocere: nonne oportebit ei dicere, quia omni hoc lumine, quod vides, ineffabiliter et inaestimabiliter melior ac praestantior est solis splendor? Ita mens nostra, cum intra carnis et sanguinis claustra concluditur, et pro talis materiae participatione hebetior atque obtusior redditur, licet ad comparationem naturae corporeae praecellens habeatur, tamen dum ad incorporea nititur, atque eorum rimatur intuitum, tunc scintillae alicujus aut lucernae vix obtinet locum. Quid autem in omnibus intellectualibus, id est incorporeis, tam praestans omnibus, tam ineffabiliter atque inaestimabiliter praecellens, quam Deus? Cujus utique natura acie humanae mentis intendi atque intueri, quamvis ea sit purissima mens ac limpidissima, non potest.*

3) *Or. 34.* Opp. T. 1. c. 475. *Ego ita potius dicendum censeo, Dei naturam nullis quidem verbis explicari posse, animo autem atque intellectu comprehendi multo minus posse. Nam quod quis animo et ratione complexus fuerit, id fortasse sermone quoque declarare queat, si non satis dilucide ac perspicue, at saltem obscure. — At rem tantam animo comprehendere omnino impossibile est, non modo ignaris et languidis deorsumque vergentibus, sed magnis etiam et excelsis viris Deique amore praeditis, ac mortalibus peraeque omnibus, quibus ad veri cognitionem caligo haec et carnis crassities tenebras offundit.* Cf. Ib. c. 480. B. *Or. 38.* c. 546. D. *Or. 49.* c. 660. *Carm. jamb. 18.* T. 2. c. 185.

4) *Thesaur. Assert. 31.* Opp. T. 5. P. 1. p. 267. *Nos autem, cum mensuram, quae nobis data est, excedere non possimus, veluti in speculo et aenigmate Deum incomprehensibilem cernimus.*

5) *De Trinit. l. 2. n. 5.* Opp. T. 2. c. 29 s. De divinis sermonem instituens: *Verborum significantium rei ipsius natura consumit, sensus contemplationem inperspicabile lumen obcoecat, intelligentiae capacitatem, quidquid fine nullo continetur, excedit.* Et paulo post, *n. 6.* c. 30: *Deus*, inquit, *invisibilis, ineffabilis, infinitus; ad quem et eloquendum sermo sileat, et investigandum sensus hebetetur, et complectendum intelligentia coarctetur.* Cf. *l. 11. n. 47.* c. 404. *In Ps. 56. n. 9. 10.* T. 1. c. 137. *Ps. 129. n. 1.* c. 490 *n. Ps. 144. n. 2.* c. 527. etc.

6) *Epist. 147. ad Paulin. n. 9.* Opp. T. 2. c. 481. *Non Dei plenitudinem quisquam, non solum oculis corporis, sed vel ipsa mente aliquando comprehendit. Aliud est enim videre, aliud est totum videndo*

humanam, sed omnem naturam ratione praeditam superare, ipsum sibi soli notum, atque Angelos et Beatos Deum quidem videre, sed tantum, quantum capaces sunt, ut Clemens Alex.[1]), Basilius[2]), Cyrillus Hieros.[3]), Epiphanius[4]), Gregorius Nyss.[5]), Joannes Damascenus[6]), Chry-

comprehendere. Quando quidem id videtur, quod praesens utcumque sentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt. Cf. *Serm. 117. De verb. Dom. c. 3. n. 5.* T. 5. c. 582. *c. 5. n. 7.* c. 584. *De Trinit. l. 7. c. 4. n. 7.* T. 8. c. 858.

[1]) *Strom. l. 5. n. 12.* Opp. T. 2. p. 695.

[2]) *Adv. Eunom. l. 1. n. 14.* Opp. 1. p. 226. *Ego vero ipsius comprehensionem non homines solum, sed omnem etiam rationalem naturam excedere arbitror. Nunc autem cum dico rationalem, creatam dico. Nam soli Filio notus est Pater, et Spiritui S.*. Cf. *Hom. 15. De fid. n. 1.* T. 2. p. 130 s.

[3]) *Cat. 6. n. 6.* Opp. p. 89 s. *Quid igitur, inquiet aliquis, nonne scriptum est: Angeli parvulorum vident semper faciem Patris mei, qui in coelis est? Verum Angeli vident, non sicut est Deus, sed quantum ipsi capere possunt. — Vident igitur Angeli, quantum capaces sunt; et Archangeli, ut possunt; et Throni et Dominationes excellentius, quam illi primi, tamen rei dignitate multo inferius.*

[4]) *Haer. 70. n. 7 s.* Opp. T. 1. p. 818 et 819. *Neque vero dubium est, quin Deus videri comprehendique nequeat. — Porro cum invisibile illud et infinitum aspicit* (humana natura), *non quatenus infinitum est, illud intuetur; sed quantum illius, quod imbecillum est, natura capere potest.* Quod quidem duplici comparatione explicat, hominis scilicet, qui e sublimiori speculo mare intuetur, aut coelum per angustum foramen conspicit: ille quidem mare videt et coelum, sed non totum, nec quantum ad omnem maris et coeli extensionem.

[5]) *Cont.. Eunom. l. 12.* Opp. T. 2. p. 755. *Numen quomodocumque se habeat, secundum naturam omnem fugit tactum sensumque, et intellectum superat, omnique comprehensione, quae rationibus constat, sublimior est et altior: humana autem intelligentia curiose et sollicite pervestigans et perscrutans, quibus potest argumentationibus, inaccessam et excelsam expetit et attingit naturam, neque tam acute cernens, ut clare et evidenter, quod inaspectabile est, queat intueri, neque omnino ita ab accessu et propinquatione sejuncta, ut nullam possit ejus, quod quaeritur adumbratam imaginem capere; sed partem aliquam de eo, quod quaeritur, per ratiocinationem tactum, conjectura assecuta est, partim vero ex eo, quod nequeat ipsum perspicere, quodammodo cognorit, velut cognitionem evidentem, quod super omnem scientiam sit, id quod quaeritur, statuens.* Et al. saep..

[6]) *De fid. orthod. l. 1. c. 4.* Opp. T. 1. p. 127. *Quod itaque sit Deus, liquido constat: quid autem secundum essentiam et naturam sit, nullo pror-*

sostomus[1]), Minucius Felix[2]), Tertullianus[3]), Cyprianus[4]), Ambrosius[5]), Gregorius M.[6]); et illi propterea nullum nomen imponi posse, utpote qui, uti omni ratione ac cognitione, ita et omni sermonis eloquentia sit elatior, sed esse ipsum inenarrabilem et inexplicabilem, nosque solum posse dicere, quid non sit Deus, non autem quid sit, ut

---

sus modo comprehendi vel etiam cognosci potest. Et *c. 13.* p. 150. *Solus incomprehensus ipse* (Deus) *est, nullis definitus terminis, et a nemine cognitus, qui solus ea vi polleat, quae se plane contempletur.*

1) *Hom. 3. cont. Anom.* Opp. T. 1. p. 463. *Vocemus itaque ipsum ineffabilem, inintelligibilem Deum, invisibilem, incomprehensibilem, humanae linguae vim superantem, mortalis mentis comprehensionem excedentem, Angelis non vestigabilem, Seraphinis invisibilem, Cherubinis inintelligibilem, inaspectabilem principatibus, potestatibus, virtutibus, ac simpliciter omni creaturae: a solo autem Filio et a Spiritu S. cognitum.* Quod deinde uberius explanat ac demonstrat.

2) *Octav. c. 18.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 2. p. 391. c. 1. *Hic* (Deus) *nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi potest, tactu purior est; nec aestimari, sensibus major est, infinitus immensus, et soli sibi tantus, quantus est, notus. Nobis vero ad intellectum pectus angustum est: et ideo sic eum digne aestimamus, dum inaestimabilem dicimus.*

3) *Apolog. c. 17.* Opp. V. 1. p. 42. *Invisibilis est, etsi videatur: incomprehensibilis, etsi per gratiam repraesentetur: inaestimabilis, etsi humanis sensibus aestimetur: ideo verus et tantus est. Caeterum, quod videri communiter, quod comprehendi, quod aestimari potest, minus est oculis, quibus occupatur, et manibus, quibus contaminatur, et sensibus, quibus invenitur: quod vero immensum est, soli sibi notum est: hoc est, quod Deum aestimari facit, dum aestimari non capit: ita eum vis magnitudinis et notum hominibus objicit et ignotum.*

4) *De idolor. vanit. c. 5.* Opp. V. 2. p. 111. *Hic nec videri potest; visu clarior est: nec comprehendi; tactu purior est: nec aestimari; sensu major est. Et ideo sic eum digne aestimamus, dum inaestimabilem dicimus.*

5) *De fid. l. 1 c. 16. n. 106.* Opp. T. 2. c. 465. *De Incarn. Dom. sacr. c. 9. n. 94.* T. 2. c. 724.

6) *Moral. l. 10. c. 8. n. 13.* Opp. T. 1. c. 345. — *In retributionis culmine reperiri Omnipotens per contemplationis speciem potest, sed tamen ad perfectum non potest: quia etsi hunc quandoque in claritate sua conspicimus, non tamen ejus essentiam plene contuemur. Angelica etenim vel humana mens cum ad incircumscriptum lumen inhiat, eo ipso se, quo est creatura, coangustat; et super se quidem per provectum tenditur, sed tamen ejus fulgorem comprehendere nec dilatata sufficit, qui et transcendendo et portando omnia, et implendo concludit.* Cf. *l. 18. c. 54. n. 93.* c. 602 s.

Justinus M.[1]), **Dionysius**[2]), **Hermas**[3]), **Clemens Alex.**[4]), **Theophilus Antiochenus**[5]), **Gregorius Nazianze-**

[1]) *Apolog. I. n.* 61. Opp. p. 82. *Nemo est enim, qui nomen dicere non enarrabili Deo possit; aut si quis dicere audeat, nomen illi inesse, is perdite insanit.* Et *Dial. c. Tryph. n. 4.* p. 110. *Hoc ipsum, quod supra omnem essentiam est; non enarrabile, non explicabile, solum pulchrum et bonum, animis a natura bene informatis ob cognationem et videndi cupiditatem illico affulgens.* Cf. *Apol. I. c. 10.* p. 47. et *Apolog. II. c.* 6. p. 95 s.

[2]) *De dir. nomin. c. 13. §. 1.* Opp. T. 1. p. 876. *Quamobrem ipsi quoque ascensum illum per negationes praetulerunt, ut qui animam a cognatis rebus avocans, ad omnes divinas intelligentias viam sternat, quibus excipitur id, quod omni nomine omnique ratione ac cognitione sublimius exsistit.* Cf. *c. 1. §. 5.* p. 444 s. Et *De coel. Hierarch. c.* 2. *§. 3.* p. 18. *Atque hoc* (quando significatur non, quid Deus sit, sed quid non sit), *ut arbitror, magis ipsi proprium est: nam uti arcana illa sacerdotalisque Traditio insinuarit, vere dicimus, eum non esse secundum quidquam eorum, quae sunt, licet ejus superessentialem et invisibilem et ineffabilem infinitatem ignoremus.*

[3]) *Pastor. l.* 2. *mand. 1.* Coteler. *PP. Apost. Amstel.* 1724. V. 1. p. 85. *Primum omnium, credere quod unus est Deus, qui omnia creavit, et consummavit, et ex nihilo omnia fecit. Ipse capax universorum, solus immensus est. Quia nec verbo definiri, nec mente concipi potest.*

[4]) L. c.

[5]) *Ad Autol. l. 1. n.* 3. *4.* Opp. Justin. M. p. 361 s. *Audi o homo: forma Dei nec dici, nec narrari potest, nec oculis corporeis videri. Nam nec ejus gloria animo capi, nec magnitudo comprehendi potest, nec altitudo cogitari, nec ejus robur in comparationem vocari, nec sapientia assimilari, nec ejus benignitas imitabilis, nec beneficentia enarrabilis. Nam si lucem eum dicam, opus ejus dico: si Verbum dicam, ejus principatum dico: si mentem dicam, ejus prudentiam dico: si spiritum dicam, ipsius respirationem dico: si sapientiam dicam, ejus progeniem dico: si robur dicam, ejus potentiam dico: si virtutem dicam, ejus operationem dico: si providentiam dicam, ejus benignitatem dico: si regnum dicam, ejus gloriam dico: si dominum dicam, judicem dico: si judicem dicam, justum eum dico: si patrem dicam, omnia eum dico: si ignem dicam, iracundiam ejus dico. Dices igitur mihi: Irascitur Deus? Maxime; irascitur enim male agentibus, bonus vero et benignus et misericors est in eos, qui eum amant ac timent. Est enim magister piorum ac pater justorum, judex vero et vindex impiorum. Caret principio, quia ingenitus est: immutabilis est, quatenus immortalis. Deus dicitur διὰ τὸ τεθεικέναι, id est, quia omnia in sua ipsius stabilitate posuit, et διὰ τὸ θέειν quod idem est, ac currere, et movere, et operari, et nutrire, et providere, et vivificare omnia. Dominus est, quia omnibus dominatur: pater, quia ante omnia: conditor et creator, quia omnia condidit et creavit: altissimus, quia supra omnia: omnipotens, quia omnia tenet et complectitur. Nam et alta coelorum et profunda abyssorum et termini orbis terrae sunt in manu ejus: nec est locus, in quo moretur et quiescat. Est enim coelum ejus opus, terra et mare ejus opificium, homo ejus figmentum et imago. Sol, luna et stellae sunt ejus elementa, in signa et tempora, et dies et annos condita, ut ministrent et serviant hominibus. Atque omnia Deus fecit, cum antea non essent, ut ex operibus cognoscatur et intelligatur ejus majestas.*

nus [1]), **Joan. Damascenus** [2]), **Novatianus** [3]), **Arnobius** [4]), **Lactantius** [5]), **Augustinus** [6]) et alii [7]).

---

1) *Or.* 34. Opp. T. 1. c. 475.

2) *De orth. fid. l. 1. c. 1.* Opp. T. 1. p. 123. *Deus nec oratione ulla explicari, nec ullo modo comprehendi potest.*

3) *De Trinit. c. 4.* In **Galland.** *Biblioth.* *PP.* T. 3. p. 290. c. 1. C. D. *Nec nomen Dei proprium potest edici, quoniam non potest nec concipi. Id enim nomine continetur, quidquid etiam ex naturae suae conditione comprehenditur. Nomen enim significantia est ejus rei, quae comprehendi potuit ex nomine. At quando id, de quo agitur, tale est, ut condigne nec ipsis intellectibus colligatur; quomodo digne appellationis vocabulo pronuntiabitur, quod dum extra intellectum est, etiam supra appellationis significantiam sit necesse est?* c. 2. p. 288. c. 1. D. *De hoc ergo, ac de eis, quae sunt ipsius, et in eo sunt, nec mens hominis, quae sint, quanta sint, et qualia sint, digne concipere potest, nec eloquentia sermonis humani aequabilem majestati ejus virtutem sermonis expromit. Ad cogitandam enim et ad eloquendam illius majestatem, et eloquentia omnis muta est, et mens omnis exigua est; major est enim mente ipsa, nec cogitari possit, quantus sit; ne si potuerit cogitari, mente humana minor sit, qua concipi possit. Major est quoque omni sermone, nec edici possit: ne si potuerit edici, humano sermone minor sit, quo, quum edicitur, et circumiri et colligi possit. Quidquid enim de illo cogitatum fuerit, minus ipso erit: et quidquid enuntiatum fuerit, minus illo comparatum circum ipsum erit. Sentire enim illum taciti aliquatenus possumus: ut autem ipse est, sermone explicare non possumus. — Quidquid omnino de illo retuleris, rem aliquam ipsius magis et virtutem, quam ipsum explicareris. Quid enim de eo condigne aut dicas, aut sentias, qui omnibus sermonibus et sensibus major est? Nisi quod uno modo, — quid sit Deus, mente capiemus, si cogitaverimus, id illum esse, quod, quale et quantum sit, non possit intelligi, nec in ipsam quidem cogitationem possit venire.* Et c. 7. p. 291. c. 2. *Id enim, quod est, secundum id, quod est, nec humano sermone edici, nec humanis auribus percipi, nec humanis sensibus colligi potest.*

4) *Adv. Gent. l. 2. n. 19.* p. 118. *Quidquid de Deo dixeris, quidquid tacitae mentis cogitatione conceperis, in humanum transilit et corrumpitur sensum: nec habet propriae significationis notam, quod nostris dicitur verbis atque ad negotia humana compositis. Unus est hominis intellectus de Dei natura certissimus, si scias et sentias, nihil de illo posse mortali oratione depromi.*

5) *Div. instit. l. 1. c. 8.* Opp. T. 1. p. 33. *His igitur tot et tantis testibus comprobatur unius Dei potestate ac providentia mundum gubernari; cujus vim majestatemque tantam esse dicit in Timaeo Plato, ut eam neque mente concipere, neque verbis enarrare quisquam possit, ob nimiam ejus et inaestimabilem potestatem.*

6) *Enarr. in Ps. 85. n. 12.* Opp. T. 4. c. 909. *Hoc solum potui dicere, quid non sit* (Deus). *Quaeris, quid sit? Quod oculus non vidit, nec in cor hominis ascendit. Quid quaeris, ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?* Cf. *De Trinit. l. 7. c. 4. n. 7.* T. 8. c. 857 s.

7) Cf. **Tatian.** *Cont. Graec. c. 4.* Opp. **Justin. M.** p. 260. — **Athenag.**

Consulto adversus Eunomii errorem calamum strinxerunt **Basilius**[1], **Gregorius Nyssenus**[2], **Gregorius Naz.**[3] et **Chrysostomus**[4].

C. Solenniter definitum est dogma nostrum in **Concilio Lateranensi IV.**, quod statuit: *Firmiter credimus, et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus, et immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis et ineffabilis, Pater, et Filius, et Spiritus S.* [5]. Nec non in **Concilio Viennensi**, quod errorem contrarium Beguardorum et Beguinarum condemnavit.

D. Tandem ratio ipsa, quae se finitam esse novit, atque infirmitatem in ipsis rebus creatis cognoscendis ubique sentit, facile intelligit, divinitatem, quae non gradu, sed ipsâ naturâ ac essentiâ ab omnibus rebus distat, esse mysterium, quod neque homo neque quaevis alia natura intelligens finita cognitione perfecta et adaequata assequi possit. Ut Deum comprehendere valeremus, aut Deus non posset esse Deus, aut nos desinere deberemus esse homines.

§. 8. Offert tamen revelatio et ratio sufficientem Dei notitiam.

Verum licet non valeamus divinam substantiam, vim atque majestatem comprehendere: multa tamen de Deo, ejusque perfectionibus seu attributis per revelationem, nec non per rationem ipsam cognoscere valemus. Etsi non ex toto, tamen ex parte cognoscimus, atque saltem per speculum in aenigmate videmus; nam, ut bene observat **Fulgentius**, *non est ignorabilis Deus, cum sit inenarrabilis, sed a fidelibus cognoscitur, ut ametur, quamvis nec humanis linguis, nec angelicis enarretur* [6].

Legat. pro. Christian. c. 10. Ib. p. 304. — **Theodoret.** *In Ps. 12*, 6. Opp. T. 1. p. 442. *Eranist. Dial. I.* T. 4. p. 15. C. — **Alexand. Alex.** ap. **Theodoret.** *H. E. l. 1. c. 3.* T. 3. p. 528 ss. — **Caesar.** *Dial. 3. Interr. 140.* In **Galland.** *Bibl. PP.* T. 6. p. 93. E. — **Maxim.** *Schol. in Dionys. De div. nomin. c. 1. §. 5.* Opp. **Dionys.** T. 1. p. 465. — **Hieronym.** *In Is. 1, 14.* Opp. T. 4. c. 21. Cf. Thom. *3. q. 10. art.* 2. Opp. T. 24. p. 76. *Cont. Gentil. l. 3. c. 56.* T. 18. p. 274 s.

[1]) *Libri V adv. imp. Eunomium.* Opp. T. 1. p. 207—322.

[2]) *Libri XII adv. Eunom.* Opp. ed. Par. 1638. T. 2.

[3]) *Or. V. de Theolog.* Opp. T. 1. c. 467—543.

[4]) *Hom. V. de incomprehens. cont. Anom.* Opp. T. 1. p. 444—491.

[5]) *Capit. 1. De fid. Cathol.* **Mansi**, *Coll. Conc.* T. 22. c. 981 et 982.

[6]) *Cont. Arian. Resp. ad obj. 2.* Opp. p. 53.

Unde sicut non magni ingenii, sed magnae stultitiae argumentum foret, ea scrutari curiosius, quae omnem mentis nostrae aciem effugiunt, ita esset ingrati et hebetis animi, ne illud quidem intelligere velle, quod nosse datum est nobis. Sane enim, si sparsos in S. Scriptura et Traditione atque rerum natura radios diligentius colligimus, eam assequi possumus divini Numinis cognitionem, quae peregrinantibus in hac terra sufficit, tum ad mentem illustrandam, tum ad virtutis studium promovendum, tum ad cor tranquillandum. Et quamvis claram omnino nobis notionem Dei efformare, atque neque consiliorum ambitum neque internam rationem prorsus perspicere valeamus: tamen intelligimus, qualis Deus cogitandus, vel potius qualis non sit cogitandus. Quod

A. revelatio divina non tantum eo tradit, quoniam nobis notionem Dei, ejusque attributorum suppeditat, *cui bene facimus attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco* [1]), et quae manifeste inanis esset ac vana, si mens nostra ad Deum cognoscendum prorsus non esset apta; sed et definitis verbis docet, hominem, etiam supernaturali revelatione destitutum, ad cognitionem Dei ex consideratione ejus operum pervenire posse, atque nonnisi mentem pravitate obcoecatam in opere artificem non invenire, ita ut propterea nemo sit excusabilis. Docet hoc

a. Paulus, gentiles reprehendens, *qui veritatem Dei in injustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas: ita ut sint inexcusabiles* [2]). Atque pariter in Areopago disputans, quum ait: *Fecitque* (Deus) *ex uno omne genus humanum inhabitare super faciem terrae, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum, quaerere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, movemur et sumus* [3]). Docent porro idem

b. SS. Patres. Sic Clemens Alex: *Universo*, inquit, *generi humano, praecipue vero illis, qui in studiis litterarum versati sunt, divina quaedam semina sunt instillata: a quibus fateri vel inviti et reluctantes coguntur, quod unus sit*

[1]) 2. Petr. 1, 19.
[2]) Rom. 1, 18—20.
[3]) Act. 17, 26—28. Cf. Ps. 13, 1. 52, 1.

Deus interitus ortusque expers[2]). — Origenes: *Distingui etiam oportet istud, Deum nominari non posse. Nam si intelligit verba aut res verbis significatas non esse, quae Dei proprietates repraesentent, verum dicit; si quidem multae quoque sunt qualitates, quae verbis exprimi non possunt. Quis enim exprimat discrimen, quod interest dulcedinem palmulae inter et dulcedinem caricae? Quo nomine distinguas et significes propriam rei cujusque qualitatem? Nihil ergo mirum, Deum nominari non posse. Si autem velis nominare nihil esse aliud, quam aliquas virtutes ejus verbis indicare, ut auditor ad quidpiam de illis cognoscendum, quantum humanae naturae licet, adjuvetur, non absurdum fuerit dicere illum nominari posse*[3]). — Eusebius: *Eximium illud esse ac salutare inprimis, quod Dei nomen essentiamque significat, ipsius naturae ductu, impressisque animo per sese notionibus, vel divinitus potius inspiratis, nemo non intelligit: hoc enim omnes populi communi quodam rationis sensu percepere, cum id omni in animo ratione et intelligentia praedito, idem hujus universitatis artifex naturalibus quibusdam cogitationibus inseverit*[1]). — Athanasius: *Neque, ut est ipse Deus supra omnia, ita via, quae ad illum ducit, foris et procul a nobis est: verum in nobis ipsis est, ejusque initium haud est difficile a nobis reperire, ut et Moyses his verbis docuit: „Verbum fidei intra cor tuum est.“ Quod idem Salvator declaravit et confirmavit dicens: „Regnum Dei intra vos est.“ Quia enim intus in nobismetipsis fidem regnumque Dei habemus, facile possumus universitatis rectorem, Patris salutare Verbum, intelligere et contemplari.* Addit gentiles excusari non posse. *Siquidem omnes in eam viam sumus ingressi, omnes eam habemus, licet non omnes illam sequi et pergere, sed plerique, exteris vitae voluptatibus allicientibus, deserere velint*[4]). — Gregorius Nyss.: *Humana autem intelligentia curiose et sollicite pervestigans et perscrutans, quibus potest argumentationibus, inaccessam et excelsam expetit et attingit naturam, neque tam acute*

---

1) *Cohort. ad Gent. n. 6.* Opp. T. 1. p. 59.
2) *Cont. Cels. l. 6. n. 65.* Opp. T. 1. p. 682. B. C.
3) *Praepar. Evang. l. 2. c. 6.* p. 72. D.
4) *Or. cont. Gent. n. 30.* Opp. T. 1. p. 29.

cernens, ut clare et evidenter, quod inaspectabile est, queat intueri, neque omnino ita ab accessu et propinquatione sejuncta, ut nullam possit ejus, quod quaeritur, adumbratam imaginem capere: sed partem aliquam de eo, quod quaeritur, per ratiocinationem tactum, conjectura assecuta est, partim vero ex eo, quod nequeat ipsum perspicere, quodammodo cognovit, velut cognitionem evidentem, quod super omnem scientiam sit, id quod quaeritur, statuens[1]). — Tertullianus: *Haec est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt*[2]). Et iterum: *Magistra natura, anima discipula. Quidquid aut illa edocuit, aut ista perdidicit, a Deo traditum est, magistro scilicet ipsius magistrae*[3]). — Hieronymus verba illa: „*Lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*“, commentans: *Ex quo perspicuum fit, natura omnibus inesse Dei notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, et non habere semina in se sapientiae, et justitiae, reliquarumque virtutum*[4]) — Augustinus: *Qui*(Deus) *ubique secretus est, ubique publicus; quem nulli licet, utest, cognoscere, et quem nemo permittitur ignorare*[5]). — Gregorius M.: *De se conditor, per quod ametur, ostendit; sed visionis suae speciem amantibus subtrahit. Sola ergo ejus vestigia conspicientes gradimur, qui huncper donorum suorum signa sequimur, quem necdum videmus. — In retributionis culmine reperiri omnipotens per contemplationis speciem potest, sed tamen ad perfectum non potest: quia etsi hunc in claritate sua quandoque conspicimus, non tamen essentiam plene contuemur*[6]). Et sic alii[7]).

c. Ita quoque Theologi scholastici, ut alia occasione demonstravimus, sentiebant.

d. Nostris autem diebus Gregorius XVI. non tantum Bautainium ad subscribendum thesi, sibi ab Episcopo propositae,

---

1) *Cont. Ennom. l. 12.* Opp. ed. Par. 1638. T. 2. p. 755. D.

2) *Apolog. n. 17.* Opp. V. 1. p. 42.

3) *De testim. anim. n. 5.* Opp. V. 1. p. 126.

4) *Comm. in. Ep. ad. Gal. 1. 16.* Opp. T. 7. c. 301.

5) *Enarr. in Ps. 74. n. 9.* Opp. T. 4. c. 788. Cf. *In Ps. 4. n. 8.* c. 15. *In Ps. 41. n. 7 ss.* c. 357 ss. *In Joan. tr. 106. n. 4.* T. 3. P. 2. c. 765.

6) *Moral. l. 10. c. 8.* Opp. T. 1. c. 345.

7) Justin. M. *Apolog. II. n. 6.* p. 96. — Gregor. Naz. *Or. 21.* Opp. T. 1. c. 337 s. *Or. 34.* c. 476 s. — Joan. Damascen. *De orth. fid. l. 1. c. 1.* Opp. T. 1. p. 123. D. — Cyprian. *De idolor. vanit. n. 5.* Opp. V. 2. p. 199. — Arnob. *Cont. Gent. l. 1. n. 33. et l. 2. n. 2.* p. 20. 46.

rationem exsistentiam Dei, ejusque perfectiones cum certitudine demonstrare posse, adegit, sed et scripta **Hermesii** inter alia, propterea condemnavit, quod hic argumenta ad exsistentiam Dei adhiberi solita repudiaverit, et praeterea asseruerit, rationem sibi relictam ad infinita divina attributa probanda haud sufficere. Quin imo

B. ratio nostra non solum cognitionis Dei, rerumque divinarum, etsi haud perfectae et adaequatae, tamen sufficientis pro hac vita terrestri, sibi conscia est, sed et haud difficulter perspicit, illa facultate sibi denegata, revelationem non esse tantum superfluam, sed prorsus inutilem atque impossibilem, utpote quam ipsa neque percipere, neque de ejus divina origine sibi persuadere posset.

Observ. 1. Quemadmodum ergo ad cognitionem omnium sic dictorum mixtorum dogmatum et per revelationem et per rationem pervenire possumus: ita hisce duabus viis Deum utcumque hac in vita intelligimus. Nam quod ad revelationem attinet: certo nemo veritatis absolutae major ac fide dignior est interpres, quam Deus ipse, Deique Filius, *qui est in sinu Patris*[1]). Sed et ratio, dummodo non velit a divina revelatione dissidium facere, et vias sibi quaerere novas et insolitas, multa potest praeclara de Deo, ejusque attributis statuere, partim singulas perfectiones ex idea entis perfectissimi deducendo, quod fit quando, quodcumque perfectum in rerum natura, et praecipue in nostra mente deprehenderit, ad summum gradum evehens, Deo tribuit, et omne imperfectum ab eo removet, partim, praeeuntibus SS. Litteris[2]) et SS. Patribus[3]), ex rebus effectis et a Deo creatis ad causam effectricem concludendo. Hunc triplicem attributa divina per rationem cognoscendi modum antiquiores Theologi pro tribus distinctis ad cognitionem divinam perveniendi viis habuerunt, quas viam eminentiae, viam negationis atque causalitatis cognominarunt. Ast quis

---

[1]) Joan. 1, 18.

[2]) Sap. 13, 1. Rom. 1, 19. 20.

[3]) Cf. Origen. *De princ. l. 1. n. 6.* Opp. T. 1. p. 51. c. 1. C. D. *Interdum oculi nostri ipsam naturam lucis, id est, substantiam intueri non possunt: splendorem vero ejus, vel radios, fenestris forte et quibuslibet luminum brevibus receptaculis infusos, intuentes, considerare possumus, fomes ipse ac fons quantus sit corporei luminis. Ita ergo quasi radii quidam sunt Dei naturae opera divinae providentiae et ars universitatis hujus, ad comparationem ipsius substantiae ac naturae. Quia ergo mens nostra ipsum per seipsam Deum, sicut est, non potest intueri, ex pulchritudine operum et decore creaturarum parentem universitatis intelligit.* — Gregor. Naz. *Or. 34.* Opp. T. I. c. 484. — Basil. *In Hexaëm. Hom. 7. n. 11.* Opp. T. 1. p. 62. *Hom. 9. n. 5. p. 86.* etc.

non videt, a via causalitatis, quam dicunt, vias eminentiae et negationis nunquam posse abesse, et ita etiam notiones ajentes, quas per viam eminentiae nanciscimur, nonnisi negatione perfici, et notiones negantes, quas via negationis obtinemus, nonnisi affirmatione expleri[1])? — Porro quum Deum dumtaxat notionibus a rebus creatis mutuatis cogitare atque de eo disserere valeamus: patet omnem nostram Dei cognitionem esse analogicam et symbolicam, atque nostram cogitandi, loquendique rationem de Deo non raro esse antropopatheticam, aut etiam antropomorphisticam, quando scilicet notiones aut designationes ab affectibus, aut plane a corpore humano mutuamus; *homines enim carnalibus sensibus dediti,* ut ait Fulgentius, *etiam ipsum Deum non possunt, nisi carnaliter cogitare*[2]). Quin imo illud non tantum de cognitione Dei per rationem nobis subministrata valet, sed etiam de cognitione Dei, quam nobis S. Scriptura seu revelatio divina exhibet. Deus enim veritates religiosas nobis manifestans, se ad nostram cogitandi rationem demittere, atque humano sermone uti debet, seu *Deus,* ut ait Hilarius, *non sibi, sed nobis locutus, et in tantum ad intelligentiam nostram eloquii sui temperavit sermonem, quantum comprehendere ad sentiendum naturae nostrae possit infirmitas*[3]). *Quemadmodum enim,* ut loquitur Gregorius Nyss., *surdis signis et gestibus, quid agere debeant, indicamus, non quia ipsi vocem non habeamus, cum hoc facimus, sed quia omnino sit non audientibus inutilis, quae fit verbis enarratio; sic natura humana cum sit quodammodo surda, et nihil excelsum et sublimius audiat, Dei gratiam dicimus, multifariam multisque modis in Prophetis loquentem, pro captu nostro et secundum id, quod nobis est consuetum et familiare, SS. Prophetarum linguas conformantem, per haec nos ad sublimium cognitionem velut manu ducere, non vero secundum suam magnitudinem et sublimitatem doctrinam facere. Quomodo enim in exiguo, quod magnum est, caperetur? Sed quia ad parvitatem nostram se vis divina demittit*[4]). Atque Gregorius Naz.

---

1) Cf. Dionys. *De myst. Theolog. c. 2.* Opp. T. 2. p. 25 s. — Joan. Damascen. *De orth. fid. l. 1. c. 4.* Opp. T. 1. p. 127 s.

2) *Cont. serm. Fastidios. c. 5.* Opp. p. 345.

3) *De Trinit. l. 8. n. 43.* Opp. T. 2. c. 192. Cf. Exod. 33, 18 ss. 1. Cor. 13, 9—12. — Tertullian. *Ad. Marcion. l. 2. n. 27.* Opp. V. 2. p. 206., qui ait: *Deum non potuisse humanos congressus inire, nisi humanos et sensus et affectus suscepisset, per quos vim majestatis suae, intollerabilem utique humanae mediocritati, humilitate temperasset, sibi quidem indigna, homini autem necessaria; et ita jam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum, quam salus hominis.* — Cyrill. Alex. *Thesaur. Assert. 31.* Opp. T. 5. P. 1. p. 264. E.

4) *Cont. Ennom. l. 12.* Opp. ed. Par. 1638. T. 2. p. 779.

Quemadmodum nulla ratione fieri potest, ut quispiam, quamlibet gressum urgeat, umbram suam praetereat (quantum enim eam assequeris, tantum etiam illa semper antevertit), aut oculus rebus in aspectum cadentibus citra intermediam lucem et aërem conjungatur, aut pisces extra undas volvantur: ita etiam impossibile est iis, qui corporibus inclusi sunt, sine corporearum ac sensilium rerum adminiculo, rebus iis, quae animo ac ratione intelliguntur, omnino conjungi, semper enim obiter sensile aliquid incidit, quantumvis maxime nostra mens ab iis rebus, quae in aspectum cadunt, abstracta, atque in seipsam collecta, cum rebus cognatis atque oculorum aciem fugientibus commercium habere conetur[1]).

Observ. 2. Ex disputatis quoque facile ad quaestionem, numne definitio Dei fieri queat, nec ne, responderi potest. Nam si sub definitione talis rei descriptio intelligatur, ut per eamdem illius natura ac essentia plene ac distincte ob oculos quasi ponatur: talis definitio Dei certo fieri non potest. Quo sensu, ut bene advertit Hermas, Deus *nec verbo definiri, nec mente concipi potest*[2]). At quatenus definitione enuntiantur notae ad informandam aliquam notionem necessariae: ideam Dei negative saltem et relative, i. e. ad humanae cognitionis fines accomodate describi posse, recte dixerimus, et ideo etiam eatenus nomine, quod nonnisi notionis interpres est, insigniri. Quapropter et in SS. Litteris revera varia Dei nomina occurrunt; quae hic adjicere non abs re erit. Appellatur autem Deus, et quidem

a. in Scriptura A. T. אֵל (apud LXX Θεός), quod nude positum nonnisi in libris poëticis[3]) occurrit, alibi vero semper cum aliquo adjectivo aut genitivo conjunctum deprehenditur, atque proprie *fortem, potentem, principem* significat. Ejusmodi genitivi et adjectiva sunt: אֵל שַׁדַּי (LXX ὁ παντοκράτωρ, Allherrscher, Allgewaltiger, Allmächtiger, ἱκανός *sufficiens*, κύριος, *Dominus*) [4]); אֵל עֶלְיוֹן (LXX ὁ ὕψιστος, *altissimus*[5]); אֵל הַשָּׁמָיִם, *Deus coelorum*[6]); אֵל חַי, θεὸς ζῶν, *Deus vivus* [7]); אֵל אֱלֹהִים, *Deus deorum*[8]). De falsis diis אֵל nonnisi raro adhibetur[9]).

1) *Or. 34.* Opp. T. 1. c. 481.

2) *Pastor. l. 2. mand.* t. Coteler. *PP. Apost.* Amstelod. 1724. V. 1. p. 85. c. 1.

3) Job. 46, 19. Is. 44, 10. Ezech. 31, 11.

4) Gen. 17, 1. 35, 11.

5) Gen. 14, 18—26. Ps. 77, 35. Cf. Luc. 1, 35.

6) Ps. 136, 26.

7) Ps. 84, 3. 41, 3.

8) Ps. 50, 1.

9) Exod. 34, 14.

b. אֱלוֹהַּ plerumque in numero plurali אֱלֹהִים (ab אלה *attonitus fuit, stupuit, deinde coluit*), *Numen tremendum*, das staunenswerthe, höchstverehrungswürdige Wesen. Usurpatur autem non tantum de falsis diis[1]), sed et de Angelis[2]), atque etiam de Regibus, judicibus ac magistratibus, Dei vice fungentibus[3]). Unde et ad verum Deum indicandum non raro alia quaedam vox, ut אֱלֹהֵי מָרוֹם. *Deus excelsus*[4]), אֱלֹהֵי הַשָּׁמַיִם[5]), vel אֱלָהּ שְׁמַיָּא, *Θεὸς τοῦ οὐρανοῦ*[6]), אֱלֹהֵי צְבָאוֹת *Dominus coelestium exercituum*, Angelorum et siderum, seu *Dominus universi, παντοκράτωρ*[7]), et ejusmodi additur. Numerus pluralis autem nominis אֱלֹהִים inde explicatur, quod Scriptores inspirati aut ad perfectiones singulas stupendas et adorandas, quas Deus unitas in se possidet, aut vero ad tres personas in divina substantia respiciebant.

c. אֲדֹנָי, *supremus Dominus*, quod in hac forma solummodo de vero Deo adhibetur[8]); in numero singulari autem non tantum deos gentium, sed et quemvis dominum et *δεσπότην* designat[9]), atque solummodo per excellentiam supremo Domino, seu Domino dominantium tribuitur.

d. Nomina hucusque exposita Numen divinum in relatione ad mundum generatim spectatum exprimunt, nomen vero יְהוָֹה, quod abbreviatum יָהּ est, Deum, quatenus semetipsum Israëlitis manifestavit, ergo Deum verum, Israëlis redemtorem ac benefactorem specialem, significat[10]). Porro nomina priora sunt ab uno, alterove attributo divino sumta, hocce autem, quod omnibus est commune, τὸ absolutum et ideo etiam perfectissimum *Esse* significat. Nam licet, quomodo hoc sacrum *τετραγράμματον* pronuntiandum sit, nesciamus, quum Judaei ab ejus pronuntiatione religionis et reverentiae causa abstinue-

1) Deut. 10, 17. Ps. 49, 1.
2) Gen. 32, 28. 30.
3) Exod. 7, 1. Ps. 82, 6. coll. Joan. 10, 34—36.
4) Mich. 6, 6.
5) Gen. 24, 7. 2. Par. 36, 23. Eze. 1, 2. Neh. 1, 4. 5. 2, 4. 20. Jon. 1, 9.
6) Dan. 2, 18. Cf. Apoc. 11, 13.
7) 2. Sam. 5, 10.
8) Cf. Hengstenberg, Authentie des Pentateuchs. 1. B. p. 251—263.
9) Num. 32, 25. 27.
10) Exod. 6, 2—8. 24, 6. 7. 15. 12, 2. 26, 4. Hos. 12, 6. — Maimonides, *More Neboch. l. 1. c. 61.* — Aben-Esra, *Comment. in Exod. 3, 13.*

rint[1]):tamen ex verbis Moysis, quibus origo ejusdem refertur, liquet, Deum hac denominatione se tamquam eum, qui vere, adeoque per se ac necessario exsistit, et propterea immutabilis, sibi constans est, ostendere voluisse[2]); ita ut illud Apostoli ὁ ὤν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος[3]) tantum imitatio nominis יְהֹוָה sit.

e. Tandem etiam appellatur שֵׁם vel הַשֵּׁם, simili sensu, scilicet *ens κατ' ἐξοχήν*[4]).

B. In N. T. autem Deus dicitur:

a. *Θεός*, quod alii derivant a *θεᾶσθαι*[5]) vel a *θεωρεῖν*[6]), *intueri, contemplari*, utpote qui intueatur, conspiciatque omnia; alii ab *αἴθειν, urere, absumere*, quum Deus ignis sit consumens omnem malitiam[7]); alii a *τιθέναι, ponere*, quod posuerit seu effecerit omnia[8]); alii a *θέειν, currere, permeare*, quod ubique praesens adsit, omniaque pervadat ac vivificet[9]); alii tandem ab ἔος, quod idem est ac ἀγαθός, ut Germanorum Gott a gut, quoniam sit bonum originarium[10]). A *Θεός* natum est *Θεῖον*[11]) et *Θειότης, divinitas*[12]).

---

[1]) Cf. Euseb. *Praepar. Evang. l. 2. c. 6.* — Clem. Alex. legit *Ιαου. Strom. l. 5. n. 6.* Opp. T. 2. p. 666. Origenes *Ιάω In Joan. T. 2.* Opp. T. 4. p. 49. Alii legunt *Ιαβὲ*, Theodoret. *Quaest. 15. in Exod.* Opp. T. 1. p. 86. Pseud. Hieronym. *Lexic. nom. hebr.* Opp. Hieron. T. 3. c. 651 s.

[2]) Exod. 3, 14.

[3]) Apoc. 1, 4.

[4]) Lev. 24, 11. Deut. 28, 68. Cf. Act. 4, 12. Ephes. 1, 21.

[5]) Gregor. Nyss. *Hom. 5. in Cantic.* Opp. T. 1. p. 539. B. *Cont. Eunom. l. 12.* T. 2. p. 427. E. — Joan. Damascen. *De. orth. fid. l. 1. c. 9.* Opp. T. 1. p. 143. *De Trinit. n. 5.* T. p. 476. — Basil. *Epist. 8. n. 11.* Opp. T. 3. p. 88. E. — Ps. Athanas. *De defin. n. 6.* Opp. Athanas. T. 2. p. 243.

[6]) Ps. Athanas. *Quaest. al. q. 2.* Ib. p. 335.

[7]) Ps. Athanas. *De defin. n. 6.* Ib. p. 243. — Gregor. Naz. *Or. 36.* Opp. T. 1. c. 522. — Joan. Damascen. *De. orth. fid.* l. c.

[8]) Theophil. *Ad. Autol. l. 1. n. 4.* Justin. Opp. p. 362. — Clem. Alex. *Strom. l. 1. c. 29.* Opp. T. 1. p. 427. — Basil. l. c. — Joan. Damascen. *De Trinit. n. 5.* Opp. T. 1. p. 476.

[9]) Ps. Athanas. *Quaest. al. q. 2.* Opp. Athan. T. 2. p. 335. *De defin. n. 6.* T. 2. p. 243. — Gregor. Naz. *Or. 36. l. c.* — Joan. Damascen. *De orth. fid.* l. c. *De Trin.* l. c. — Theophil. *Ad Autol.* l. c.

[10]) Cf. Freiburg. Zeitschrift für Theologie. Jahrg. 1843. 1. H.

[11]) Act. 17, 29.

[12]) Rom. 1, 20. Col. 2, 9.

b. Porro dicitur *κυρίος, δέσποτης*, seu ***Dominus***[1]);

c. *βασιλεύς* seu ***Rex***[2]),

d. *κτίστης παντῶν*, seu *Creator omnium*[3]);

e. *ὑψίστος*, seu *Altissimus*, etc.; atque praecipue

f. *πατήρ*, quatenus hominibus et omnibus creaturis optime providet [4]).

Nomina autem haec, in SS. Litteris Deo tributa, ut ex eorum consideratione facile colligitur, quemadmodum et quaecumque alia, ab hominibus excogitata, ipsam, cujusmodi in se est, naturam Dei haud proprie declarant, sed tantum exsistendi modum, aut aliquam perfectionem, aut aliquam actionem vel relationem(*σχέσιν*), seu, ut ait Gregorius Naz., *aliquid eorum, quae circa Deum praedicantur*[5]), idque valde imperfecte, secundum nostrum concipiendi modum exprimunt[6]). Attamen hoc non obstante, quando nomina illa adhibemus, Deum ipsum seu divinam substantiam significamus[7]). Est itaque nostra de Deo loquendi ratio, prout ejusdem cognitio, quidem imperfecta, verumtamen nihilo secius recta ac sincera, ita ut post revelationem divinitus nobis communicatam humilis et rudis Christianus melius de Deo sentiat et disserat, quam celeberrimi antiqui philosophi.

§. 9. Attributa divina.

Attributa divina, quorum adcuratiori expositione ad clariorem ipsius divinae naturae ac essentiae cognitionem eluctamur, sunt perfectiones absolutae seu, ut ajunt, simpliciter simplices, quae divinam substantiam secundum varios ejus se habendi et agendi modos defini-

1) Luc. 2, 39. Act 4, 24.

2) 1. Tim. 9, 15.

3) 2. Machab. 1, 24. 1. Petr. 4, 19.

4) Matth. 5, 45. 48. 6, 6. 9. 7, 11. 18, 14. 23, 9. Rom. 8, 15. 1. Cor. 8, 4—6. Ephes. 3, 15.

5) *Or. 34.* Opp. T. 1. c. 478. D. Cf. Gregor. Nyss. *Quod. non sint tres dii.* Opp. T. 2. p. 451. B. *Cont. Eunom. l. 6.* T. 2. p. 108. *l. 12.* p. 330. 425. D. ss.

6) Cf. Basil. *Adv. Eunom. l. 2. c. 9.* Opp. T. 1. p. 245. *Epist. 189. n. 8.* T. 3. p. 281. — Gregor. Naz. *Or. 36.* Opp. T. 1. c. 522 s. — Nicet. *Comment. in Or. 42.* Gregor. Naz. In ej. Opp. T. 2. c. 953 s. — Joan. Damascen. *De orth. fid. l. 1. c. 9.* Opp. T. 1. p. 142 s.

7) Cf. Athanas. *De decret. Nic. Syn. n. 22.* Opp. T. 1. P. 1. p. 228.

unt, et propterea de illa, in se considerata, necessario praedicari debent. Ab attributis hisce, quae Scriptoribus ecclesiasticis ἀρεταί, ἀξιώματα, νοήματα, etiam attributa absoluta dicuntur, differunt proprietates, seu attributa relativa, ἰδιώματα, quae characteres trium in SS. Trinitate personarum significant, et praedicata Dei relativa, quae rationem ipsius ad mundum indicant.

In attributis divinis, quae nostro intelligendi more ad essentiam divinam velut formas et affectiones adjungimus, mente concipiendis duo vitiosi errores, sibi oppositi, peraeque vitandi sunt. Alter est eorum, qui nihil, ne cogitatione quidem et intelligentia nostra, differre volunt tum a se invicem attributa ista, tum a natura et essentia; alter vero eorum, qui attributa divina a se invicem et ab essentia re ipsa distingui seu separari contendunt.

Prior error in Aëtio et Eunomio notatus et damnatus est a Patribus, qui ambo attributa omnia, quae de Deo praedicantur, absoluta et multo magis relativa, ut ἀγεννησίαν in Patre, nullo prorsus modo, ac ne cogitatione quidem discrepare putabant ab essentia, ut eo ipso Filium a verae, propriaeque divinitatis communione excluderent, quod ἀγεννησίᾳ careret, quam ipsam statuebant esse divinitatem [1]). Quibus accenseri possunt recentiores Pantheistae, qui tamen ulterius progressi, Deum in se spectatum nonnisi κατὰ δύναμιν admittentes, prout infinitum, ita et indefinitum esse, tradunt [2]).

Errorem oppositum tenebat Gilbertus Porretanus, Episcopus Pictaviensis, qui docebat, magnitudinem, sapientiam, justitiam, et tandem divinitatem non esse ipsum Deum, sed esse formam, qua ipse magnus, sapiens, justus, qua Deus sit [3]). Error hic, cui jam Theodorus Mopsuestenus praelusisse fertur, et quem postea Sociniani resuscitarunt, statuentes, in Deo accidentia esse, condemnatus est in Concilio Rhemensi a. 1148., sub Eugenio III. celebrato, quod statuit: *Credimus et confitemur, simplicem naturam Divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin Divinitas sit Deus, et Deus Divinitas. Sicubi vero dicitur: Domini sapientia sapientem, magnitudine ma-*

---

[1]) Cf. Gregor. Nyss. *Ad. Eunom. l. 12.* Opp. Par. 1615. T. 2. p. 403. D. s. — Basil. *Ad. Eunom. l. 1. n. 4—5.* Opp. T. 1. p. 212 215 s.

[2]) Cf. Hegel Logik. 1. B. p. 77 s. Encyklop. §. 86 s. p. 100 s.

[3]) Cf. Otto Frisingens. *De gestis Frideric. l. 1. c. 50.* — Bernard. *Serm. 80. in Cantic. n. 8.* Opp. V. 1. c. 1551.

gnum, Divinitate Deum esse, et alia hujusmodi: credimus, nonnisi eâ sapientiâ, quae est ipse Deus, sapientem esse; nonnisi eâ magnitudine, quae est ipse Deus, magnum esse; nonnisi eâ aeternitate, quae est ipse Deus, aeternum esse; nonnisi eâ unitate unum, quae est ipse; id est, se ipso sapientem, magnum, aeternum, unum Deum. Cum de tribus personis loquimur, Patre, et Filio, et Spiritu S., ipsas unum Deum, unam divinam substantiam esse, fatemur. Et e converso cum de uno Deo, una divina substantia loquimur: ipsum unum Deum, unam divinam substantiam esse tres personas confitemur[1]).

Quamvis enim Deus, tamquam ens absolutum, simplicissimus, atque neque ex partibus, neque ex accidentibus seu adventitiis qualitatibus vel affectionibus ullis compositus sit; quoniam tamen non est res inanis, sed qua spiritus aeque perfectissimus ac necessarius potius complexus atque plenitudo omnis perfectionis, et propterea, licet sit infinitus, certe non est simul indefinitus: possumus in eo comparate, vel potius opposite ac relate ad entia finita, praecipue mentem nostram, quae, quamvis sit a Deo non gradu, sed essentiâ diversa, tamen ejus imaginem refert, diversos se habendi et agendi modos discernere, atque ipsum modo hoc, modo illo respectu considerare, sicque varias *ἐννοίας* de eo mente formare et verbis exprimere; prout et alia innumera re unum, idemque exsistentia diverso respectu considerando, diversa quodammodo facimus; quodque quoad Deum eo magis est necessarium, quum intellectus noster sit angustior, quam ut uno aspectu naturam Dei integram intueri possit. Hinc divina attributa sunt nonnisi ipsa divina substantia diverso sub respectu considerata; atque licet *κατὰ πρᾶγμα* ab hac minime differant, tamen *κατὰ ἐπίνοιαν* et cum ea et secum invicem minime sunt confundenda[2]). Re ipsa autem, seu *κατὰ πρᾶγμα* attributa a divina essentia et se invicem discerni seu dividi haud possunt; quoniam de Deo, tamquam ente necessario, nihil praedicari potest, quod in ipso absoluta necessitate non adsit, et hinc ipse non sit, seu ad ipsius essentiam non pertineat[3]).

---

[1]) *Fid. Symb. cont. err. Gilbert.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 21. c. 712 s.

[2]) Cf. Basil. *Adv. Eunom. l. 2. n. 32.* Opp. T. 1. p. 268. D. Cf. *n. 7.* p. 242 s. — Gregor Nyss. *Cont. Eunom. l. 12.* Opp. T. 2. p. 304. B.

[3]) Cf. Augustin. *De Trinit. l. 6. c. 7. n. 8.* Opp. 8. c. 848. *c. 10. n. 11.* c. 850. *l. 7. c. 1. n. 1.* c. 852 s. — Auctor. *LL. De Incarnat. l. 2.* Opp. Augustin. T. 8. Append. c. 59. D.

Adnot. Si cum Theologis antiquioribus loqui vellemus: distinctio illa inter attributa divina inter se et inter substantiam seu essentiam divinam *virtualis* dicenda esset. Sub qua intelligunt distinctionem a diversis sumtam virtutibus, quae in una, eademque re pro diversitate effectuum cogitantur, et quarum mens nostra in re contemplanda modo hanc, modo illam explicite, missis reliquis, apprehendit; et eam quasi in medio collocant inter distinctionem *realem*, inter ea intercedentem, quae a se reapse separantur, vel separari possunt, aut sibi reiate ad invicem opponuntur, et inter distinctionem *nominalem*, in sola nominum diversitate sitam.

§. 10. Divisio attributorum divinorum.

Attributa divina a diversis diverso modo dividuntur. Quamvis censeamus, illa non tam in certas classes distribuenda, quam potius ordine systematico, qui in ipsa divina natura fundatur, proponenda esse: propter rei tamen notitiam principaliores divisiones enumerabimus.

1. Alii ergo attributa divina dispertiuntur in *affirmativa* et *negativa*. *Affirmativa* sunt iis illa, quae per viam affirmationis, et terminis affirmativis de Deo praedicantur, ut, esse eum omniscium, omnipotentem, etc.; *negativa* vero ea, quae per modum negationis ac terminis negativis, ut esse infinitum, immensum, vel etiam terminis positivis enuntiantur, qui tamen in sua notione negationem involvunt, sine qua a nobis ne cogitari quidem possunt, ut simplicitas, i. e. cujuscumque compositionis absentia. Attamen omnia attributa in Deo, in se considerata, re ipsa sunt affirmativa; modus autem, quo a nobis concipiuntur, vel vero exprimuntur, accidentalis est, nullumque solidum dividendi fundamentum exhibere potest.

2. Alii divina attributa dividunt in *communicabilia* et *incommunicabilia*, prout cum entibus finitis aliquo modo communicari possunt, aut non possunt. Verumtamen omnia attributa aliquo respectu, semota scilicet eorum interna necessitate atque infinita perfectione, cum entibus finitis communicantur, alio respectu autem, si tamquam absoluta atque infinita considerantur, cum iisdem communicari omnino non possunt. Caeterum divisio, ut prior, non est ex ipsa indole attributorum divinorum mutuata, sed accidentali tantum ea cogitandi rationi superstructa.

3. Alii distinguunt inter attributa *quiescentia* seu *immanentia*, (ἀνενέργητα), et *operativa* seu *transeuntia*, (ἐνερ-

γητικά), prout eis notio efficientiae deesse aut inesse cogitatur. Ad priora pertinent simplicitas, immutabilitas, etc.; ad posteriora omniscientia, omnipotentia, etc.. Sed misso illo, nomen attributorum quiescentium in Deo, vita ac efficacia absoluta, offendere, et nomen transeuntium ad omniscientiam, libertatem, etc. haud quadrare, etiam hac divisione nobis aperte conspectus attributorum divinorum facilior haud praebetur.

4. Alii iterum discernunt inter attributa divina metaphysica seu physica, quae ad Dei substantiam infinitam, vel potius ad exsistentiam absolutam spectant, et inter moralia, vel vero, ut alii volunt, inter intellectualia et moralia, quae ad ejus intelligentiam et voluntatem referuntur. Attamen et haec divisio notionem entis absoluti ac perfectissimi haud exhaurit, quum summa beatitas et omnipotentia ad attributa moralia, ad quae tamen a patronis hujusce divisionis referuntur, haud pertineat[1]).

Abstinentes itaque ab omni divisione attributorum divinorum instituenda, quum nulla ex hucusque in medium prolatis probari queat, sequentes SS. Litteras, quae descriptioni Dei analogiam hominis substernunt, primo Deum quoad ejus exsistentiam, deinde quoad cognitionem, tum quoad voluntatem, et tandem quoad statum internum, ex perfectissima cognitione ac voluntate necessario oriundum, considerabimus, et quidem ostendemus, eum esse:

A. quoad exsistentiam:
1. simplicem, seu spiritum purissimum,
2. immutabilem,
3. aeternum, et
4. immensum ac omnipraesentem;

B. quoad cognitionem:
5. omniscium, et
6. sapientissimum;

C. quoad voluntatem:

---

1) Silentio praetermittimus divisionem attributorum divinorum, a Dobmayero excogitatam, in perfectiones metaphysicas, quae rationem possibilitatis (Deum esse ens verum et vivum, ens a se et necessarium, ens entium, aeternum, independentem, et immutabilem), physicas, quae rationem exsistentiae (intellectus infinite perfectus, voluntas infinita, omnipotentia, omnipraesentia et immensitas), et morales, quae rationem finis ultimi exprimunt (sapientia, sanctitas, bonitas et justitia), utpote quae prorsus omni veritate, ac ideo etiam omni usu destituitur.

7. omnipotentem,
8. benignissimum,
9. liberrimum,
10. sanctissimum,
11. veracissimum,
12. fidelissimum, et
13. justissimum; atque

D. quoad statum internum
14. sibi sufficientissimum,
14. summa majestate ac gloria conspicuum, et
16. beatissimum.

§. 11. 1. a. Deus est, et quidem quoad exsistentiam: a) spiritus purissimus, seu simplex omnino.

Simplicitas est negatio seu absentia compositionis, compositio autem distinctorum unio. Si itaque revelatio docet, Deum esse spiritum simplicem omnino, sensus dogmaticus hujus doctrinae est, Deum prorsus ex nullis partibus, quae nexae invicem et conjunctae ipsum efficiant, constare omnisque compositionis esse expertem, sive quae fit ex materia et forma, corpore et anima, sive quae ex partibus quantitativis, ut ajunt, aut integrantibus, sive quae ex substantia et accidente, aut ex potentia et actu, ex essentia et exsistentia, ex natura et personalitate seu ὑπόστασι oritur.

Simplicitatem Dei impugnavere praeter Idololatras, qui deos humana specie aut certe corporibus praeditos finxerunt, atque philosophos gentiles illos, qui censuere, Deum esse aut substantiam rerum universam, aut universalem mundi animam, aut ignem, etc., nec non Saducaeos, qui nullam pure spiritualem substantiam admittebant, antiqui Manichaei, qui teste Augustino[1]) docebant, Deum infinita mole esse diffusum, non tamen undique, sed tribus quadris infinitum, porro quidam Monachi Aegypti saec. IV., Anthropomorphitae propterea dicti, qui Deo formam hominis

[1]) *De haeres. Haer. 46.* Opp. T. 8. c. 13 *ss. Cont. Epist. Fundam. c. 23. n. 25.* T. 8. c. 165. *Confess. l. 5. c. 10. n. 19 s.* T. 1. c. 116. *Cont. Faust. l. 25. c. 1.* T. 8. c. 431 *ss.*

affinxerunt[1]), graeci **Palamitae**, qui virtutem divinam[2]), **Gilbertus Porretanus** et **Sociniani**, qui, ut supra commemoravimus, divina attributa, et **Joachimus Abbas**, qui divinas personas a divina substantia reipsa distinguebant[3]), nec non **Pantheistae** recentiores, qui Deum cum mundo confundunt. Accusantur etiam anthropomorphismi **Melito Sardensis**[4]), **Tertullianus**[5]), **Lactantius**[6]) et ipse **Epiphanius**, quos tamen alii ab hoc errore vindicare student[7]).

Dogma autem Catholicum, Deum videlicet omnis omnino compositionis expertem esse, certo ac lucide demonstratur:

A. Ex SS. **Litteris**. Etenim

a. **Christus Dominus** disertis verbis, Deum spiritum purum esse, asserit, quum ait: *Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*[8]). Quo loco vocabulum *spiritus* sensu proprio de substantia immateriali ac pure spirituali accipiendum esse, non tantum inde colligitur, quod Salvator alia occasione expresse declarat, *quia spiritus carnem, et ossa non habet*[9]), sed et jam ex ejusdem consilio verbis allatis monstrandi, verum cultum Dei non certo loco adstrictum esse, ad eumque inprimis requiri, ut ex internis animi procedat atque sincerus sit. Ait itaque Christus: Cum Deus spiritus sit, isque immensus, etiam in spiritu atque ubique adorandus est.

b. Porro talia Deo in libris divinis adscribuntur, quae cum physica et quacumque alia compositione nullo prorsus modo consistere, atque duntaxat in spiritum, eumque infinitum cade-

---

1) Cf. **Epiphan.** *Haer. 70.* Opp. T. 1. p. 811 ss. — **Augustin.** *De haeres. Haer. 50.* Opp. T. 8. c. 18. — **Cassian.** *Coll. 10. c. 2.* Opp. p. 532 ss. — **Theodoret.** *H. E. l. 4. c. 10.* ed. Reading. Aug. Taurin. 1748. p. 141. — **Socrates**, *H. E. l. 6. c. 7.* Ejusd. et **Sozom.** *H. E.* ed. Reading. Aug. Taurin. 1748. p. 269. — **Sozomen.** *H. E. l. 8. c. 11.* Ib. p. 315.

2) Cf. **Fritz**, Ketzerlexikon, Würzb. 828. 2. B. 2. Abth. p. 85 s.

3) Cf. **Fritz**, Ib. p. 14 ss.

4) Cf. **Origenes**, *Select. in Gen. 1. 26.* Opp. T. 2. p. 25.

5) Cf. *Adv. Prax. n. 7.* Opp. V. 2. p. 408 ss. *De carn. Christ. n. 11.* V. 2. p. 56 s. *Adv. Marcion. l. 2. n. 16.* V. 2. p. 194 s. *Adv. Hermog. n. 35.* V. 1. p. 374.

6) *De ira. D. c. 2.* Opp. T. 2. p. 130. *c. 18.* p. 168.

7) Cf. **Petav.** *De Deo Deique propriet. l. 2. c. 1. n. 4 ss. De theol. dogm.* Antv. 1700. T. 1. p. 86 ss. et **Tournel.** *Curs. theol.* Col. Agripp. 1752. T. 1. p. 71 ss.

8) Joan. 4, 24.

9) Luc. 24, 39.

re possunt. Praedicatur enim ibidem: α) **immensus**, qui coelum et terram impleat[1]), et quem coelum et coeli coelorum capere non possint[2]); β) **mutationi nulli obnoxius**, qui non mutetur[3]), et apud quem non sit transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio[4]); γ) **immortalis**, qui solus habeat immortalitatem[5]), et **incorruptibilis**, cujus gloriam gentiles mutaverint in similitudinem imaginis corruptibilis hominis[6]); atque δ) **invisibilis**, qui nullis lineamentis, imagine nulla possit delineari[7]). *Cui ergo*, ait Isaias, *similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei*[8])? — Et sane nonnisi simplicitas Dei causa erat, cur Judaei prohiberentur, quominus formam Dei adumbrarent. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in coelo desuper, et quae est in terra deorsum, nec eorum, quae sunt sub terra in aquis*[9]).

B. Simplicitatem Dei quoque SS. Patres unanimiter docent. Nam

a. non tantum sententiam contrariam declarant *stultam*, ut Theodoretus[10]), *manifeste impiam*, ut Origenes[11]), *stultissimam haeresin*, ut Hieronymus[12]), aut *ineptam haeresin, gravem errorem*, qui in perpetuae mortis discrimen injiciat, et *gentilem blasphemiam detestandam*, ut Cassianus[13]), *cogitationem turpiter vanam, quamdam idololatriam, et sacrilegium*, ut Augustinus[14]), atque Anthropomorphitas, qui pervicaciter huic errori adhaerere voluerunt, inter haereticos recensent, ut Augustinus[15]), Phila-

[1]) 3. Reg. 8, 27.
[2]) Jer. 23, 24.
[3]) 3. Reg. 8, 27.
[4]) Mal. 3, 6.
[5]) Jac. 1, 17.
[6]) 1. Tim. 1, 17. 6, 16. Rom. 1, 23. Cf. Act. 17, 29.
[7]) Rom. 1, 20. Col. 1, 15. 1. Tim. 1, 17. 6, 16. Deut. 4, 12.
[8]) Is. 40, 18. Cf. 40, 25. 46, 5.
[9]) Exod. 20, 4. Cf. Deut. 4, 16. 27, 15. Ps. 96, 7. Jer. 8, 19. Dan. 11, 8. Mich. 5, 12. Act. 7, 43.
[10]) *Haer. fab. l. 4. c. 10.* Opp. T. 4. p. 241.
[11]) *In Gen. Hom. 1. n. 13.* Opp. T. 2. p. 57. c. 1. E.
[12]) *Cont. Joan. Hieros. n. 11.* Opp. T. 2. c. 418. B.
[13]) *Coll. 10. c. 2. 4. 5.* Opp. 532. et 536.
[14]) *Epist. 120. c. 2. n. 7.* Opp. T. 2. c. 349. *De fid. et symb. c. 7. n. 14.* T. 6. c. 157. *De Trinit. l. 12. c. 7. n. 12.* T. 8. c. 918.
[15]) *De haer. Haer. 50.* Opp. T. 8. c. 18. Cf. *Haer. 76. c. 23.*

strius[1]), et Isidorus[2]), eisque resistunt atque illos universae Ecclesiae denuntiant; sed

b. veritatem orthodoxam tamquam solum rationi et revelationi consonam proponunt, eamque una variis rationibus demonstrant. Sic ait Irenaeus: *Deus simplex et non compositus, — totus cum sit — spiritus et — tota ratio*[3]). — Origenes: *Non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se conjunctionis admittens: uti ne majus aliquid et inferius in se habere credatur, sed ut sit ex omni parte μονὰς, et ut ita dicam ἑνὰς, et mens, ac fons, ex quo initium totius intellectualis naturae, vel mentis est*[4]). — Gregorius Naz.: *An corpus eum dices? Quonam ergo modo immensus, infinitus, figurae expers est, ac denique ejusmodi, ut nec tangi, nec oculis cerni queat? An haec quoque in corpora cadunt? — Quid enim afferri potest, cur colatur atque adoretur, si circumscriptus est? aut quid causae esse dicemus, quin ex elementis conflatus sit, atque in eadem denuo redigatur, ac prorsus intereat? Compositio quippe pugnae initium est, pugna autem dissidii, dissidium solutionis, solutio porro nullo modo in Deum ac primam illam naturam cadit. Quocirca nullum dissidium admittendum est, ne solutio consequatur: nec pugna, ne dissidium oriatur: nec compositio, ne pugna exsistat. Ac proinde ne corpus quidem est, ne alioqui compositum quoddam eum esse necesse sit*[5]). — Cyrillus Alex.: *Deus omnem creaturam excedit, neque corpus est, neque figura sive forma corporis continetur, cum sit simplex, materiae et formae expers: neque compositus ex partibus, vel membris, ut nos, constans, imo Spiritus, secundum Scripturas; et omnia intuens, ubivis exsistens, omniaque implens, et a nullo absens. Implet enim coelum et terram*[6]). Et alibi: *Quo*, ait, *pacto igitur Pater* (si ex essentia et cogitatione

---

1) *De haeres. Haer. 17.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 7. p. 489. c. 1.

2) *Origin. l. 8. c. 5.* Opp. p. 65. c. 2. H.

3) *Adv. haer. l. 2. c. 13. n. 2.* p. 130. c. 2. Cf. *c. 17. n. 7.* p. 139. c. 1. *c. 28. n. 5.* p. 157. c. 2. *l. 4. c. 11. n. 2.* p. 240. c. 1.

4) *De princ. l. 1. c. 1. n. 6.* Opp. T. 1. p. 51. c. 1. D. E. Cf. *Cont. Cels. l. 6. n. 69.* T. 1. p. 685. A. et al. pass.

5) *Or. 34.* Opp. T. c. 477. B. s.

6) *Epist. ad Calosyr.* Opp. T. 6. P. 2. p. 364. D. E. Cf. *Adv. Anthropom.* Ib. p. 366 s.

compositus est) *censebitur esse omnium principium, quum sit compositus secundum vos, et non simplex? Atqui principio nihil prius intelligi potest. Quum vero nihil prius principio intelligi possit, nulla certe ratione compositus dici potest. Siquidem congressus quidam simplicium compositum efficit*[1]). — Theodoretus, qui data opera refellit eos, qui imaginem Dei, ad quam homo factus dicitur, in corpore collocabant: *Samaritanae Dominus dixit: Deus spiritus est. — Si autem Deus spiritus est, simplex igitur, incompositus, et figuram non recipiens*[2]). — Joannes Damascenus: *Quo enim modo corpus esse queat, quod infinitum et interminatum est, quod figura caret, quod nec oculis cerni potest; quod denique simplex est, nec compositum*[3]). — Ambrosius: *Deus Spiritus est, et nihil habet in sua substantia corporale, sed totus est Spiritus*[4]). Et alibi: *Deus naturae simplicis est, non conjunctae atque compositae, cui nihil accedat, sed solum, quod divinum est, in natura habeat sua: complens omnia, nusquam ipse confusus: penetrans omnia, nusquam ipse penetrandus: ubique totus, eodemque tempore vel in coelo, vel in terris, vel in novissimo maris praesens: visu incomprehensibilis, fatu ininterpretabilis, sensu inaestimabilis, fide sequendus, religione venerandus; ut quidquid religiosius sentire potest, quidquid praestantius ad decorem, quidquid sublimius ad potestatem, hoc Deo intelligas convenire*[5]). — Prudentius:

Tu, me praeterito, meditaris numina mille,
Quae simules parere meis virtutibus, et me
Per varias partes minuas: cui nulla recidi
Pars, aut forma potest, quia sum substantia simplex,
Nec pars esse queo. Solis divisio rebus
Compositis, factisque subest: me nemo creavit,
Ut scindi valeam, cunctorum conditor unus[6]).

Et ita alii[7]).

[1]) *Thesaur. Assert. 13.* T. 5. P. 1. p. 134. E. s.

[2]) *Quaest. 20. in Genes.* Opp. T. 1. p. 15. B.

[3]) *De orthod. fid. l. 1. c. 4.* Opp. T. 1. p. 127.

[4]) *Enarr. in Ps. 43. n. 65.* Opp. T. 1. c. 914. Cf. *Serm. 8. in Ps. 118. n. 17.* c. 1061. *Hexaëm. l. 6. c. 7. n. 40.* c. 127.

[5]) *De fid. l. 1. n. 106.* T. 2. c. 465. Cf. *Epist. 81. n. 8.* c. 1099.

[6]) *Cont. Symmach. l. 2. sect. 2. v. 236—242.* In Galland. *Biblioth. PP.* T. 8. p. 512.

[7]) Cf. Cyrill. Hieros. *Cat. 9. n. 1.* Opp. p. 126. — Gregor. Nyss.

Ecclesia autem ipsa universalis non tantum errores Anthropomorphitarum, Palamitarum, Gilberti Porretani[1]) atque Joachimi Abbatis[2]) rejecit, verum praeterea in Concilio Lateranensi IV. solemniter definivit: *Una (est Dei) essentia, seu natura simplex omnino*[3]).

C. Denique, Deum simplicem ac omnis compositionis expertem esse, ratio quoque necessario agnoscit. Etenim cum Deus sit ens necessarium ac perfectissimum, omne compositum autem limitibus circumscriptum, mutationi atque alterationi obnoxium, pendens a suis partibus, illisque posterius: compositio prorsus nulla in Deo locum obtinere potest. Et certe si Deus compositus esset: partes singulae aut essent infinitae, i. e. totidem dii, quod repugnat; aut vero essent finitae, quod pariter insulsum est, cum ex partibus finitis infinitum componi haud queat. Atque si Deus compositus foret: dividi quoque posset, et ita quidem, ut quaevis pars deinde aut Deus esset, aut non esset; in priori vero casu Deus multiplicaretur, in posteriori autem annihilaretur, quo nil datur absurdius, nil insulsius.

Si vero Deus est simplex omnino: ipse non tantum segregatus est ab omni concretione materiali, qualis obtinet inter corporum elementa, materiam et formam, corpus et animam nostram; sed et in illo nulla alia compositio, quam metaphysicam et logicam adpellant, datur.

1. Non datur itaque in Deo compositio, quae constat ex substantia et qualitatibus, atque ideo etiam, quae fit ex essentia et exsistentia. Et revera, si proprietates seu attributa divina non necessario ad naturam sive essentiam divinam pertinerent, sed ei solummodo tamquam accidentia inhaererent: Deus iisdem etiam exui ac privari posset, et ideo neque ens perfectissimum, neque necessarium foret. Quapropter et Clemens Alex. tradit: ***Bonum autem esse*** (Deum), *dicitur,*

Cont. Eunom. l. 1. Opp. Par. 1638. T. 2. p. 332. D. 342. A. — Maxim. M. ap. Euthym. *Panopl. 1. tit.* 2. In *Biblioth. max. PP.* Lugdun. *tit. 19.* p. 19. *tit. 3.* p. 27. — Novatian. *De Trinit. c.* 6. In Galland. *Bibl. PP.* T. 5. p. 29. — Bernard. *De consider. fid. l. 5. c. 7.* Opp. V. 1. c. 457 s. *Serm. 80. in Cant. n. 5—8.* c. 1550 s. — Anselm. *Proslog. c.18.* Opp. p. 33. c. 2. — Richard. a S. Vict. *De Trinit. l. 1. c. 12.* Opp. p. 220. c. 2. *l. 2. c. 17.* p. 228. c. 1.

1) Cf. Conc. Rhemens. a. 1148. Mansi, *Coll. Conc.* T. 21. c. 712 s.

2) Cf. Conc. Later. IV. c. 2. Ib. T. 22. c. 981 ss.

3) *C. 1. De fid. Cath.* Ib.

non eo, quod virtutem habeat: quatenus justitia quoque bonum esse dicitur, non quod habeat virtutem, ipsa enim est virtus, sed quod ipsa ex se et per se bona sit[1]). — Gregorius Nyss.: *Dominus autem natura sua id ipsum, quod est, est essentia veritatis, sapientiae, potentiae ac virtutis*[2]). — *Si aliquid eorum, quae de Deo orthodoxe dicuntur, sustuleris, omnia alia simul cum isto sublata sunt. — In illo nulla compositio locum habet, sed, quaecumque est, ea totus est*[3]). Et iterum: *In qua enim natura* (SS. sc. Trinitate) *mixtionem et concursum qualitatum invenire non est, quin potius, in qua impartibilem et compositionis plane expertem facultatem animo concipimus: quomodo quis intensionis et remissionis diversitatem aliquo modo cogitatione complectetur*[4])? — Titus Bostrens.: *Non decet in Deo nominare qualitatem. — Cui enim non accidat esse, huic neque taliter esse acciderit*[5]). — Augustinus: *Ideo simplex* (Trinitas) *dicitur, quoniam, quod habet, hoc est, excepto, quod relative quaeque persona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius; (et Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater). In quo ergo ad se ipsum dicitur, non ad alterum, hoc est, quod habet: sicut ad se ipsum dicitur vivens, habendo utique vitam, et eadem vita ipse est. Propter hoc itaque natura dicitur simplex, cui non sit aliquid habere, quod vel possit amittere: vel aliud sit habens, aliud, quod habet*[6]). Et alibi: *Non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed se ipso magno magnus est: quia ipsa sua est magnitudo*[7]).—Hilarius: *Non humano modo ex compositis Deus est, ut in eo aliud sit, quod ab eo habetur, et aliud sit ipse, qui habeat: sed totum, quod est, vita est, natura scilicet perfecta et absoluta, et infinita, et non ex disparibus constituta, sed vivens ipsa per totum*[8]). —

[1]) *Paedagog. l. 1. c. 8.* Opp. T. 1. p. 136. Cf. *Strom. l. 5. c. 12.* T. 2. p. 695.

[2]) *In Cant. Hom. 7.* Opp. T. 1. p. 570. C.

[3]) *Cont. Eunom. l. 1.* Opp. ed. Par. 1638. T. 2. p. 408. D. s.

[4]) *Cont. Eunom. l. 1.* Ib. p. 333. A. B.

[5]) *Cont. Manich. l. 1. n. 9.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 5. p. 273.

[6]) *De civ. D. l. 11. c. 10.* Opp. T. 7. c. 280.

[7]) *De Trinit. l. 5. c. 10. n. 11.* T. 8. c. 838. Cf. *l. 15. c. 5. n. 7—8.* c. 970 s. *In Joan. tr. 96. n. 4.* T. 3. P. 2. c. 735. *tr. 20. n. 4.* c. 450. *Confess. l. 3. c. 7. n. 12.* T. 1. c. 92. et al. saepiss.

[8]) *De Trinit. l. 8. n. 43.* Opp. T. 2. c. 254.

Leo M.: *Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo justitia est: sed multi participes sunt veritatis et sapientiae atque justitiae. Solus autem Deus nullius participationis indigus est: de qua quidquid digne utcumque sentitur, non qualitas est, sed essentia. Incommutabili enim nihil accedit, nihil deperit: quia esse illi, quod est sempiternum, semper est proprium* [2]).

2. Porro non datur in Deo compositio, quae oritur ex potentia et actu, ex eadem ratione, quoniam videlicet in ente necessario ac perfectissimo nil potest concipi, cui aliquid adveniat, quoque perficiatur. Unde recte advertit Maximus: *Ipsa per se supraquam bonitas, quae est mens et tota actus, ad se ipsam conversa, in actu est, non potestate prius sine mente, postea mens actu: unde est etiam solum mens pura, quae non intelligit intelligentia extrinsecus introducta, sed ex se ipsa penitus intelligit. Si enim substantia ejus alia est, quae autem intelligit, alia ab ipsa, non intelligetur ipsa* (αὐτὸς ἀνόητος ἔσται), *id est substantia ejus. Si quid vero habet, a se habet, non ab alio: si autem a se et ex se intelligit, ipsa est ea, quae intelligit* [3]).

---

[2]) *Epist. 15. c. 5.* Opp. T. 1. p. 228. c. 1. Cf. Iren. *Adv. haer. l. 1. c. 12. n. 2.* p. 57. *l. 2. c. 13. n. 3.* p. 130. *l. 2. c. 28. n. 4.* p. 157. *l. 4. c. 11. n. 2.* p. 240. — Clem. Alex. *Strom. l. 7. c. 7.* Opp. T. 2. p. 853. *l. 5. c. 12.* p. 695. — Athanas. *Cont. Arian. Or. 4. n.* 2. Opp. T. 1. P. 1. p. 618. *De decr. Syn. Nic. n.* 22. T. 1. P. 1. p. 142. *Epist. ad Afros. n. 8.* T. 1. P. 2. p. 897 s. — Gregor. Naz. *Or. 34.* Opp. T. 1. c. 477. — Cyrill. Alex. *In Joan. (5, 19.) l. 2. c.* 6. Opp. T. 4. p. 219. *(13, 35.) l. 9.* p. 753. C. ss. *De spir. et. verit. l. 9.* T. 1. p. 299. A. *Thesaur. Assert. 34.* T. 5. P. 1. p. 347. D. p. 350. D. E. p. 353. C. ss. *De Trinit. dial. 7.* T. 5. P. 1. p. 655. — Cyrill. Hieros. *Cat. 6. n. 7.* Opp. p. 91. — Ps. Justin. *Quaest. et respons. ad. Orthod. q. 144.* Opp. Justin. etc. p. 542. — Ps. Athanas. *De S. Trinit. dial. 1. n. 3.* Opp. Athanas. T. 2. p. 474. — Ambros. *De fid. l. 1. c. 16. n. 106.* Opp. T. 2. c. 465. — — Mar. Victor. *Adv. Arium. l. 1. n. 9.* In Galland. *Biblioth. PP.* T. 8. p. 155. *l. 3. n. 1.* p. 179. c. 2. D. — Gregor. M. *Mor. l. 18. c. 30. n. 46.* Opp. T. 1. c. 552. — Anselm. *Proslog. c. 12. 14, 18.* Opp. p. 32. c. 2. p. 33. c. 2. *Monolog. c. 17.* p. 10. *De fid. Trinit. c. 3.* p. 43. c. 1 ss. — Thom. *1. p. q. 3. art.* 3—4. Opp. 2. T. 0. p. 16 ss. *Cont. Gentil. l. 1. c. 21—22.* T. 18. p. 21. ss.

[3]) *Schol. in Dionys. De div. nomin. c. 5.* Opp. Dionys. T. 1. p. 709. Cf. Maxim. ap. Euthym. *Panopl. 1. tit. 3. Bibl. max. PP.* Lugdun. T. 11. p. 27. — Basil. *Epist. 8. n.* 2. Opp. T. 3. p. 82. — Gregor.

3. Etiam illa compositio in Deo haud obtinet, quae ex natura et ὑπόστασει nascitur; quum in ipso, utpote spiritu necessario ac infinito, ὑπόστασις quoque, eaque trina, ut inferius ostendetur, ad ejus essentiam necessario pertineat, et minime cum eadem tamquam accidens conjungatur. *Simplex itaque*, ait Cyrillus Alex., *et incomposita est illa omnium suprema natura, hypostaseon quidem proprietatibus, et personarum ac nominum differentiis dilatata, et in S. tendens Trinitatem, verumtamen unitate naturali, et omnimoda identitate, ad unum quiddam concurrens, Dei nimirum nomen et rem: ita ut in uno quoque tota intelligatur natura, una cum ejus proprietate, hypostatica nimirum. Manet enim unumquodque id, quod est, unione cum aliis naturali, illa quoque possidens in sua natura*[1]). — Bernardus: *Personarum proprietates non aliud, quam personas, ipsasque non aliud, quam unum Deum, unam divinam substantiam, unam divinam naturam, unam divinam et summam majestatem (esse), fides Catholica confitetur. Numera ergo, si potes, aut sine substantia personas, quae ipsa sunt; aut sine personis proprietates, quae ipsae sunt. Aut si dividere quis conetur vel personas a substantia, vel proprietates a personis, nescio quomodo Trinitatis se profiteri cultorem possit, qui in tantam rerum numerositatem excesserit*[2]). — Sed neque inde, quod tres in Deo sint

Nyss. *Or. catech. c. 1.* Opp. T. 2. p. 478. B. C. — Chrysostom. *Hom. 5. in Joan. n. 3.* Opp. T. 8. p. 39. — Augustin. *De Trinit. l. 6. c. 6. n. 8.* Opp. T. 8. c. 848. *l. 7. c. 1.* coll. 851. *l. 15. c. 5. n. 7. 8.* c. 970. *Tract. 18. in Joan. n. 6.* T. 3. P. 2. c. 616. *Tr. 99. n. 4.* c. 745. etc. — Richard. a. S. Vict. *De Trinit. l. 2. c. 10.* Opp. Rothomag. 1650. p. 226.

[1]) *De Trinit. Dial. 7.* Opp. T. 5. P. 1. p. 641. A. B.

[2]) *De Consider. l. 5. c. 8.* Opp. V. 1. c. 458. Cf. Iren. *Adv. haer. l. 2. c. 13. n. 3.* p. 130. — Clem. Alex. *Paedagog. l. 1. c. 8.* Opp. T. 1. p. 136. — Athanas. *De decret. Nic. Syn. n. 22. 23.* Opp. T. 1. P. 1. p. 227 s. *Or. 4. Cont. Arian. n. 1. 2.* Opp. T. 1. P. 1. p. 617 s. — Basil. *Cont. Eunom. l. 1. n. 19.* Opp. T. 1. p. 231. *De Spir. S. c. 18.* T. 3. p. 37 ss. — Gregor. Naz. *Or. 39.* T. 1. c. 559. B. *Or. ad. Evagr.* c. 637 ss. — Maxim. ap. Euthym. *Panopl. 1. tit. 2. Biblioth. max. PP.* Lugdun. T. 19. p. 19. — Joan. Damascen. *De fid. orthod. l. 1. c. 10.* Opp. T. 1. p. 143. — Ambros. *Epist. 8. n. 81.* Opp. T. 2. c. 1099. — Augustin. *Epist. 120. c. 3. n. 13.* Opp. T. 2. c. 351. *De Trinit. l. 5. c. 5. n. 16.* c. 834. *l. 15. c. 15. n. 24. s.* c. 985 s. *l. 8. c. 1. n. 2.* c. 865 s. *Adv. Maximin. l. 3. c. 10. n. 1.* T. 8. c. 697 s. Et al. s. — Hilar. *De Trinit. l. 8. n. 41.* Opp. T. 2. c. 243.

personae, in ipso fit compositio. Nam tres personae divinae eadem et simplicissima constant substantiâ, *unum in tribus*, ut ait S. Gregorius Naz., *divinitas est, et tria unum, ea, inquam, in quibus divinitas est, vel, ut magis proprie dicam, quae divinitas est*[1]), suntque nonnisi tres diversi unius, ejusdemque substantiae exstandi modi necessarii, qui pront a substantia nonnisi *ἐπίνοιᾳ* separari, ita quidem relative sibi mutuo opponi, sed pariter a se invicem reipsa sejungi haud possunt, adeo ut igitur Deus sit necessario Pater et Filius et Spiritus S., non autem neque ex tribus componatur quasi substantiis, neque ex substantia et tribus ad se per accidens concurrentibus exsistendi modis. Hinc et Augustinus, unam personam sine altera videri non posse, dicit. *Cum enim*, inquit, *unus Deus videtur, Trinitas videtur, Pater et Filius et Spiritus S.. — Ipsius Filii visio tribuet nobis beatitudinem, et nihil interest inter visionem ipsius et visionem Patris*[2]).

4. Neque tandem in Deo compositio admitti potest, quae est ex genere et differentia; nam Deus, qui quoad naturam ac substantiam unus est, non genere aut specie, sed numero, si ex genere et specie compositus assumeretur: in numerum entium finitorum detraheretur, a quibus solâ aliquâ notâ adventitiâ distingueretur: quod autem aperte tum cum ejus infinita perfectione, tum cum ejus absoluta necessitate pugnat. *A recta ratione longe alienissimum est*, scribit Cyrillus Alex., *genus de Deo nominare, cum nulla res est cum ipso, aut ante ipsum*[3]). Et rursus: *Videmus itaque, quod quidquid suscipit differentiam, compositum est, et non simplex. Quum vero universum genus humanum, Deum simplicem et non compositum esse, fateatur, certe In-*

---

[1]) *Or. 39.* Opp. T. 1. c. 559. Cf. c. 560. — Gregor. Nyss *In verb. Faciam. hom.* Opp. ed. Par. 1615. T. 1. p. 141. B. C.

[2]) *Enarr. in Ps. 84. n. 9.* Opp. T. 4. c. 895. Cf. *De Trinit. l. 1. c. 4. n. 7.* T. 8. c. 753. *c. 12. n. 25.* c. 765. *l. 2. c. 5. n. 9.* c. 776. — Iren. *Adv. haer. l. 1. c. 22. n. 1.* p. 98. — Athanas. *Adv. Arian. Or. 4. n. 1—2.* Opp. T. 1. p. 617 s. *Cont. Subell. gregal. n. 5 ss.* T. 2. p. 41 ss. — Basil. *Epist. 8. n. 3.* Opp. T. 3. p. 82. — Gregor. Naz. *Or. 13.* Opp. T. 1. c. 189 ss. — Cyrill. Alex. *Thesaur. Assert. 14.* Opp. T. 5. P. 1. p. 145. — Maxim. ap. Euthym. *Pan. 1. tit. 2. Biblioth. max. PP.* Lugd. T. 19. p. 19. — Epiphan. *Haer. 57. n. 4.* Opp. T. 1. p. 483. C. D. *Haer. 62. n. 3—4.* p. 514 s. — Joan. Damascen. *De fid. orth. l. 1. c. 10.* Opp. T. 1. p. 143.

[3]) *De Trinit. Dial. 3.* Opp. T. 5. P. 1. p. 456. E.

genitus differentia esse non potest[1]). Hinc et vocabula *ens* et *spiritus* nonnisi sensu eminenti ac improprio de Deo adhibentur, utpote qui ab omnibus entibus et spiritibus exsistentibus essentialiter differat, adeoque revera longe aliud sit, quam quodcumque ens aut quicunque spiritus. Eapropter SS. Patres, ut supra vidimus, Deum *οὐσίαν* esse, si scilicet sensu consueto accipiatur, negant, eumque superessentialem ac supersubstantialem adpellant [2]).

Est itaque Deus omnis compositionis expers, simplex omnino sua essentia, suum esse, actus purissimus, seu totus actus, atque ita simplicissimus, ut ei nihil comparari possit, quum, quidquid Deus non est, aliqua compositione saltem, ut loquuntur, metaphysica et logica constet.

Observ. 1. Si in SS. Litteris Deo extensio [3]), situs [4]), solium excelsum [5]), porro membra corporis humani, ut oculi [6]), aures [7]), odoratus [8]), os [9]), brachium [10]), manus [11]), digiti [12]), pedes [13]), affectiones animi, ut poenitentia [14]), ira [15]), zelus [16]), vindicta [17]), etc. tribuuntur: haec manifeste omnia sensu improprio ac metaphorico accipienda sunt. Hic enim est mos S. Scripturae, ut de Deo humano modo loquatur, quo sese nostro cogitandi et loquendi modo adcommodet. Nam nos sic facti sumus, ut pro infirmitate nostra non possimus, quae pure spiritualia sunt, nisi sub involucro corporali cujusdam imaginis concipere. Neque praecise ad litteram, i. e. non quoad affectum et interiorem animi motum, sed quoad effectum sumenda esse illa, quae in SS. Litteris de Deo affirmantur, de-

1) *Thesaur. Assert. 31.* T. 5. P. 1. p. 262. C. Cf. Clem. Strom. *l. 5. n. 12.* Opp. T. 2. p. 695.

2) Cf. *§. 3. n. 3.* pag. 60 ss.

3) Job. 11, 8.

4) Is. 3, 13.

5) Is. 6, 1. Ps. 7, 7.

6) Exod. 33, 13. Deut. 32, 10. Is. 1, 15. Ps. 33, 16.

7) Ps. 16, 6. 129, 2.

8) Gen. 8, 21.

9) Is. 1, 20. Ps. 32, 6.

10) Exod. 6, 6. Ps. 43, 3. 4. Is. 25, 11.

11) Job. 10, 8.

12) Exod. 31, 18. Ps. 8, 4.

13) Is. 66, 1. Ezech. 40, 3. Ps. 98, 5.

14) Gen. 6, 7.

15) Ps. 6, 1.

16) Num. 26, 11. Ps. 78, 5.

17) Tob. 3, 3. Ps. 149, 7.

monstrant jam ea loca, in quibus aliquando Deus dicitur leo[1]), ignis, lux[2]), etc., aut ei alae[3]), scutum et arma[4]) tribuuntur, quae certo figurate intelligenda esse, nemo sanus diffitebitur. Insuper Scriptura, ut omnem errandi occasionem amoveat, docet, quae materialia et corporea Deo tribuantur, minime sensu carnali accipienda esse. *Numquid*, inquit Job, *oculi carnei tibi sunt? aut, sicut videt homo, et tu videbis*[5])? Pariter affectus et passiones humanae procul a Deo Scriptura removet[6]). — Hinc magnitudo extensionis immensitatem Dei, situs immobilitatem, solii celsitudo majestatem, oculi scientiam, cui omnia patent[7]), manus potentiam, operationem[8]), aures benignitatem et misericordiam, os mandatum divinum, facies notitiam, qua innotescit, pedes ubique praesentem, ira poenam et vindictam, poenitentia peccati gravitatem et poenae ultricis severitatem significat[9]).

Observ. 2. Quum Deus Spiritus purissimus sit: eum haud in rebus externis quaeramus aut colamus, sed per res creatas ad Creatorem supersensualem ascendamus, cultumque ei verum ac spiritualem impendamus[10]), ne similes simus Judaeis illis, qui labiis quidem Deum honorabant, quorum cor tamen, ut Propheta[11]) et Christus Dominus[12]) iis exprobrant, longe ab eo aberat.

---

1) Is. 5, 29. Os. 13, 8.

2) Deut. 4, 24. Ps. 4, 7. 1. Joan. 1, 5.

3) Ps. 16, 8.

4) Ps. 34, 2.

5) Job. 10, 4. Cf. 3. Reg. 8, 27. Is. 66, 1. Jer. 23, 24. Sap. 1, 7.

6) Malach. 3, 6. Rom. 11, 29. Jac. 1, 17.

7) Cf. Job. 34, 21. 2. Paral. 6, 40. 16, 9. Ps. 32, 18. 33, 17. Eccli. 17, 16. 34, 19. Prov. 15, 3. 22, 12. Jer. 16, 17. 32, 10. Amos. 9, 8.

8) Cf. Exod. 6, 6. 15, 16. Deut. 4, 34. 5, 15. 11, 2. 23, 27. Ps. 89, 22. 97, 1. Sap. 5, 17. 11, 22. Eccli. 36, 7. Is. 33, 2. 40, 10. 11. 51, 5. 52, 10. Jer. 27, 5. 32, 17. Act. 13, 17.

9) Cf. Origen. *Hom. 3. in Gen. n. 2—4.* Opp. T. 2. p. 67. c. 1. D. E. p. 72. c. 2. B. C. — Gregor. Naz. *Or. 37.* Opp. T. 1. c. 537. — Cyrili. *Cont. Julian. l. 5.* Opp. T. 6. P. 2. p. 173. C. ss. — Dionys. Areop. *De div. nomin. l. 1. §. 2. c. 9.* Opp. T. 1. p. 439. 798 ss. Joan. Damascen. *De fid. orth. l. 1. c. 11.* Opp. T. 1. p. 144 s. — Ambros. *De Noë et arca. c. 4. n. 9 s.* Opp. T. 1. c. 231. — Augustin. *Epist. 148. ad Fortun. c. 4. 13. s.* Opp. T. 2. c. 501 s. *Quaest. 83. q. 52.* T. 6. c. 21. etc. — Hieronym. *Comm. in Is. 46. 3. 4.* Opp. T. 4. c. 345 ss. — Witasse, *Tract. theol. q. 5. art. 1. sect. 2.* Ven. 1738. T. 1. p. 174.

10) Cf. Joan. 4, 24.

11) Is. 29, 12.

12) Matth. 15, 8.

§. 12. 2. b. Immutabilis.

Ex simplicitate Dei, quatenus ipsa omnem accidentem affectionum vicissitudinem excludit, necessario fluit ejus immutabilitas.

Intelligitur autem sub immutabilitate illa Dei perfectio, qua ipse idem semper est, et in eodem semper statu permanet, omnino incapax, qui in melius vel deterius verti queat. Hoc attributo itaque in Deo negatur omnis transitio de uno modo se habendi ad alium, tum respectu sui ipsius, tum respectu rerum externarum quarumcumque, et priori intuitu tam quoad Dei substantiam quam quoad ejus infinitam scientiam et voluntatem perfectissimam.

Stoici, Deum mutationi obnoxium esse, cogitabant. **Sociniani** autem in Deo mutationem, non quidem ratione substantiae, sed decretorum admittunt, quum haecce a Dei natura distincta esse sentiant. Attamen utraque haec sententia falsa est, genuinam Dei notionem destruens. Quod

A. probatur auctoritate S. Scripturae, quae immutabilitatem Dei frequenti ac diserto testimonio commendat. Sic canit Psalmista quoad naturam Dei generatim spectatam: *Ipsi* (coeli et terra) *peribunt, tu autem permanes: et sicut vestimentum veterascent: et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*[1]). Id est interprete S. Chrysostomo et Theodoreto: Tu vero immobilem habes naturam, et mutatione longe praestantiorem. — Quoad Dei scientiam ait Sapiens: *Et cum sit una* (sapientia), *omnia potest: et in se permanens omnia innovat*[2]). — Quoad voluntatem vero divinam legitur: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur* (hebr. *ut poenitentiâ ducatur*). *Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit*[3])? Porro: *Triumphator in Israël non parcet, et poenitudine non flectetur: neque enim homo est, ut agat poenitentiam*[4]). — Et: *Ego Dominus, et non mutor*[5]). Omnia autem comprehendit Jacobus his verbis: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Pa-*

[1]) Ps. 101, 27—28.
[2]) Sap. 7, 27.
[3]) Num. 23, 19.
[4]) 1. Reg. 15, 29.
[5]) Mal. 3, 6. Cf. Prov. 19, 21. Is. 46, 10. Hebr. 6, 16—17.

tre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio[1]). Quem fontem, auctoremque lucis, ac velut solem esse, significaverat, eum nulla infuscari vicissitudine, et obscuritatis perstringi particula, nunc dicit.

B. Probatur id ex Traditione, et quidem

a. communi SS. Patrum suffragio; nam ne ullus quidem est, qui veritati Catholicae, tam clare in SS. Litteris expressae, adversetur, et non potius illam adserat atque comprobet. Sic

α. Deum immutabilem esse ex fide Ecclesiae universali ostendunt, ut Origenes, qui ait: *Sed Judaeorum Christianorumque doctrina, quae Deum mutationis omnis variationisque expertem profitetur, quae suis ad Deum precibus dicit: Tu autem idem es; quae Dei dictum hoc esse docet: Non mutor; haec inquam doctrina impia judicatur* (Stoicis), *quia ab eorum societate, qui de Deo impia sentiunt, abhorret*[2]). Et Tertullianus: *Caeterum Deum immutabilem et informabilem credi necesse est, ut aeternum. — Deus neque desinit esse, neque aliud potest esse*[3])

β. Ex absoluta Dei necessitate, et in hac fundata simplicitate. Sic ait S. Methodius: *Τὸ ἀγέννητον, αὐτοτελὲς καὶ ἄτρεπτον φανθὲν, καὶ ἀπροσδεὲς* (nullius egeus) *καὶ ἄφθορον ἔσται*[4]). — Cyrillus Alex. *Firma atque immutabilis supernaturalis illa natura est, eodemque modo se semper habens, propriis semper dignitatibus aequaliter abundat*[5]). — Joan. Damasc.: *Nam cum* (Deus) *nec patibilis, nec fluxae naturae sit; quippe simplex est, nec compositus: certe nec passionem, nec fluxum, vel in generando, vel in creando subire potest*[6]). — Arnobius: *Divinitas, quae immutabilis perseverat, nihil in se ex accidenti aliquid recipit. Hoc enim est hodie, quod semper fuit*[7]). — Augustinus: *Est itaque bonum*

---

[1]) Jac. 1, 17.

[2]) *Cont. Cels. l. 1. n.21.* Opp. T. 1. p. 339. B. Cf. *l. 4. n. 14.* p. 510. C. *l. 6. n. 62.* p. 680. C. — Joan. Damascen. *De fid. orth. l. 1. c. 8.* Opp. T. 1. p. 131.

[3]) *Adv. Prax. c. 27.* Opp. V. 2. p. 437.

[4]) *De creat excerpt. n. 5.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 3. p. 801.

[5]) *In Joan. l. 1. c. 9. ad 1, 14.* Opp. T. 4. p. 97. C. Cf. *De rect. fid.* T. 5. P. 2. p. 9 s. *Adv. Nestor. l. 1.* T. 6. p. 4. E. — Tit. Bostr. *Cont. Manich. l. 1. n. 9. 32.* In Galland. *Biblioth. PP.* T. 5. p. 273. 289. B.

[6]) *De fid. orth. l. 1. c. 8.* Opp. T. 1. p. 133.

[7]) *Conflict. c. Serap.* In *Biblioth. max. PP.* Lugdun. T. 8. p. 206. c. 1. D.

solum simplex, et hoc solum incommutabile, quod est Deus. Ab hoc bono creata sunt omnia bona: sed non simplicia, et ob hoc mutabilia[1]). Alibi: *Itaque tanto minus* (homo) *se stabilem sentit, quanto minus haeret Deo, qui summe est: et ideo illum summe esse, quia nulla mutabilitate proficit seu deficit*[2]). Et: *Illa est vera aeternitas, quae vera immortalitas, hoc est illa summa incommutabilitas, quam solus Deus habet, qui mutari omnino non potest*[3]).—Fulgentius Ruspens.: *Qui* (Deus) *non solum summe bonus, sed etiam summum atque incommutabile bonum est: quia aeternum bonum est*[4]). Et alibi: *Qui* (Deus) *nec melioribus rebus, nec deterioribus commutatur. Neque enim habet, ubi proficiat ipse in melius, aut unde in deterius deficiat. Ille, quod est, semper est, et sicut est, ita est, non in se habet non esse posse, quod est; quia nec in se habet esse posse, quod non est. Et hoc, quod sic est, non initio praevenitur, non fine concluditur, non temporibus volvitur, non locis continetur, non aetatibus variatur. Nihil ibi deest, quia totum in illo est: nihil ibi superest, quia nihil praeter illum est*[5]). — Prosper: *Vera aeternitas, et vera immutabilitas non est, nisi in deitate Trinitatis: cui, quod est esse, perpetuum est: quia natura initio carens, incremento non indigens, sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem*[6]).

γ. Ex Dei infinitate, ac bonis omnibus cumulatissima perfectione. Ita Gregor. Nyss. ait, Deum *neque majorem, neque minorem accessione vel subtractione fieri. Nam quod in majus fit incrementum, in infinito locum non habet. Quod enim secundum naturam impatibile est, notionis, quae fit secundum decrementum, non est capax*[7]). — *Sola divina natura*

1) *De civ. D. l. 11. c. 10. n. 1.* Opp. T. 7. c. 279.

2) *Epist. 118. ad Dioscor. n. 15.* T. 2. c. 335.

3) *De nat. bon. c. 39.* T. 8. c. 511. Cf. *Confess. l. 11. c. 4. n. 6.* c. T. 1. 197. *l. 13. c. 16. n. 19.* c. 231. *Tract. 38. in Joan. n. 10.* T. 3. P. 2. c. 559. *Serm. 6. c. 3. n. 4.* T. 5. c. 35. *De Trinit. l. 4. proëm.* T. 8. c. 810.

4) *De fid. ad Peter. l. 1. c. 3. n. 25.* Opp. p. 511. Cf. Theophil. Antioch. *Ad. Autol. l. 1. n. 4.* Opp. Justin. p. 362.

5) *Epist. 6. ad Theodor. c. 4. n. 4.* p. 187. Cf. Antipater Bostrens. ap. Joan. Damasc. *Ecclog. l. 1. et 2. litt. α. tit. 2.* Opp. T. 2. p. 747.

6) *Sent. 3.* Opp. c. 543.

7) *Cont. Eunom. Or. 12.* Opp. ed. Par. 1615. T. 2. p. 312. C. ed. Par. 1618. T. 2. 740. C.

omnis conversionis et mutationis expers est: non enim est, ad quod mutatione utatur, cum in universum non sit capax mali; ad id vero, quod melius est, transmutari nequeat: nam nullum bonum est, propter quod in eam mutatio cadat: non enim reperitur ullum bonum, ad quod transeat[1]) — **Hilarius**, rationem praecedentem cum praesenti conjungens: *Nihil enim in aeternam illam et perfectam naturam novum incidit: neque qui ita est, ut qualis est, talis et semper sit, ne aliquando non idem sit, potest effici aliquid aliud esse, quam semper est. — Deus autem beatus atque perfectus profectu non eget, cui nil deest: demutatione non novus est, qui origine caret. Ipse est*[2]). Et **Augustinus**: *Jam illud attendite, quid vocatur „est". Nostis quid vocatur. „Est" quod vocatur, et non solum vocatur, sed vere est, incommutabile est: semper manet, mutari nescit, nulla ex parte corrumpitur: nec proficit, quia perfectum est, nec deficit, quia aeternum est*[3]).

b. Praeter testimonium SS. Patrum habemus totius Ecclesiae vocem generalium Synodorum decretis editam. Sanxit autem immutabiltatem Dei jam in **Nicaeno Consessu** primo, ubi contra Arium, qui Filium Dei et eundem Deum alterius a Patre conditionis et naturae esse docuerat, ac sic mutabilem fecerat, definivit: *Eos, qui dicunt: Erat aliquando, quando non erat, etc. — vel mutabilem vel convertibilem Filium Dei; anathematizat Catholica et Apostolica Ecclesia*[4]). Et iterum postea in **Con. Lateran. IV.** statuens: *Firmiter credimus et simpliciter cónfitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus et immensus, omnipotens, incommutabilis*[5]).

C. Probatur idem tandem per ipsam rationem. Nam

a. cum Deus sit sua natura absolute necessarius, in quo nil sit accidens, nec esse possit: fieri non potest, ut ipse non sit aut alio modo sit, uti est; et ideo οὐσιωδῶς immutari prorsus nequit[6]). Ut Deus mutari posset, deberet alius esse, ac est, i. e.

1) *Tract. alt. in Ps. c. 4.* T. 1. p. 298. B.

2) *In Ps. 2. n. 13.* T. 1. c. 37 s.

3) *Tract. 4. in 1. Joan. c. 3. n. 5.* Opp. T. 3. P. 2. c. 852. Cf. *Tract. in 1. Joan. 4. n. 3.* c. 872. *De nat. bon. cont. Manich. c. 1.* T. 8.c. 501.

4) **Mansi**, *Coll. Conc.* T. 2. c. 667.

5) *Capit. 1. De fid. Cath.* Ib. T. 22. c. 981—982.

6) Cf. **Richard. a S. Vict.** *De Trinit. l. 1. c. 4.* Opp. p. 218. c. 2.

deberet prius mutari, ut posset mutari, quod est absurdum. — Porro non tantum quoad substantiam Deus mutationi nulli est obnoxius, sed et quoad scientiam atque voluntatis decreta, quum

b. sit perfectissimus, quo nihil melius dari aut excogitari potest. Omnis quippe mutatio sive fiat in melius, sive in pejus, sive in aequale, imperfectionem involvit. Etenim si in melius Deus mutaretur, non esset optimus; si in pejus, desineret esse perfectissimus; si in aequale, non esset infinitus, quia infinito nihil par datur, aut inconstantiae esset saltem arguendus.

Hinc in Deo immutatio est omnino impossibilis, et quidem quoad substantiam et cognitionem divinam absoluta impossibilitate physica, et quoad decreta absoluta impossibilitate physica et morali.

Si vero Deus quoad suam substantiam mutari prorsus nequit: eo minus corrumpi aut perire potest, seu Deus, quia est absolute immutabilis, est quoque absolute **incorruptibilis**. Unde et in SS. Litteris expresse *ἄφθαρτος Θεὸς* dicitur[1]), atque *beatus, et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium: quia solus habet immortalitatem,* praedicatur[2]), quatenus scilicet per se ac necessario immortalis est, et ab ipso solo entia finita immortalitatem nanciscuntur. — Atque **Cyrillus Alex.** inquit: *Deus qui mente omni superior est, a generatione et corruptione substantiam exemtam ac valentiorem habens, mutatione etiam omni praestantior est*[3]). — **Ambrosius**: *Non enim dividitur unitas, nec scinditur; et ideo nec corruptelae subditur, nec aetati*[4]). — **Novatianus**: *Et ideo quia unum* (simplex) *est, dissolvi non potest*[5]).

Observ. 1. Immutabilitati non obstant, ut quibusdam antiquis haereticis[6]) visum est, et recentioribus Pantheistis etiam nunc videtur, neque creatio mundi, neque revelatio supernaturalis, neque

---

1) Rom. 1, 23.

2) 1. Tim. 6, 15—16.

3) *Cont. Nestor. l. 1.* Opp. T. 6. P. 1. p. 4. E.

4) *De fid. l. 1. c. 1. n. 11.* Opp. T. 2. c. 446.

5) *De Trinit. c. 6.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 3. p. 291. c. 2. B.

6) Cf. Cyr. Alex. *De S. Trinit. Dial.* 2. Opp. T. 1. P. 1. p. 458. — Zachar. Mitylen. *De mund. opif.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 11. p. 270. E. 271. B. — Tertull. *Adv. Hermog. c. 3.* Opp. V. 1. p. 350. — Augustin. *De civ. D. l. 12. c. 17.* Opp. T. 7. c. 315 s.

ipsa Incarnatio, neque ira, poenitentia, et aliae animi motiones, quarum haud infrequens mentio est in SS. Litteris. Etenim quod ad creationem attinet: non mutatur idcirco Deus, quando, quod hactenus nondum exstiterat, mundus aut res aliqua creatur. Nam res nova, quae creatur, haudquaquam novum consilium seu novum voluntatis actum in Deo postulat, sed optime cum voluntate aeterna, qua Deus vult, ut res externae suo tempore oriantur, componitur. Creavit itaque Deus mundum in tempore non novo consilio, neque nova voluntate, sed consilio ac voluntate aeterna. Mutata est creatura, non mutatus est Deus ipse. Quam rationem optime attigit Augustinus, refellens eos, qui contendebant, Deum aliter affectum fuisse, cum ab aeterno velut otiosus ab omni actione vacavit, et aliter, cum subinde operatus est. *Nobis*, ait, *fas non est credere, aliter Deum affici, cum vacat, aliter, cum operatur: quia nec affici dicendus est, tamquam in ejus natura fiat aliquid, quod ante non fuerit. — Non itaque in ejus vacatione cogitetur ignavia, desidia, inertia; sicut nec in ejus opere labor, conatus, industria. Novit quiescens agere, et agens quiescere. Potest ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhibere consilium; nec poenitendo, quia prius cessaverat, coepit facere, quod non fecerat. Sed etsi prius cessavit, et posterius operatus est, — hoc procul dubio, quod dicitur, prius et posterius, in rebus prius non exsistentibus, et posterius exsistentibus fuit. In illo autem non alteram praecedentem altera subsequens mutavit, aut abstulit voluntatem, sed una eademque sempiterna et immutabili voluntate res, quas condidit, et ut prius non essent, egit, quamdiu non fuerunt, et ut posterius essent, quando esse coeperunt*[1]). — *Ante omnia meminerimus, non temporalibus quasi animi sui aut corporis motibus operari Deum, sicut operatur homo vel Angelus, sed aeternis atque incommutabilibus et stabilibus rationibus coaeterni sibi Verbi sui, et quodam, ut ita dixerim, fotu* (al. *flatu*) *pariter coaeterni S. Spiritus sui*[2]). Pulchre etiam in rem nostram scribit Abaelardus. *Cum dicimus*, inquit, *eum* (Deum) *aliquid facere, non aliquem in operando motum illi inesse intelligimus: sed ejus sempiternae voluntatis novum aliquem significamus effectum.* — *Ita etiam*

[1]) *De civ. D. l. 12. c. 17. n. 2.* Opp. T. 7. c. 316 s. Cf. *l. 22. c. 2.* c. 656. *l. 12. c. 20. n. 4.* c. 320. s. *l. 11. c. 4. n. 2.* c. 274 s. *In Ps. 72. n. 7.* T. 5. c. 758.

[2]) *De Gen. ad. litt. l. 1. c. 18. n. 36.* T. 3, P. 1. c. 128 s. Cf. Cyrill. Alex. *De Trinit. Dial. 2.* Opp. T. 5, P. 1. p. 459. *Thesaur. Assert. 4.* Ib. p. 32. — Dionys. Areop. *De eccl. Hierarch. c. 3. §. 3.* Opp. T. 1. p. 287.

post rei completionem, sicut ante, in eodem proposito dispositionis consistens, ut ita id velit completum, sicut ante voluerat complendum. Sicut ergo sol, cum ex calore ejus aliqua calefieri contingit, nulla hinc in ipso, vel in calore ejus mutatio fit, quamvis res inde calefacta sit mutata: ita nec Deus, cum aliqua ejus nova fuerit disponere, ideo mutari dicendus est, quamvis novi operis vel mutationis rerum quaedam ipse sit causa vel auctor[1]). Hinc et illas adpellationes Creatoris, Domini, etc. Deus non demum mundo creato acquisivit, sed quum huncce inde ab aeterno creaturus, vel potius creans esset, etiam ab aeterno Creator ac Dominus, etc. erat, licet mundus ab aeterno non sit conditus, uti noster Judex est, et quidem pariter inde ab aeterno, quamvis nondum simus ab ipso judicati[2]). Insuper adpellationes illae nonnisi σχέσεις externae sunt, quae Deo nullam perfectionem important, ita ut, etiamsi statueretur, illas ad divinam substantiam accessisse, Deus per eas perfectior factus dici haud posset, prout Augustinus docet hisce verbis: *Quomodo obtinebimus, nihil secundum accidens dici Deum, nisi quia ipsius naturae nihil accidit, quo mutetur, ut ea sint accidentia relativa, quae cum aliqua mutatione rerum, de quibus dicuntur, accidunt. — Nummus cum dicitur pretium, relative dicitur, nec tamen mutatus est, cum esse coepit pretium: neque cum dicitur pignus, et si qua sunt similia. Si ergo nummus potest nulla sui mutatione toties dici relative, ut neque cum incipit dici, neque cum desinit, aliquid in ejus natura vel forma, qua nummus est, mutationis fiat: quanto facilius de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, ut ita dicatur relative aliquid ad creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiae Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturae, ad quam dicitur*[3]). Neque porro per Incarnationem Deus immutatus est; quoniam mutatio in aliud fieri non potest, nisi esse desinat, quod prius fuerat; in Incarnatione autem Deus sic assumsit nostra, ut non dimitteret sua. Verbum enim factum est homo per assumtionem humanitatis in unitatem personae, sustentando, perficiendo ac supplendo propriam

---

1) *Introd. in Theol. l. 3. c. 6.* Opp. Par. 1616. p. 1125.

2) Cf. Cyrill. Alex. *Thesaur. Assert. 4.* Opp. T. 5. P. 1. p. 32. — Zachar. Mityl. *De mund. opific.* In Galland. *Biblioth. PP.* T. 11. p. 285. B. C. — Maxim. *Centur. 4. De carit. n. 3. Bibl. PP. max.* Lugdun. T. 12. p. 434.

3) *De Trinit. l. 5. c. 16. n. 17.* Opp. T. 8. c. 842. Cf. *Confess. l. 1. c. 4. n. 4.* T. 1. c. 71. *De civ. D. l. 12. c. 14.* T. 7. c. 312. *c. 17. n. 2.* c. 316 s. — Ps. Justin. *Quaest ad Orthod. q. 113.* Opp. Justin. p. 525 s.

humanitatis subsistentiam, non autem per conversionem vel per acquisitionem novae alicujus perfectionis. Itaque mutata est humanitas, et quidem in melius, quando assumta est a Verbo in unitatem suppositi; at divinitas nihil novi acquisivit, cum omnem humanitatis perfectionem eminenter in se contineat, nihil etiam amisit ac perdidit, ut sol, qui nubem interpositam illustrat, per ipsam obscurari videtur, in se autem idem manet[1]). — Denique quod ad iram et alias animi motiones, Deo in SS. Litteris tributas, attinet: hae, ut supra jam monstravimus, Deo nonnisi spectato effectu tribui possunt, et revera tribuuntur. Eadem videlicet Dei substantia immota in se manens, prout refertur ad hominem justum, illum diligere, eique favere dicitur, prout vero refertur ad peccatorem, eum odio habere, ac ipsi irasci, pro vario nimirum statu, in quo homines versantur, sicut unus et idem sol pro varia dispositione rei, in quam agit, ceram liquefacit et lutum indurat, oculos sanos vegetat et lippos cruciat. *Quid est*, ait Augustinus, *perversus eris cum perverso? Perversum te putabit perversus. Non quod ullo modo pervertatur Deus. Absit*; *quod est, est. Sed quemadmodum sol oculos puros, sanos, vegetos, fortes habenti tranquillus adparet, in oculos autem lippos quasi tela aspera jaculatur*; *intuentem illum vegetat, hunc excruciat non mutatus, sed mutatum: sic cum coeperis esse perversus, et tibi Deus perversus videbitur; tu mutatus es, non ille. Erit ergo tibi poena, quod bonis gaudium*[2]). Et: *Quis est hominum, cui non occurrat in Deo cuncta praesciente poenitentiam esse non posse? — Quapropter cum legimus etiam Deum dicentem: Poenitet me, consideremus, quod esse soleat in hominibus opus poenitendi. Procul dubio reperitur voluntas mutandi*; *sed in homine cum dolore animi est*; *reprehendit enim in se, quod temere fecerat. Auferamus ergo ista, quae de humana infirmitate atque ignorantia veniunt, et remaneat solum velle, ut non ita sit aliquid, quemadmodum erat: sic potest aliquantum intimari menti nostrae, qua regula intelligatur, poenitet Deum. Cum enim poenitere dicitur, vult non esse aliquid, quod fecerat, ut esset: sed tamen et cum ita esset, ita esse debebat*; *et cum ita esse jam non sinitur, jam non debet ita esse, perpetuo quodam et*

---

[1]) Cf. Ps. Ambros. *Tr. de fid. orthod. cont. Arian. c.* 8. Opp. Ambros. T. 2. append. c. 354 ss. — Augustin. 83 *quaest. q.* 73. Opp. T. 6. E. 64 s.

[2]) *In. Ps. 72 n. 7.* T. 4. c. 758.

tranquillo aequitatis judicio, quo Deus cuncta mutabilia immutabili voluntate disponit[1]).

Observ. 2. Cum Deus sit immutabilis:

1. Promissis divinis confidentes, *solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam, ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis*[2]).

2. Bonis caducis hujus terrae nunquam inhiemus; *praeterit enim figura hujus mundi*[3]), *thesaurizantes nobis thesauros in coelo: ubi neque aerugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur*[4]); *id enim, quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis. Non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur, temporalia sunt: quae autem non videntur, aeterna sunt*[5]).

3. Arundini vento agitatae nunquam simus similes, qui Deum immutabilem adoramus; sed animi constantiae ac firmitati omnibus viribus studere enitamur.

§. 13. 3. c. Aeternus.

Immutabilitatis, quam exposuimus, comes ac complementum est aeternitas. Aeternum autem vel sempiternum ex communi usu loquendi proprie dicitur, quod neque initium, ut esset, habuit, neque cessare potest unquam esse. Quando enim nonnunquam loco *semper* seu *tempus omne*, quo res aliqua per-

---

[1]) *Ad Simplic. q. 2. n. 2. et 4.* T. 6. c. 112. 114. Cf. *De civ. D. l. 22. c. 2. n. 1.* T. 7. c. 656. *l. 15. c. 25.* c. 469 s. *Enchirid. c. 33. n. 10.* T. 6. c. 209. *Cont. Adimant. c. 11. 13.* T. 8. c. 122 s. *Cont. Advers. Leg. e Prophet. l. 1. c. 20. n. 40.* T. 8. c. 571. etc. — Origen. *Exhort. ad martyr. n. 9.* Opp. T. 1. p. 280. *Cont. Cels. l. 4. n. 15* s. p. 510 s. *Hom. 8. in Exod. n. 5.* T. 2. p. 159 s. — Ps. Justin. *Quaest. ad orthod. q. 36.* Opp. Justin. p. 488. — Tertull. *Cont. Marcion. l. 2. c. 24.* Opp. V. 2. p. 202 ss. — Theodoret. *In Gen. q. 52.* Opp. T. 1. p. 43. — Hilar. *In Ps. 2. n. 12—13. 17—18.* Opp. T. 1. c. 37 s. 39 ss. — Isidor. Hispal. *Sent. l. 1. c. 5.* Opp. p. 415. — Gregor. M. *Moral. l. 12. c. 10. n. 14.* Opp. T. 1. c. 398. *l. 20. c. 32. n. 62—64.* c. 665 ss.

[2]) Hebr. 6, 18—19.

[3]) 1. Cor. 7, 31.

[4]) Matth. 6, 20.

[5]) 2. Cor. 4, 17. 18.

severatura est, vel vero etiam de breviore temporis spatio in affectu per hyperbolen adhibetur[1]), sensu nonnisi improprio sumitur. Ad propriam significationem accedit, si de felicitate fine caritura, initium tamen habente, usurpatur. — Ad plenam tamen aeterni notionem adhuc pertinet, quod illud non evolvatur per partes, sed omnem motionem ac successionem affectionum una excludat; non enim praeteriti, praesentis ac futuri differentiam habet, sed in puncto ac momento consistens, mutationem ac vicissitudinem ignorat. Est itaque aeternum constans et fixa temporis omnis atque principio et exitio carens praesentia. Atque aeternitas in Deo est illa perfectio, qua ipse uti limitum temporis, initii et finis, ita et successionis ac motionis ejusdem est expers; seu aeternitas est *interminabilis exsistentiae vel potius vitae plenitudo*, ut ait Boëthius[2]), *seu interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio*, ut habet S. Thomas[3]).

Pro hocce attributo itaque in Deo unicum instans est, semper praesens et subsistens. *Aeternitas*, ait Augustinus, *ipsa Dei substantia est, quae nihil habet mutabile; ibi nihil est praeteritum, quasi jam non sit; nihil est futurum, quasi nondum sit. Non est ibi, nisi Est; non est ibi fuit et erit; quia et quod fuit, jam non est: et quod erit, nondum est: sed quidquid ibi est, nonnisi est*[4]).

Sociniani quidem fatentur, Deum aeternum esse, qui nec principium nec finem habeat; verum, aeternitatem ejus successioni et variis temporum differentiis obnoxiam esse, sentire videntur. Aeternitatem tamen sensu supra exposito Deo tribuendam esse, docent:

A. SS. Litterae. Nam eaedem non tantum Deum expresse

---

1) Gen. 13, 15. 17, 8. 49, 26. Lev. 3, 17.

2) *De consid. Philos. l. 5. pros. 6.* Palav. 1611. p. 118. Inferius ait: *Quod igitur interminabilis vitae plenitudinem totam pariter comprehendit, ac possidet; cui neque futuri quidquam absit, nec praeteriti fluxerit, id aeternum esse jure perhibetur: idque necesse est sui compos praesens sibi semper assistere, et infinitatem mobilis temporis habere praesentem.* p. 119.

3) *1. q. 10. art. 1.* Opp. T. 20. p. 45 s. Cf. Richard. a S. Victor. *De Trinit. l. 2. c. 4.* Opp. p. 224. c. 2.

4) *Serm. 2. in Ps. 101. n. 10.* Opp. T. 4. c. 1107. Cf. *Confess. l. 9. c. 10. n. 24.* T. 1. c. 166. *l. 11. c. 13. n. 16.* c. 200.

aeternum[1]), atque viventem in sempiternum[2]) adpellant, porro eum praedicant, cujus justitia sit *justitia in aeternum*[3]), misericordia *misericordia in saeculum*[4]), sapientia *candor lucis aeternae*[5]), potestas et regnum *potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum sempiternum, quod non corrumpetur*[6]), *aeterna virtus et divinitas*[7]), *qui regnabit in aeternum, et in saeculum saeculi*[8]), cujus *consilium atque verbum manet in aeternum*[9]), *nomen est in aeternum*[10]), atque *sedes in saeculum saeculi*[11]); sed et expresse omne initium ac finem, nec non omnem successionem ac differentiam ab illo excludunt. *Priusquam montes fierent*, canit Psalmista, *aut formaretur terra, et orbis: a saeculo et usque in saeculum tu es Deus. — Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quae praeteriit*, i. e. cui, utpote in suo esse constanter ac stabiliter permanenti, omnia mundana sunt praesentia[12]). Et rursus: *In generationem, et generationem anni tui. Initio, tu Domine, terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent: et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*[13]). Idem paucis edisserit Propheta Isaias. quum nomine Dei ait: *Ego Dominus primus, et novissimus ego sum;* et quum dicit: *Dominus Deus: qui est, et qui erat, et qui venturus est*[14]). Quod Apostolus his exprimit verbis: *Ego sum α et ω, principium, et finis*, i. e. a tempore minime comprehensus, tempus potius omne superans et

---

1) Gen. 21, 33. Js. 40, 28. Jer. 10, 10. Bar. 4, 22. 2. Mach. 1, 25. Rom. 16, 26.
2) Deut. 32, 40. Ps. 9, 8. Eccli. 18, 1. Dan. 4, 31.
3) Ps. 118, 142. 144. 153, 13.
4) Ps. 137, 8.
5) Sap. 7, 26.
6) Dan. 7, 14. 27. 4, 31.
7) Rom. 1, 20.
8) Ps. 9, 16. Exod. 15, 18.
9) Ps. 32, 11. 118, 89. 1. Petr. 1, 25.
10) Ps. 134, 13.
11) Ps. 44, 7.
12) Ps. 89, 2—4. Cf. Habac. 1, 12.
13) Ps. 101, 25—28.
14) Is. 41, 4. 44, 6. 48, 12.

quasi absorbens, ejusque Dominus [1]), unde et *Rex saeculorum* a Paulo cognominatur. *Regi autem saeculorum immortali, invisibili, soli Deo honor, et gloria in saecula saeculorum*[2]). — *Qui solus habet immortalitatem*, i. e. qui solus vere est, ita ut non possit non esse, vel etiam alio modo esse, ac est [3]). Quod pariter verba Petri edisserunt: *Unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus*, utpote apud quem nulla est temporis fluxio ac differentia [4]).

B. Traditio. Certissima est haec et pervulgata SS. Patrum doctrina. Gregorius Naz. ait: *Deus et erat semper, et est, et erit: vel ut rectius loquar, semper est. Nam erat, et erit, nostri temporis, fluxaeque naturae segmenta sunt. Ille autem semper est, atque hoc modo seipsum nominat, cum in monte Mosi oraculum edit. Universum enim id, quod est, in se complectitur; nec principium habens, nec finem habiturum, velut pelagus quoddam essentiae immensum et interminatum, omnem tum temporis, tum naturae cognitionem superans*[5]). — Gregorius Nyss. de aeternitate Dei longam et eruditam instituit orationem in libris suis adversus Eunomium, ac supra αἰῶνας omnes in infinitum eum porrigi, ait, intervalli omnis et extensionis expertem; atque deinde ita concludit: *At vero illa nullius egens, et sempiterna, et quae omnia suo complexu comprehendit natura, neque in loco est, neque in tempore. Sed ante haec et supra haec inenarrabili quadam ratione, ipsa in seipsa sola fide conspicitur, neque saeculis circumscripta neque cum tempore decurrens, sed in se ipsa consistens et in se ipsa fundata et solidata, in qua neque praeteritum, neque futurum invenias: nihil enim ipsius extra ipsam* (i. e. non necessarium) *est, quo transeunte, aliud quidem praetereat, aliud vero futurum sit* [6]). — Dionysius Areop. passim idem praedicat. *Deus enim*, inquit, *non quovis modo est ens, sed simpliciter et infinite totum esse in se pariter complexus et anti-*

---

1) Apoc. 1, 8. 17. 21, 6. 22, 13.

2) 1. Tim. 1, 17.

3) 1. Tim. 6, 16. Cf. Augustin. *Tr. 23. in Joan. n. 9.* Opp. T. 3. P. 2. c. 477. G.

4) 2. Petr. 3, 8.

5) *Or. 38.* Opp. T. 1. c. 546. A. B.

6) *L. 1.* Opp. Par. 1638. T. 2. p. 362. D.

cipans; quamobrem etiam ***Rex saeculorum*** *nominatur, ut in quo et penes quem cujuslibet esse et sit et constet, et in quo nec erat, nec erit, neque factum est, neque fiet, imo nec est; sed ipse est esse rebus: et non tantum ea, quae sunt; sed ipsum esse rerum, ex proaeterno ente. Ipse enim est aevum aevorum, exsistens ante omne aevum?*[1]). — **Zacharias Mitylen.** tradit, propriam divinitatis notam esse aeternitatem. *Jam vero,* ait, *quaenam* (notatio) *fuerit dignior admiratione, et aptior beatae naturae, quam existimare, eam ab aeterno exsistere, et solam immutabilem, nullius egentem eorum, quae suffecta sunt, — sempiterneque eodem modo se habentem simpliciter, et neque principium ullum habentem neque finem, eam autem propter solam bonitatem condere, si condat: caetera vero genita esse et mutabilia, temporarium habere principium; ita ut solius Dei sit sempiternitas, annexumque ipsi sit uniformiter esse, et solum, et immutabiliter*[2]). — **Boëthius:** *Deum aeternum esse,* scribit, *cunctorum ratione degentium commune judicium est*[3]). — **Tertullianus:** *Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definio, quod et omnium conscientia agnoscet; Deum summum esse magnum, in aeternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine. Hunc enim statum aeternitati censendum, quae summum magnum Deum efficiat, dum hoc est in Deo ipsa, atque ita et caetera*[4]). Et inferius: *Non habet tempus aeternitas. Omne enim tempus ipsa est. Quod facit, pati non potest. Caret aetate, quod non licet nasci. Deus si est vetus, non erit: si est novus, non fuit. Novitas initium testificatur, vetustas finem comminatur. Deus autem tam alienus ab initio et fine est, quam a tempore, arbitro et metatore initii et finis*[5]). — **Ambrosius:** *Nihil tam proprium Dei, quam semper esse*[6]). — **Augustinus:** *Summum bonum, quo superius non est, Deus est: ac per hoc incommutabile bonum est;*

---

1) *De div. nom. c. 5. §. 4.* Opp. T. 1. p. 690 s. Cf. **Maxim.** *Schol. ad h. l.* Ib. p. 765 s.

2) *De mund. opif.* In **Galland.** *Bibl. PP.* T. 11. p. 284. B.

3) *De consol. Philos. l. 5. p. 6.* p. 118.

4) *Adv. Marcion. l. 1. n. 3.* Opp. V. 2. p. 148 s. Cf. *Adv. Hermog. n. 4.* V. 1. p. 351 s.

5) *Adv. Marcion. l. 1. n 8.* V. 2. p. 163.

6) *In Ps. 43. n. 19.* Opp. T. 1. c. 896. B.

et ideo vere aeternum est, et vere immortale[1]). *Non enim aliud anni Dei, et aliud ipse Deus: sed anni Dei, aeternitas Dei est: Aeternitas ipsa Dei substantia est, quae nihil habet mutabile*[2]). — Et de aeterna, increataque sapientia loquens: *Per quam*, inquit, *fiunt omnia ista, et quae fuerunt, et quae futura sunt; et ipsa non fit, sed sic est, ut fuit, et sic erit semper; quin potius fuisse, et futurum esse non est in ea, sed esse solum, quoniam aeterna est. Nam fuisse et futurum esse non est aeternum*[3]). — Gregorius M.: *Dies et anni hominis a diebus et annis discrepant aeternitatis: quia vitam nostram, quae tempore incipitur, tempore finitur, dum intra sinus sui latitudinem format, aeternitas devorat. Cujus nimirum immensitas, quia ultra citraque super nos tenditur, sine inchoatione et termino ejus aeternum esse dilatatur: eique nec transacta praetereunt, nec adhuc ventura, quasi quae non appareant, desunt: quia is, qui semper esse habet, cuncta sibi praesentia conspicit: cumque aspiciendo post et ante non tenditur, nulla intuitus mutatione variatur*[4]). — Isidorus Hispal.: *Omnia tempora praecedit divina aeternitas: nec in Deo praeteritum, praesens, futurum aliquod creditur: sed omnia praesentia in eo dicuntur, quia aeternitate sua cuncta complectitur: alioqui mutabilis est Deus credendus, si ei successiones temporum adscribantur*[5]). — Mar. Victorinus: *Quod a se vivit, ex aeterno et in aeternum vivit: nunquam enim se deserit, quod sibi causa est, ut hoc ipsum sit, quod exsistit*[6]). — Et simili modo disserunt reliqui[7]). Quoad Ecclesiae universalis praedicationem provocamus ad Conc. Lateran. IV. saepius jam laudatum, et ad Symbolum Athanasianum, quod ha-

[1]) *De nat. bon. contr. Manich. c. 1.* Opp. T. 8. c. 801. A. Cf. *c. 39.* c. 511.

[2]) *In Ps. 101. Serm. 2. n. 10.* T. 4. c. 1107.

[3]) *Confess. l. 9. c. 10. n. 24.* T. 1. c. 166. Cf. *l. 11. c. 11. n. 13.* c. 199. et al. pass.

[4]) *Moral. l. 9. c. 47. n. 72.* Opp. T. 1. c. 321. Cf. *l. 16. c. 43. n. 54.* c. 521. *l. 20. c. 32. n. 63.* c. 667. *l. 27. c. 7. n. 10.* c. 857. etc.

[5]) *Sent. l. 1. c. 8.* Opp. 415. c. 2.

[6]) *Cont. Arium. l. 4. n. 6.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 8. p. 188. c. 2. Cf. *l. 4. n. 9.* p. 189.

[7]) Cf. Origen. *Cont. Cels. l. 2. n. 51.* Opp. T. 1. p. 426. D. — Basil. *Cont. Eunom. l. 2. n. 17.* Opp. T. 1. p. 252 s. — J. Damascen.

bet: *Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus S.; et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus.*

C. Ex ratione. Quum Deus sit infinite perfectus, ac necessarius, seu entis plenitudo ac totalitas: etiam aeternus sit necesse est; alias enim, si Deus initium aut finem haberet, aut in eo vicissitudinis successio locum obtineret, posset ipso ens perfectius, scilicet aeternum excogitari, atque ipse posset etiam non esse, aut aliter esse, ac est, i. e. neque esset perfectus, neque necessarius, seu non esset Deus.

Observ. 1. In SS. Litteris quidem non raro Deo tempus tribuitur; ast haec nonnisi improprie, juxta nostrum tenuem cogitandi et loquendi modum dicta sunt. Etenim nos, qui a temporis flumine ferimur, non possumus nobis non partes in aeternitate fingere, similes illis, qui secundo fluvio descendunt, litora et arbores sursum versus moveri imaginantur.

Observ. 2. Cum Deus solus sit perfectissimus ac necessarius, omniaque extra Deum sint et esse debeant finita ac contingentia: patet, Deum non modo aeternum esse, sed etiam solum aeternum esse, atque omnia entia extra ipsum exsistentia nonnisi per liberum ejusdem creationis actum ex nihilo, adeoque in seu cum tempore esse producta. Quod enim non necessario exsistit, hoc etiam aliquando non exstitit, sed in tempore est ortum. Haec quoque communis est veterum Patrum, qui de hoc tractarunt, sententia, nullam rem a Deo ex aeterno creari potuisse; qua adversus Arianos saepe ac libenter usi sunt. Sic Athanasius: *Quodsi*, ait, *scrutari velint, cur, cum Deus semper possit opera facere, non semper facit: sane insanientium hominum temeritas ista est. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quomodo figmentum dicet fictori: Quid me fecisti sic? Verum ne vel levi objecta ratione, silentio utamur, audiant illi, res factas aeternas esse non potuisse, etiam, si eas semper potuerit facere Deus. Illae enim ex nihilo sunt, nec erant, antequam fierent: quae autem non erant, antequam fierent, quomodo simul cum Deo, qui semper est, possint exsistere*[1])? — Ba-

---

De. fid. orth. l. 4. c. 8. Opp. T. 1. p. 131. — Cassian. *De Incarn. l. 5. c. 8.* Opp. p. 1029. — Prosper. *Epigr. 41.* Opp. p. 638. — Petr. Damian. *Opusc. 36. c. 8. 15.* Opp. T. 3. p. 313. 319. C. — Bernard. *Serm. 31. in Cant.* Opp. V. 1. c. 1384. — Anselm. *Monolog. c. 24. 28.* Opp. p. 13. c. 2 s. p. 15. c. 1. *Proslog. c. 20—22.* p. 33 s. *De Incarn. c. 9.* p. 48. c. 2. A. B.

[1]). *Or. I. cont. Arian. n. 29.* Opp. T. 1. P. 1. p. 433 s.

silius: *Nos autem et creaturis aeternitatis testimonium praebere, et creaturam Dominum hac confessione privare, ejusdem esse amentiae arbitramur*[1]*)*. — Amphilochius: *Quod sine tempore, et ab aeterno est, increatum est: quod autem est increatum, etiam est aeternum: Deus autem solus aeternus est*[2]). — Zacharias Mityienaeus: *Caetera*, ait, *genita esse et mutabilia, temporarium habere principium; ita ut solius Dei sit sempiternitas, annexumque ipsi sit uniformiter semper esse, et solum, et immutabiliter. Nullum igitur eorum, — quae natura obnoxia sunt mutationibus et varietatibus, et omni motui et statui, Deo coaeternum arbitreris. Sic enim quod solum ipsius est proprium, et singulariter, et semper, summam ejus divinitatem non tollemus, fingentes communicare cum ipso aliquid eorum, quae natura mutabilia sunt, neque revera exsistunt*[3]). — Fulgentius: *Sicut omne Creatoris opus sine initio non potuit, nec potest fieri: sic illa sempiterna voluntas ejus, nunquam mutabilitati subjacet, quia initium exsistendi non habet*[4]). — Simulque tradunt inter Deum seu Creatorem et creaturam nihil interjectum ac medium, ut quidquid increatum sit, id non sit aliud quam Deus. *Catholica fides*, ait Augustinus, — *a Deo summo atque incommutabili bono universam conditam dicit esse creaturam, naturasque omnes bonas, quamvis impares Creatori, quia ex nihilo creatos, ideoque mutabiles: ita ut omnino nulla natura sit, quae non aut ipse sit, aut ab ipso facta sit*[5]). Unde patet, falsa esse, quae somniarunt haeretici, materiam, *ὕλην*, aeternam assumentes, nec

---

1) *Adv. Eunom. l. 2. n. 17.* Opp. T. 1. p. 253.

2) *Ex element. Damasc. Rupefaculd.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 6. p. 498.

3) *Disput. de mund. opific.* Ib. T. 11. p. 284. B. C.

4) *Ad Monim. l. 1. c. 12.* Opp. p. 10. Similia habent: Methodius, *De creat. n. 2—5.* ap. Phot. in Galland. *Bibl. PP.* T. 3. p. 799 ss. — Gregor. Nyss. *Cont. Eunom. l. 12.* Opp. Par. 1615. T. 2. p. 344. et 1638. T. 2. p. 360 s. — Cyrill. Alex. *Thes. Assert. 32.* Opp. T. 5. P. 1. p. 302. A. *De Trinit. Dial. 2.* Ib. p. 460. — Maxim. ap. Euthym. *Panopl. pan. 1. tit. 3.* In *Bibl. max. PP.* Lugd. T. 19. p. 27 s. — Joan. Damascen. *De fid. orth. l. 1. c. 3. 8.* Opp. T. 1. p. 126. 142. C. *l. 2. c. 2.* p. 154. — Tertullian. *Adv. Hermog. c. 4.* Opp. V. 1. p. 351 s. — Augustin. *De civ. D. l. 12. c. 15. n. 1.* Opp. T. 7. c. 313. Auctor *L. cont. Felician. c. 7.* Opp. Augustin. T. 8. append. c. 42. — Anselm. *Monolog. c. 24.* Opp. p. 13. c. 2 s.

5) *Cont. Julian. l. 1. c. 8. n. 36.* Opp. T. 10. c. 520. Cf. *In Ps. 58. n. 5.* T. 4. c. 692 s. *De Trinit. l. 5. c. 2. n. 3.* T. 8. c. 833. *l. 8. c. 2. n.*

non Palamitae, lucem divinam a Deo aeterno emicantem, instar splendoris radiorum e sole, eamque aspectabilem atque corpoream, Deo coaeternam, et ab ipso diversam statuentes. — Cum rebus creatis nonnisi immortalitas, non autem ipsa aeternitas communicari potest. Differt tamen immortalitas in Deo ab immortalitate in hisce, quod Deus immortalitatem a se habet, nec eam alteri debet, qui ipsi eam, si velit, auferre possit, et quia immortalitas in illo, recte eo, quod sit necessaria, est cum immutabilitate conjuncta [1].

Observ. 3. Cum Deus solus aeternus, solus bonum incommutabile ac perenne sit:

a. solum ipsum quaeramus, spernamusque bona peritura et fallacia, ne amittamus aeterna; atque

b. praetereuntia mala patienter feramus, nam breve est tempus tribulationis nostrae, et *non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* [2]; nec non

c. tempori parcamus, illoque ad salutem nostram consequendam utamur, quum quovis ejus momento bonum infinitum lucrari valeamus.

§. 14. 4. d. Immensus.

Praeter immutabilitatem ac aeternitatem, quae est aevi ac temporis immensitas, in simplicitate Dei porro continetur altera immensitas, quae spatium ac locum spectat, omnemque ejusdem terminum ac extensionem excludit.

Duplex videlicet affectio omnem rem exsistentem necessario sequitur, locus et aetas; quippe tum alicubi esse id, quod est, oportet, tum aliquando. Quorum finita, circumcriptaque est substantia, eorum definitum est spatium, in quo exsistunt, esse ve coeperunt. Nam quod coepit, antequam inciperet, non fuit; ita-

---

3. c. 866 s. *De nat. bon. c. 1.* c. 501. — Method. l. c. — Gregor. Nyss. *Cont. Eunom. l. 12.* Opp. T. 2. p. 344.

[1]) Ps. Justin. *Quaest. ad Graec. q. 9.* Opp. Justin. p. 582. *Quaest. et resp. ad orthod. q. 61.* Ib. p. 498. — Theodoret. *Eran. Dial. 3.* Opp. T. 4. p. 116 ss. — Method. *De creat. n. 5.* Ap. Phot. *cod.* 235. In Galland. *Bibl. PP.* T. 3. p. 801. — Novatian. *De Trinit. c. 4.* Ib. T. 3. p. 289. *c.* 2 *s.* — Prosper. *Sent. ex Augustin. Sent. 183.* Opp. c. 569. — Augustin. *De Trinit. l. 15. c. 5. n. 7.* Opp. T. 8. c. 971. *l. 1. c. 1. n.* 2. c. 750. *Serm. 65. de verb. Ev. Matth. c. 3. n. 4.* T. 5. c. 369. *Serm. 213. In trad. Symb. I. n. 1.* c. 937. *In Ps. 146. n. 11.* T. 4. c. 1644. etc. — Gregor. M. *Moral. l. 12. c. 33. n. 38.* Opp. T. 1. c. 406. *l. 25. l. 6. n. 9.* c. 791. *l. 32. c. 7. n. 9.* c. 1051 a.

[2]) Rom. 8, 18.

que certo in temporis, aevique spatio initium habuit, et in eodem certo temporis, aevique spatio, quoad manet, perseverat. Quod idem de loco, ubi sit, dicere convenit. Siquidem non potest non esse alicubi, si est aliquid limitibus circumscriptum, et ideo sibi inclusam habet causam et principium movendi et quiescendi; quod utrumque determinatum et tempus et locum requirit. At vero quod infinitum est, id certum ac definitum neutrum habet, sed omnem possibilis, uti temporis, ita et loci immensitatem exhaurit. Ejusmodi jam, quem vera et Catholica religio colit, Deus est.

Est itaque immensitas Dei, de qua hic nobis sermo est, nil aliud, quam illimitata ejus in rebus omnibus inexsistentia seu praesentia, vel, ut adcuratius loquamur, illa perfectio, qua Deus omni termino spatii ac loci, nec non extensione seu concretione (des Nebeneinanderseins) carens, res omnes pervadit ac penetrat, iisque non tantum sua potentia ac operatione, sed et sua substantia intime praesens est, et quidem totus, et absque ulla limitatione ac termino.

Hinc non est Deus in singulis rebus atque singulis loci partibus praesens per divisionem, vel multiplicationem, vel per contactum physicum corporis instar, sed tamquam simplex omnino, ubique totus, modo simplicissimo. Verum etiam porro rebus omnibus ac locis non adest instar entis alicujus simplicis finiti, seu spiritus creati, qui totus est in loco, ac totus in qualibet parte loci, et tamen loco clauditur ac continetur. Nam quemadmodum Deus pro sua aeternitate nullis temporis spatiis continetur, ita etiam pro sua immensitate nullis locorum limitibus includitur, verum prout ipse in tempore non est, sed tempus in ipso, ita etiam in rebus non est, sed res in ipso, et sicut ipse omni successione caret, neque per partes evolvitur, ita quoque caret omni extensione, nec per spatia dividitur. Unde potius cum loco vel tempore, quam in loco vel tempore Deus est, ut ait Anselmus [1]), atque non tam hocce contineri, quam locum ipsum continere dicendus, ita ut, assumta infinita rerum ac locorum multitudine, omnibus adesset. Modus itaque, quo Deus immensitate sua omnia replet ac continet, quin tamen ab omnibus contineatur, prorsus singularis est, atque a mente nostra, phantasmatibus et corporeis imaginibus assueta, nec vere concipi nec explicari potest.

[1]) *Monol. c. 22. Opp. p. 12. s.*

Adversus immensitatem Dei peccaverunt praeter antiquos **Platonicos**, qui Deum intra sphaeram quamdam igneam commorari existimabant [1]), et **illos philosophos**, qui Deum in coelis dumtaxat esse asseruerunt [2]), e veteribus haereticis **Valentiniani**, **Gnostici**, **Manichaei**, qui cum duo rerum principia agnoscerent, unum bonum, alterum malum, illud in regione lucis, et istud in regione tenebrarum collocabant, ne videlicet bonum a malo contaminetur [3]), nec non omnes illi, qui Deum corporeum finxerunt. Inter recentiores haereticos huc pertinent **Sociniani**, qui contendunt, Deum tantummodo quoad virtutem et operationem rebus omnibus adesse, quoad substantiam autem solo coelo contineri [4]). Eamdem opinionem erroneam saec. XVI. **Steuchus Eugubinus** tenebat.

Doctrina autem vera ac Catholica est, **Deum immensum esse, rebusque omnibus ac locis non tantum cognitione et operatione, sed essentia intime, summo in gradu ac immediate praesentem adesse.** Quam A. S. **Scriptura** pulcherrime et in infinitis fere locis exponit. Ex quibus tantum principaliora adferemus. Ex Scriptoribus A. T. jam **Moyses**, loquens ad populum Israëliticum, ait: *Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo, quod* ***Dominus*** *ipse sit* ***Deus in coelo sursum, et in terra deorsum*** [5]). Et in libro **Job** legitur: ***Excelsior coelo est, et*** *quid facies?* ***profundior inferno,*** *et unde cognosces?* ***Longior terra mensura ejus, et latior mari*** [6]). Quo utroque loco modo populari Deus ubique praesens, nullisque spatiis finitus describitur. Simili modo **Salomon** in inauguratione templi immensitatem Dei profitetur, cum orans ait: ***Si enim coelum, et coeli coelorum te capere non possunt,*** *quanto magis domus haec, quam aedificavi* [7])? Cui consonant **Isaiae** verba: *Haec dicit Dominus:* ***Coelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum:*** *quae est ista domus, quam aedificabitis mihi? et quis est iste locus quietis*

---

[1]) Cf. **Justin. M.** *Cohort. ad Graec. n. 5—6.* Opp. p. 10 s.

[2]) Cf. Id. l. c.

[3]) Cf. **Augustin.** *Cont. Epist. fundam. c. 11. 15. n. 16. 19.* Opp. T. 8. c. 159. 161. *Cont. Faust. l. 25. c. 1.* T. 8. c. 433. *Confess. l. 5. c. 10. n. 20.* T. 1. c. 116. etc.

[4]) Cf. **Crellius**, *De ver. relig. l. 1. c. 27.*

[5]) Deut. 4, 39.

[6]) Job. 11, 8. 9.

[7]) 3. Reg. 8, 27. Cf. 2. Paral. 6, 18.

meae [1])? — Jeremias autem Deum loquentem inducit sequentem in modum: *Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis: et ego non videbo eum? dicit Dominus: numquid non coelum, et terram ego impleo? dicit Dominus* [2]). Sensus est: Deus ubique praesens est, et quidem substantiâ, quum replendi vox ad mentis ac voluntatis actionem restringi nequeat, et proptera nihil coram eo est absconditum [3]). — Eodem prosus sensu canit Psalmista: *Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me: et tenebit me dextera tua. Et dixi: Forsitan tenebrae conculcabunt me: et nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebrae non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebrae ejus, ita et lumen ejus* [4]). — Atque Baruch: *Magnus est,* inquit, (*Deus,*) *et non habet finem: excelsus et immensus* [5]). In his omnibus locis manifeste de substantiali Dei ubique praesentia sermo est, quum illae dicendi formulae, licet metaphoricae, nonnisi illi, nequaquam autem cognitioni tantum aut efficaciae virtutis divinae adcommodari possint. — Non minus autem porro ex N. T. colligitur, Deum ubique, et quidem substantiâ, non vero in coelo tantum, aut aliqua hujus parte praesentem esse. Nam Christus Dominus docet, *coelum esse thronum Dei, terram autem scabellum pedum ejus* [6]), ad verba Isaiae respiciens, cujusmodi verborum figura tota rerum universitas, extremarum partium mentione facta, exprimitur. Atque Paulus apud Areopagitas disserens: *Deus,* ait, *non longe est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, movemur, et sumus* [7]). Quem in locum pulchre adnotat Chrysostomus: *Papae,* inquit,

---

[1]) Ib. 66, 1.

[2]) Jer. 23, 23. 24.

[3]) Cf. Anastas. Sin. *Or. 2. de Incircumscript. n. 5.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 12. p. 245.

[4]) Ps. 138, 7—12.

[5]) Baruch. 3, 25. Cf. Amos. 9, 2—3. Sap. 1, 7—8.

[6]) Matth. 5, 34—35. Cf. Act. 7, 49.

[7]) Act. 17, 27—28. Cf. Ephes. 4, 6.

omnibus prope esse dicit, qui sunt in orbe terrarum. Quid hoc majus? Vide quomodo partitos (qui in parte aliqua collocant Deum) *confutet. Quid dico procul? Ita prope est, ut sine ipso non vivatur. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus. Quasi corporeo exemplo hujusmodi quidpiam dicit: sicut impossibile est ignorare, aërem, ubique diffusum, non procul ab unoquoque nostrum esse, imo et in nobis esse; ita etiam omnium Creatorem.* Et mox etiam illud observat, non dixisse Apostolum *per illum*, sed *in illo* nos moveri, quo magis illius intimam praesentiam ostenderet [1]).

B. Eamdem doctrinam de immensitate Dei quoque Ecclesia semper professa est. Quod probatur

a. ex communi SS. Patrum sententia. Sic Hermas: *Ipse*, inquit, *capax universorum, solus immensus est* [2]).—Theophilus Antiochen. arguit Gentiles, qui deos suos et eorum supremum Jovem certis affixos sedibus putabant, *cum Dei altissimi et omnipotentis et veri Dei est non solum ubique esse, sed etiam inspicere, omnia audire, neque loco contineri* [3]). — Clemens Alex. de bono et sancto viro sermonem faciens: *Talis*, ait, *est, cui est persuasum, Deum ubique adesse, non autem certis ac definitis locis esse conclusum: ut, cum se absque eo esse aliquando existimaverit, noctu et interdiu intemperantiae se dedat et libidini. Per totam ergo vitam diem festum agentes, ubique et omni ex parte Deum adesse persuasi, laudantes agros colimus, etc.* [4]). — Origenes: *Deus omni loco melior omnia comprehendit, nec ulla re comprehenditur* [5]). — Anonymus *Commentarii in Job*, de verbis Jobi agens: „*Venerunt Angeli Dei, ut starent ante Deum*". *Humana*, ait, *usus consuetudine — atque locutione dicit: Venerunt ante Deum, qui omnia replet, qui ubique praesens est, et non est locus, neque in coelo, neque in terra, neque in excelsis, neque apud inferos, ubi non sit praesens Deus* [6]). —

1) *Hom. 38. in Act. n. 3.* Opp. T. 9. p. 290.

2) *Pastor. l. 2. mand. 1.* Coteler. *PP. apost.* Amstel. 1724. V. 1. p. 85.

3) *Ad. Autol. l. 2. n. 3.* Opp. Justin. M. p. 372. Cf. *l. 1. n. 4.* p. 362.

4) *Strom. l. 7. n. 7.* Opp. T. 2. p. 851. Cf. *l. 2. n. 2.* T. 1. p. 431. *l. 5. n. 11—12.* T. 2. p. 689. 695.

5) *Cont. Cels. l. 7. n. 34.* Opp. T. 1. p. 717. F. Cf. *l. 6. n. 71.* p. 686. D. *Hom. 12. in Genes. n. 2.* T. 2. p. 92. c. 1. B. C.

6) *In Job. l. 1.* Opp. Origen. T. 2. p. 860. c. 2. C.

Auctor *Orationis contra gregales Sabellii: Ne quaeratis loci magnitudinem tantam, ut quae possit Dei magnitudinem capere. Non enim immensum in menso est. — Non enim eo Deus omnia implevit, quod ad omnium spatia extendatur, nam illud corpori solum competit: — sed quasi vis quaedam omnia continet: vis enim incorporea, invisibilis est, non circumdat, nec circumdatur*[1]. — Athanasius scribit: *Ubique Filius est, cum in Patre sit, et Pater in ipso. — Creaturae autem in divisis sunt locis: sol quidem et luna caeteraque luminaria in firmamento, in coelo Angeli, et homines in terra. Quodsi Filius, cum non sit in divisis locis, sed in Patre sit, ubique est, et eum extra omnia sit, non est creatura, consequenter nec Spiritus S. erit creatura, cum non sit in divisis locis, sed omnia impleat, ac extra omnia sit*[2]. Et alibi ait: *Deus, qui per se vere est, omnia continet, et a nulla re ipse continetur: in omnibus est sua bonitate et potentia; at extra omnia est propria natura* (i. e. ab iis tamen omnibus naturâ suâ diversus[3]). — Eusthatius apud J. Damascenum: *Deus universa replet, nullo circum termino definitus. Qui enim a loco minime circumscribitur, is prorsus, ut Davidis cantico fertur, in omni loco erit. Qui si enim extra locum aliquem esset, oporteret ipsum illo terminari, a quo destitueretur. Cum ergo totus in universo exsistat, nequaquam ex aliis in alia loca migrat, a quo replentur omnia*[4]. — Cyrillus Alex. Deum, de immensitate ejus agens, vocat ἄτοπον, i. e. illocalem, magnitudinis et circumscriptionis penitus expertem[5]. — Basilius: *Neque Pater*, inquit, *in loco, neque Filius in ambitu ullo, aut certa circumscriptione comprehenditur: sed infinitus* (ἄπειρος) *Pater, infinitus est Filius. Quidquid cogitaveris, et quocumque spiritu tuo perrexeris, omne id Deo plenum invenies: ubique offendes pariter coextensam Filii hypostasin*[6]. —

[1]) *N. 10.* Opp. Athanas. T. 2. p. 44. D. s.

[2]) *Epist. ad Serap. n. 4.* Opp. T. 1. P. 2. p. 693.

[3]) *De decr. Syn. Nic. n. 11.* T. P. 1. p. 217. Cf. *Cont. Arian. Or. 3. n. 22.* Ib. p. 572.

[4]) *Ecclog. litt. a. tit. 47.* Opp. T. 2. p. 751.

[5]) *Cont. Julian. l. 4.* Opp. T. 6. P. 2. p. 139. A. Cf. *l. 2.* p. 72. E. *Comm. in Joan. l. 1. c. 9.* T. 4. p. 76 s. *l. 6. c. 1.* p. 600. D. *l. 11. c. 9.* p. 977. D.

[6]) *Hom. in illud: In princ. erat Verb. n. 4.* Opp. T. 2. p. 137. Cf. *De Spir. S. c. 6. n. 15.* T. 2. p. 12. C.

Gregorius Nyss.: *Quis est adeo puerili animo et ingenio, ut ad universitatem aspiciens, in universitate non credat esse Deum, eam induentem* (ἐνδύον), *et continentem et ei insidentem? Ab eo enim, quod est, pendent omnia, nec fieri potest, ut sit aliquid, quod in eo, quod est, non habeat essentiam*, τὸ εἶναι ἔχον[1]). Et hinc etiam ex substantiali praesentia Dei in rebus omnibus, Incarnationem Verbi, qua Deus inest in natura nostra, nihil novum et insolens habere, demonstrat. — Joan. Damascenus: *Deus, ut qui materiae expers sit, et incircumscriptus, in loco non est. Ipse enim sui ipsius locus est, omnia implens, ac supra omnia exsistens, omniaque ipse complectens. Attamen in loco esse dicitur, Deique appellatur locus, ubi ejus virtus et operatio sunt*[2]). — Prae omnibus autem ex graecis Patribus laudari meretur Anastasius, Patriarcha Antiochenus, qui librum de incircumscripta Dei essentia exaravit, atque, Deum non solum actione, ut quidam suo tempore contendebant, sed etiam substantiâ praesentem esse, et ubique inexsistere, demonstrat; et quidem primum ex eo, quod inseparabilis est a natura Dei energia ejus; *si quidem*, ut ait, *operatio est conservatio; conservatur vero, et continetur universum; circa universum versatur energia. Ab hac autem non est substantia separabilis; est igitur circa universum, et in universo substantia Dei.* Deinde vero inde, quod alioqui certo spatio terminata ac definita illius esset substantia. *Etenim si ab uno solo, licet minimo* (loco), *arceatur, modus circumscriptionis est; siquidem ab altero terminari substantiam, terminati circumscriptam esse demonstrat*[3]). — Ex latinis Patribus Cyprianus ait: *Quod templum habere possit Deus, cujus templum totus est mundus? et cum homo latius maneat, intra unam aediculam vim tantae majestatis includam? — Unus est, et ubique totus diffusus est*[4]). — Ambrosius: *Com-*

---

1) *Catech. c. 25.* Opp. Par. 1638. T. 3. p. 83. Cf. *De prof. Christ.* Ib. p. 273. A. B.

2) *De fid. orth. l. 1. c. 13.* Opp. T. 1. p. 149.

3) *Or. 2. De Incircumscripto.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 13. p. 244 s. Cl. Basil. *Adv. Eunom. l. 5. Quod Spir. creator est.* Opp. T. 1. p. 298. — Fulgent. *Ad Monim. l. 2. c. 6.* Opp. p. 32 s. — Anselm. *Monol. c. 13.* Opp. p. 8. c. 2. — Hugo Victor. *Erud. theol. l. 7. c. 19.* Opp. Rothomag. 1648. T. 3. p. 47 s.

4) *De vanit. idol. n. 5.* Opp. T. 2. p. 109.

plens omnia (Deus), inquit, *nusquam ipse confusus: penetrans omnia, nusquam ipse penetrandus: ubique totus, et eodem tempore vel in coelo, vel in terris, vel in novissimo mari praesens*[1])? — Hieronymus: *Deus ubique est, et totus ubique est, a quo quis potest separari, cum in eo sint omnia*[2])? — Hilarius: *Nullus sine Deo, neque ullus non in Deo locus est. In coelis est, in inferno est, ultra maria est. Inest interior, excedit exterior. Ita cum habet, atque habetur, neque in aliquo ipse neque non in omnibus ipse est*[3]). — Augustinus: *Nusquam absens est, qui coelum et terram implet; nec spatiis includitur parvis, magnisque diffunditur, sed ubique totus est, et nullo continetur loco*[4]). — Alibi: *Est ergo Deus per cuncta diffusus. — Sed sic est Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi; sed substantia creatrix mundi; sine labore regens, et sine onere continens mundum. Non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, et in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus; sed in solo coelo totus, et in sola terra totus, et in coelo et in terra totus, et nullo contentus loco, sed in seipso ubique totus*[5]). Atque rursus: *Veritas est Deus. Veritas nec quadra est, nec rotunda, nec longa. Ubique praesens est*[6]). — Gregorius M.: *Ponamus ergo ante oculos mentis, quae illa natura sit, quae tenet*

---

[1]) *De fid. l. 1. c. 16. n. 106.* Opp. T. 2. c. 465. Cf. *In Ps. 118. n. 38 s.* T. 1. c. 1219 s. *De Cain et Abel. l. 1. c. 8. n. 30.* c. 197. *De Spir. S. l. 1. c. 7.* T. 2. c. 617 s. — Ps. Ambros. *Tr. de Trin. s. de Symb. Apost. c. 22.* Ib. Append. c. 335 s. *De dignit. cond. hum. c. 2.* Ib. c. 611. *De fid. orth. c. 6.* Ib. c. 352.

[2]) *In Epist. ad Ephes. 2, 13—14.* Opp. T. 7. c. 580. Cf. *In Is. c. 66.* T. 4. c. 798. E. s.

[3]) *De Trinit. l. 1. n. 6.* Opp. T. 2. p. 5. Cf. *l. 8. n. 24.* c. 230. et al. saepiss.

[4]) *Epist. 147. c. 12. n. 29.* Opp. T. 2. c. 485.

[5]) *Epist. 187.* quae est tota de hoc argumento, *c. 4. n. 14.* c. 682. Cf. *Epist. 222. n. 2.* c. 362.

[6]) *In Ps. 30. Enn. 2. n. 7.* T. 4. c. 149. *Serm. 52. de verb. Ev. Matth. c. 5. n. 15.* T. 5. c. 306. *Serm. 53. c. 8. n. 7.* c. 314. *Confess. l. 7. c. 1.* T. 1. c. 131 s. *Gen. ad litt. l. 8. c. 26. n. 48.* T. 3. P. 1. c. 242. *Cont. epist. fundam. c. 15. n. 20.* T. 8. c. 161. *De Trinit. l. 5. c. 1. n. 2.* c. 833. Etc.

omnia, implet omnia, circumplectitur omnia, superexcedit omnia, sustinet omnia. Neque alia ex parte sustinet, atque alia superexcedit: neque alia ex parte implet, atque alia circumplectitur: sed circumplectendo implet, implendo circumplectitur, sustinendo superexcedit, superexcedendo sustinet [1]. — Anselmus: *Idem est esse Dei, et potestas ejus. Sicut itaque potestas Dei est semper et ubique: ita quidquid est Deus, ubique et semper est* [2]. — Praeter aliquos [3], quos tamen in re certa et clara silentio praetermittimus, solummodo versus Abaelardi, quibus pulchre immensitatem divinam canit, adhuc afferentes:

Super cuncta, subtus cuncta, extra cuncta, intra cuncta.
Intra cuncta nec inclusus, extra cuncta nec exclusus,
Subter cuncta nec subtractus, super cunctà nec elatus.
Super totus possidendo, subter totus sustinendo.
Extra totus complectendo, intra totus es implendo.
Intra nusquam coarctaris, extra nusquam dilataris,
Subtus nullo fatigaris, super nullo sustentaris [4]).

---

1) *L. 1. hom. 8. in Ezech. n. 17.* Opp. T. 1. c. 1241. B. C.

2) *De fid. Trinit. et de Incarn. Verb. c. 4.* Opp. p. 45. D.

3) Cf. Theophil. Antioch. *Ad Autol. l. 1. n. 4.* Opp. Justin. p. 362. C. *l. 2. n. 3.* p. 372. — Ps. Justin. *Quaest. ad orthod. q. 144.* Ib. p. 542. — Titus Bostr. *Cont. Manich. 1. 1. n. 5.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 5. p. 271. E. — Zachar. Mityl. *Disp. de mund. opific.* Ib. T. 11. p. 291. E. — Didym. *De Spir. S. n. 6.* Ib. T. 5. p. 265. c. 2. — Gregor. Naz. *Or. 34.* Opp. T. 1. c. 477 s. *Or. 38.* c. 546. D. — Dionys. Areop. *De div. nom. c. 1. §. 6.* Opp. T. 1. p. 446. — Maxim. *In schol. ad h. l.* Ib. p. 468 s. — Theodoret. *In Ps. 138, 8.* Opp. T. 1. p. 947. *De provid. Or. 10.* T. 4. p. 444. *De haer. l. 5. c. 1.* T. 4. p. 250 ss. — J. Chrysost. *In Ps. 112. n. 2.* Opp. T. 5. p. 290. *In Ps. 33. n. 3.* p. 33 *Ps. 143. n. 3.* p. 462 s. — J. Damascen. *De fid. orth. l. 1. c. 13.* Opp. T. 1. p. 150. — Prosper. *Sent. 123.* Opp. c. 560. — *Confess.* c. 770. C. — Fulgent. *Cont. serm. Fastidios. c. 4—6.* Opp. p. 342 ss. *Ad Monim. l. 2. c. 6.* p. 32 s. *De fid. ad Petr. c. 3. n. 27.* p. 312. — Ephrem. Syr. *Adv. Scrut. Serm. 4.* Opp. T. 3. p. 7. D. — Tertullian. *Adv. Prax. n. 5.* Opp. V. 2. p. 407. — Paschas. *De Spir. S. l. 1. c. 12.* In *Bibl. max. PP.* Lugd. T. 9. p. 812 s. — Petr. Damian. *Opusc. 36. De omnip. c. 6.* Opp. T. 3. p. 312 s. — Vigil. Taps. *Cont. Eutych. l. 1. n. 6.* In *Bibl. max. PP.* Lugd. T. 8. p. 723. — Bernard. *De consid. l. 5. c. 6,* c. 457. A. — Richard. a S. Vict. *De Trinit. l. 2. c.* 22. Opp. p. 230.

4) *Rith. de Trinit.* v. 3 ss.

b. Ex solenni definitione Concil. Lateran. IV., qua decernitur, *Deum immensum* credendum atque confitendum [1]), nec non ex Symbolo Athanasiano, quod habet: *Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.*

C. Verum etiam ratione immensitas Dei demonstrari potest. Sequitur enim illa

a. necessario ex summa et infinita Dei perfectione, ac ejus asseitate. Nam cum immensitas sit perfectio simpliciter simplex, quae omnem imperfectionem sua notione arcet: enti perfectissimo tribui necessario debet; atque si non tribueretur, eo ipso ens illud perfectissimum nec esse nec concipi posset. Porro omne ens circumscriptum necessario, uti finitum, ita et haud necessarium est; et ideo sublata Dei immensitate, non tantum infinita ejusdem perfectio, sed et asseitas tolleretur.

b. Deus vel alicubi est, vel nullibi, aut ubique. Deum substantiâ suâ nullibi esse, ipsi Sociniani haud concedunt. Ergo necessario κατ' οὐσίαν alicubi esse debet. Si vero alicubi est: ubique sit necesse est; cum sit simplex, neque reddi possit ratio, quare in uno potius, quam in altero loco exsistat seu praesens sit.

c. Quum Deus rebus omnibus, quae in universo mundo exsistunt, jugiter esse det: necessario, eum ubique agere atque operari, statuendum est. At Deus non agit per operationem ab essentia divulsam et distinctam, istud quippe non patitur, quae summa est ejus simplicitas, sed per operationem a sua natura indistinctam; atque hinc, Deum in rebus omnibus non solum secundum suam operationem, verum etiam secundum naturam et substantiam intime praesentem esse, intelligitur. Verumtamen non tantum rebus omnibus exsistentibus Deus inexsistit, sed etiam ad exsistendum in rebus omnibus possibilibus ex eadem causa est aptus, quum hae tantum per eum exsistere possint. Est itaque Deus intra omnia, et implet omnia, ita tamen, ut locis haud contineatur, sed ea omnia contineat atque complectatur, seu est, ut illum Dionysius [2]) adpellat, ἐγκόσμιος, περικόσμιος et ὑπερκόσμιος seu ὑπερουράνιος.

Observ. 1. Licet Deus sit ubique totus substantiâ suâ simplici praesens: suâ efficaciâ tamen diverso modo in diversis locis ac rebus adest. Hinc sedem suam in coelo habere dicitur, et speciali ratione coelo inhabitare ac inesse, quia nempe ibi potentiae

[1]) *Capit. 1. De fid. Cath.* Mansi, *Coll. Con.* T. 22. col. 981—982.

[2]) *De div. nom. c. 1. §. 6.* Opp. T. 1. p. 446.

ac munificentiae suae explicat divitias[1]). Ita etiam in justis speciali ac nobiliori ratione per inhabitantem gratiam, non autem per exclusionem praesentiae suae in aliis locis praesens est[2]). Simili sensu porro dicitur descendere et ascendere, accedere et recedere; et quidem descendere, et ad nos accedere dicitur, quando propitius beneficia largitur, aut modo singulari se per miraculum manifestat, recedere vero, quando impios impietati suae permittit[3]). Sunt itaque hae diversae dicendi rationes nonnisi merae phrases humano modo adornatae.

Observ. 2. Quum Deus simplex omnino sit: nequaquam nobis, quando de ejus extensione loquimur, eum cogitare licet extensum extensione materiali, sed tantum virtuali. De extensione hac materiali loquuntur Patres, quando negant, Deum permeare rerum substantias[4]), ad mentem scilicet Stoicorum, qui contendebant, Deum rebus omnibus tamquam partem vel animam mundi immisceri; porro quum Deum nusquam esse asserunt[5]), nempe instar corporis inclusum, utpote qui omnia repleat et contineat; atque quando docent, esse tantum in loco per solam operationem, et nonnisi ex abusu dici eum esse in loco, videlicet circumscripte, instar corporis, aut definite, instar spiritus finiti, non autem quatenus ipse ubique modo incircumscripto et immenso οὐσιωδῶς inexsistit[6]).

Observ. 3. Dogma de immensitate Dei

a. nos in rebus jucundis modestos et temperatos efficit, in adversis autem consolatur ac erigit;

b. a peccatis avocat, etiam occultis, quoniam tenebrae non operiunt, et nox sicut lux coram omnipraesente; atque

c. nos ad studium virtutis quam maxime excitat.

---

[1]) Cf. Is. 66, 1. Ps. 10, 5. J. Damascen. *De fid. orth. l. 1. c. 13.* Opp. T. 1. p. 149. C.

[2]) Cf. Augustin. *Epist. 187. c. 5. n. 16 s.* Opp. T. 2. c. 683. *c. 3. n. 10.* c. 681.

[3]) Cf. Gen. 11, 5. Deut. 23, 11. Joan. 14, 23. Augustin. *De civ. D. l. 16. c. 5.* Opp. T. 7. c. 420. *Epist. 187. c. 5. n. 16.* T. 2. c. 683. — Ps. Augustin. *Serm. 5. de trib. vir. etc.* Ib. T. 5. Append. c. 12.

[4]) Cf. Tatian. *Or. cont. Graec. n. 4.* Opp. Justin. p. 260. — Clem. Alex. *Strom. l. 2. n.* 2. Opp. T. 1. p. 431.

[5]) Cf. Chrysost. *Hom. 5. in Epist. ad Col. n. 3.* Opp. T. 11. p. 361. F. — Augustin. *L. 83 quaest. q. 20.* Opp. T. 6. c. 5.

[6]) Cf. Chrysost. l. c. — Joan. Damascen. *De fid. orth. l. 1. c. 13.* Opp. T. 1. p. 149 s. — Augustin. *De Symb. Serm. 2. n. 2.* Opp. T. 6. c. 576. et ll. s. cc.

§. 15. Intellectus divinus.

Cum Deus sit spiritus, spiritus autem vis in intellectu et voluntate consistat: de hoc ipso intellectu et voluntate, postquam attributa seu perfectiones exsistentiae divinae exposuimus, sermo modo est instituendus, videndumque, quomodo tam ille, quam haec in Deo se habeat seu cogitanda sit.

Et quidem quod attinet ad intellectum: sub eo communiter venit facultas cognoscendi, quae nonnisi rationem possibilis cognitionis in se continet, porro incrementi et decrementi capax est, atque in sua efficacia nisum et conamen conjunctum habet: quae omnia, utpote in se imperfecta, in Deum infinitum cadere non possunt. Unde quando de Dei intellectu loquimur: intelligimus, omnibus illis limitibus semotis, vim Dei infinitam, qua ipse, vel potius substantiam divinam, quatenus haec omnia cognoscibilia uno intuitu simultaneo, aeterno et infallibili exhaurit. Dicimus substantiam divinam, non enim differt intellectus divinus a substantia seu essentia divina, neque est qualitas aliqua vel actio adveniens; quum Deus pro sua infinita perfectione, prouti necessario exsistit, ita et necessario intelligit atque cognoscit; hinc et *νόησις*, prout omnis reliqua absoluta perfectio, ipsius *οὐσία* est[1]). Unde et SS. Litterae ubique[2]) Deum intelligentem docent, atque Ecclesia universalis uno ore per omnia saecula tradidit.

§. 16. 5. Quoad intellectum Deus est: a. Omniscius.

Scientiam perfectissimam tam sui quam rerum reliquarum, seu omniscientiam nemo nisi extreme amens Deo denegandam esse sentire potest. Facilius est enim, ut divinitatem funditus

---

[1]) Cf. Iren. *Adv. haer. l.* 2. *c.* 28. *n.* 5. p. 157. — Cyrill. Alex. *Thes. Assert.* 31. Opp. T. 5. P. 1. p. 267. *In Joan. l. 1. c.* 9. T. 4. p. 73 s. — Didym. *Enarr. Epist. can. Joan.* 3, 2. In Galland. *Bibl. PP.* T. 6. p. 299. A. B. — Maxim. ap. Euthym. *Panopl. pan. 1. tit.* 3. In *Bibl. max. PP.* Lugdun. T. 19. p. 28. *Schol. ad Dion. c.* 5. *de div. nom. §.* 6. Opp. Dionys. T. 1. p. 709. — Nemes. *De nat. hom. c.* 44. In Galland. *Bibl. PP.* T. 7. p. 422. B. — Augustin. *De Trinit. l.* 15. *c.* 13—14. *n.* 22—23. Opp. T. 8. c. 983 s. *De Gen. ad litt. l. 1. c. 5. n.* 10. T. 3. c. 120. — *De civ. D. l. 11. c. 10. n.* 2—3. T. 7. c. 280 s. — J. Damasc. *De fid. orth. l. 1. c.* 14. Opp. T. 1. p. 153. B.

[2]) Cf. Exod. 3, 7. 2. Paral. 6, 30. Job. 14, 13. Ps. 114, 1—2. Sap. 1, 6. Is. 46, 10, 64, 9. Jer. 14, 10. Hab. 3, 2. 1. Joan. 3, 20. Apoc. 2, 23. etc.

negare aliquis audeat, quam ut, eam intelligentem ac scientem non esse, suspicetur.

Potest autem paucis omniscientia describi ceu ea Dei perfectio, qua ipse omnia cognoscibilia perfectissime cognoscit ac scit.

Scit itaque Deus qua omniscius

A. semetipsum;

B. omnia extra se; et quidem

a. omnia exsistentia, eaque

α. sive necessaria sive libera, interna et externa, atque

β. sive praesentia, sive praeterita, sive futura;

b. omnia possibilia; nec non

c. omnia conditionate futura.

Porro quoad modum scientia divina est absoluta, et proinde immutabilis ac aeterna, non successiva, sed simultanea, simplicissima ac indivisibilis, adaequatissima seu verissima, certissima ac distinctissima, essentiam rerum penetrans ac comprehendens visio seu intelligentia; et ideo in Deo nulla datur reflexio, abstractio aut ratiocinatio, nulla memoria aut oblivio, nullumque dubium ac nullus error.

Deo infinitam et universa comprehendentem ac penetrantem cognitionem inesse,

A. per omnes utriusque Testamenti paginas expressum, declaratumque legitur. Ex quibus pauca delibare sufficiat. *Ipse*, legitur in libro Job, *fines mundi intuetur: et omnia, quae sub coelo sunt, respicit*[1]). Atque: *Scio, quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio*[2]). — In Baruch: *Qui scit universa, novit eam* (sapientiam)[3]). — In Psalmis: *Et sapientiae* (scientiae) *ejus non est numerus*[4]). Et alibi: *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua. — Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, et non potero ad eam*[5]). — In libris Regum, in cantico Annae: *Deus scientiarum Dominus est, et ipsi praeparan-*

[1]) Job. 28, 24.
[2]) Job. 42, 2.
[3]) Bar. 3, 32.
[4]) Ps. 146, 5. Cf. Is. 40, 28. Dan. 2, 21—22.
[5]) Ps. 138, 5—6.

tur cogitationes [1]). — In libro Esther, quae orans ad Deum, ait: *Adjura me, nullum aliud auxilium habentem, nisi te Domine, qui habes omnium scientiam* [2]). — In Ecclesiastico: *Cognovit enim Dominus omnem scientiam, et inspexit in signum aevi, annuntians, quae praeterierunt, et quae superventura sunt, revelans vestigia occultorum* [3]). — In epist. ad Hebr.: *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda, et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo est* [4]). Et in 1. epist. Joannis: *Major est Deus corde nostro, et novit omnia* [5]). Praeter haecce et innumera alia S. Scripturae loca, quae disertis verbis testantur, Deum nosse omnia, neque quidquam eum latere, dantur adhuc alia, in quibus Deus per se, perque Prophetas fidem ejusdem faciens inducitur; quae tamen afferre, utpote omnibus nota, opus haud est.

B. Sed nec Patrum hic loci necesse est proferre sententias. Quod non magis infinitum, quam supervacaneum in re manifesta ac ab omnibus admissa foret. Aliqua tamen eorum testimonia in ulteriori veritatis nostrae expositione inferius occurrent.

Quod autem attinet ad ipsam Ecclesiam universalem: haec non tantum veritatem nostram de divina omniscientia fidelibus tamquam articulum fidei semper ac ubique tradit, sed fidem in eamdem omni sua vita profitetur.

C. Quemadmodum vero revelatio, ita etiam ipsa ratio infinitam Dei scientiam indubitate docet. Nam cum Deus in omni genere perfectionum infinitus sit, atque scientia manifeste in eximiis perfectionibus numeretur: in ipso scientia talis, quae eum deceat, ab omni videlicet imperfectione prorsus immunis ac infinita statuenda est; secus enim, si ipse omnia absolute certâ et exploratâ scientiâ non pervaderet, et ipsum aliquid latere posset, perfectissimus, quo nihil perfectius excogitari queat, non esset.

---

[1]) 1. Reg. 2, 3.
[2]) Esth. 14, 14.
[3]) Eccli. 42, 19.
[4]) Hebr. 4, 13.
[5]) 1. Joan. 3, 20.

Quemadmodum autem certum ac indubitatum, Deum omnia cognoscibilia modo perfectissimo nosse; ita quoque certum ac manifestum est, Deum spectato objecto ejus infinitae scientiae speciatim nosse perfectissime

A. semetipsum. Etenim si Deus omnia cognoscibilia perfectissime cognoscit: prae omnibus se ipsum cognoscat necesse est, et quidem:

a. Cognitione adaequata, comprehensiva ac infinita; quum infinite cognoscibilis sit. Quo sensu ait Apostolus: *Spiritus enim (Dei) omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et, quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei* [1]). Et Minucius Felix: *Deus — soli sibi tantus, quantus est, notus. Nobis vero ad intellectum pectus angustum est* [2]).

b. Cognitione intuitiva ac clarissima, quum secus haec non esset perfecta. De qua loquitur Evangelista, dum ait: *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* [3]). Atque

c. cognitione aeterna ac necessaria, quia cognitio ad naturam ac essentiam spiritus infiniti necessario pertinet, qua ille tam parum, quam ipsa essentia sua carere potest.

Cum vero divina mens se ipsam intueatur: necessario etiam omnia, quorum causa est, seu quae fieri inde ab aeterno decrevit, et ideo etiam illa, quae in se haud sunt impossibilia, seu fieri possunt, et quidem non progressione quadam, sed una et simplici visione ac intelligentia scit, neque confuse, universimque dumtaxat, sed distincte ac singillatim perspicit et contemplatur omnia, etiam minutissima quaeque. Et ideo

B. Deus novit perfectissime omnia, quae extra ipsum exsistunt, vel exsistere possunt. Novit itaque

a. omnia singula exsistentia, tam in se, quam κατ' ἐπιφάνειαν, in omnibus suis relationibus atque ex omnibus partibus; et quidem

α. omnia praesentia, quamvis exigua et abjecta, bona et mala, etiam omnia cordis secreta. Quod SS. Litterae passim ac luculenta praedicatione commendant. Sic legitur in Psalmis: *Excelsus Dominus, et humilia respicit; et alta a longe*

[1]) 1. Cor. 2, 10. 11. Cf. Matth. 11, 27. Joan. 1, 18.

[2]) *Octav. c. 18.* In Gattand. *Bibl. PP.* T. 2. p. 391. c. 1. A.

[3]) Joan. 1, 18.

cognoscit [1]). — In Proverbiis: *Infernus et perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum* [2]). — Ita etiam in N. Testamento plura occurrunt loca, quae idem edisserunt; praecipue autem huc spectant ea, quae Dei curam ac providentiam ad minuta quaeque pertinere significant, ut ubi passeres, et quae eis accidunt, Deus dicitur curare, lilia agri vestire, ac volatilia coeli pascere, et alia ejus generis [3]). — Nominatim vero innumerabilia in S. Scriptura occurrunt testimonia, quae homines, eorumque cogitationes, verba atque actiones singulas a Deo cognosci ac dijudicari tradunt. *Omnia corda,* ait Davides ad filium Salomonem, *scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes* [4]). — In Psalmis legitur: *Domine probasti me, et cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam. Intellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam, et funiculum meum investigasti. Et omnes vias meas praevidisti: quia non est sermo in lingua mea. Ecce Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua: tu formasti me, et posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, et non potero ad eam* [5]). — *De coelo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum. De praeparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram. Qui finxit singillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.* [6]) — *Oculi Domini super justos: et aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum* [7]). — *Deus tu scis insipientiam meam: et delicta mea a te non sunt abscondita* [8]). — *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem scientiam* [9])? — In Proverbiis: *In omni loco oculi Domini con-*

1) Ps. 137, 6. Cf. Job. 28, 24. 34, 21.
2) Prov. 15, 11. Cf. Job. 26, 6.
3) Matth. 10, 29. Luc. 12, 6.
4) 1. Paral. 28, 9. Cf. 29, 17.
5) Ps. 138, 1—6. Cf. 7—12.
6) Ps. 32, 13—15.
7) Ps. 33, 16—17. Cf. 37, 10.
8) Ps. 68, 6.
9) Ps. 93, 9. 10. Cf. 43, 22. 117, 168. 7, 10.

templantur bonos et malos[1]). — *Omnes viae hominis patent oculis ejus: spirituum ponderator est Dominus*[2]). — In Ecclesiastico: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes*[3]). — *Opera omnis carnis coram illo, et non est quidquam absconditum ab oculis ejus. A saeculo usque in saeculum respicit, et nihil est mirabile in conspectu ejus*[4]). Et: *Non praeterit illum omnis cogitatus, et non abscondit se ab eo ullus sermo*[5]). — Apud Jeremiam: *Tu autem Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes, et corda, videam ultionem tuam ex eis*[6]). — *Pravum est cor omnium, et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes: qui do unicuique juxta viam suam, et juxta fructum adinventionum suarum*[7]). Et: *Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis: et ego non videbo eum? dicit Dominus*[8]). — Christus Dominus autem ait: *Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*[9]). Atque cum Pharisaeis disputans: *Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra*[10]). — Et Apostolus: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo,* i. e. cui nos olim sumus rationem reddituri [11]).

β. Porro novit Deus omnia praeterita et futura, et quidem non tantum necessaria, sed et contingentia et libera.

Praescientiam in Deo negavit Cicero [12]) ignorans, qua ratione illa conciliari possit cum hominum libero arbitrio, et hinc, ut ait

[1]) Prov. 15, 3.
[2]) Prov. 16, 2.
[3]) Eccli. 23, 28.
[4]) Eccli. 39, 24—25.
[5]) Eccli. 42, 20. Cf. 15, 20. 16, 20. 17, 13. 16. 17. 42, 18.
[6]) Jer. 11, 20. Cf. 20, 12.
[7]) Jer. 17, 9—10. Cf. Sap. 1, 6.
[8]) Jer. 23, 23—24. Cf. 16, 17. Is. 29, 15—16. Hos. 7, 2. Job. 34, 21—22.
[9]) Matth. 6, 4. 6. Cf. 32.
[10]) Luc. 16, 15.
[11]) Hebr. 4, 13.
[12]) Cf. *De div. l.* 2. *n.* 7.

Augustinus [1]), *dum vult facere homines liberos, fecit sacrilegos.* Simili modo Marcion Deo praescientiam cum bonitate et omnipotentia detrahebat, eo quod primum bonum hominem in peccatum labi passus esset [2].) Nec non Sociniani eo dementiae devenerunt, ut dicerent, futura libera ac contingentia conjecturis dumtaxat quibusdam et verisimilibus rationibus Deo nota esse, non certa et firma cognitione; quia futura haec non sunt ex genere scibilium, cum non habeant, ut illis placet, determinatam objectivam veritatem [3]).

Statuuntur autem haec adversus auctoritatem S. Scripturae, quae potius, ut scientiam praeteritorum, ita et praescientiam futurorum in Deo dari, clarissimis verbis ubique docet. *A saeculo usque in saeculum*, ait Ecclesiasticus, *respicit, et nihil est mirabile in conspectu ejus* [4]). — *Omnis homo, qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, et dicens: Quis me videt? Tenebrae circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me: quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit a se timorem Dei hujusmodi hominis* (seu humanus) *timor, et oculi hominum timentes illum: et non cognovit, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes, in absconditas partes; Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic et post perfectum respicit omnia* [5]). Et: *Cognovit Dominus omnem scientiam, et inspexit in signum aevi, annuntians, quae praeterierunt, et quae superventura sunt, revelans vestigia occultorum* [6]).— Psalmista: *Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de utero matris meae.—Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto: et substantia mea in inferioribus terrae. Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, et nemo in eis* [7]). — Sapiens: *Scit (Sapientia divina) praeterita, et de futuris aestimat: signa et monstra scit, antequam fiant, et eventus*

---

1) *De civ. D. l. 5. c. 1. n.* 2. Opp. T. 7. c. 122.

2) Cf. Tertullian. *Adv. Marcion. l. 2. c. 5.* Opp. V. 2. p. 182 s.

3) Cf. Socin. *Praelect. c. 11.* et Crell. *De ver. relig. l. 1. c. 24.*

4) Eccl. 39, 25.

5) Eccli. 23, 25—29. Cf. 17, 18—19.

6) Eccli. 42, 19—20.

7) Ps. 138, 13. 15—16. Cf. 3—5.

temporum et saeculorum [1]. — **Dominus** ad Jeremiam: *Priusquam te formarem in utero, novi te* [2].— **Susanna** apud **Danielem**: *Deus aeterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant* [3]. — Et **Apostolus**: *Notum a saeculo est Domino opus suum,* i. e. id, quod suâ gratiâ effecturus est [4]. — Imo non tantum SS. Litterae scientiam futurorum Deo tribuunt, sed et hanc notam divinitatis esse edisserunt, et eamdem ad falsos deos convincendos ipsis objiciunt. *Accedant*, ait **Isaias**, *et nuntient nobis, quaecumque ventura sunt: priora, quae fuerunt, nuntiate: etponemus cor nostrum, et sciemus novissima eorum, et quae ventura sunt, indicate nobis. Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos* [5]. — *Quis similis mei? Vocet, et annuntiet et ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum: ventura, et quae futura sunt, annuntient eis* [6]. — Quod ad scientiam praeteritorum attinet: pertinent huc quoque omnia illa loca, ubi Deus aliquando omnibus hominibus secundum eorum opera retributurus traditur. — Id ipsum porro tamquam dogma certum atque inconcussum omnes **Patres** docuerunt. **Origenes** scribit: *Propria divinitatis nota est, res futuras ita praedicere, ut praedicendi ratio vires humanas superet, et ex eventu judicetur, divinum Spiritum esse praedictionis auctorem* [7]. — **Tertullianus**: *Quae (praescientia) tantos habet testes, quantos fecit Prophetas* [8].— **Augustinus**: *Confiteri esse Deum, et negare praescium futurorum, apertissima est insania. — Non est autem consequens, ut si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostrae voluntatis arbitrio. Et ipsae quippe nostrae voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque praescientia continetur; quoniam et humanae voluntates operum causae sunt. Atque ita omnes, qui*

---

1) Sap. 8, 8.

2) Jer. 1, 5.

3) Dan. 13, 42.

4) Act. 15, 18. Cf. Is. 46, 10. 48, 8.

5) Is. 41, 22—23. Cf. 45, 21.

6) Is. 44, 7.

7) *Cont. Cels. l. 6. n. 10.* Opp. T. 1. p. 637. c. 2. B. Cf. Cyrill. Alex. *In Is. l. 4. or.* 2. Opp. T. 2. p. 584. D. — Ps. Justin. *Quaest. ad orthod. q. 46.* Opp. Justin. 543 s.—Boëthius, *De consol. phil. l. 5. pros. 6.* p. 120.

8) *Adv. Marcion. l. 2. c. 5.* Opp. V. 2. p. 133. Cf. *Apolog. c. 20.* V. 1. p. 45.

rerum causas praescivit, profecto in eis causis etiam voluntates nostras ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse praescivit. — Qui non est praescius omnium futurorum, non est utique Deus. [1]). — Hieronymus: *Cui (Deo) omnia futura jam facta sunt, et antequam fiant, universa sunt nota* [2]).

Ecclesia autem universalis speciatim hancce veritatem fidelibus, Deum perfectam scientiam rerum omnium, et praecipue actionum humanarum habere, ubique inculcat, atque omni sua agendi ratione ac vita prae se fert.

Nec non ratio ipsa, cum Deus rerum omnium sit auctor atque gubernator, et omnia, quaecumque sunt et fiunt, ex ejus voluntate, sive ordinante sive permittente, sint et fiant, perspicit, notitiam rerum externarum omnium penes illum esse debere. Nam Deus libertate producit universa, quae extra se profundit. Nihil autem libere voluntas efficit, nisi intelligentia prius cognitum, a qua illa regitur, et ad agendum quasi impellitur. Quapropter cum nihil sit, esseve possit, nisi a Deo et ex ejus scientia effectum ac conditum: nihil est omnino, quod non ille cognoscat, sive praesens, sive praeteritum, sive aliquando futurum. Porro Dei scientia, utpote perfectissima, ad omnem rem cognoscibilem se extendere debet; et certe non tantum praesentia, sed et praeterita, atque etiam futura, et quidem non solum necessaria, verum libera quoque ac contingentia sunt in genere rerum, quae sciri et cognosci possunt; et ideo, prout illa, ita et haec divinae menti semper praesentia sint necesse est.

Ex quibus porro clare colligitur, Deum non sic illa, quae apud nos sunt differentiis temporis distracta, intueri, ut ea eodem modo, prout nos, atque iisdem differentiis, quibus sunt implicata, intelligat. Quin potius omnia, sive praeterita sive futura, tamquam praesentia cognitione simplici, aeterna atque rerum exsistentiam praeeunte ac determinante, adeoque certissima ac clarissima, sine ulla confusione et obscuritate cognoscit et considerat. Quod SS. Patres pulchre ac subtiliter exponunt. *Mens di-*

---

[1]) *De civit. D. l. 5. c. 9. n. 1. 3. 4.* Opp. T. 7. c. 121. 123. 124. D. Cf. *Quaest. l. 2. q. 2.* T. 6. c. 112 s.

[2]) *Comment. in Epist. ad Ephes. 1, 4.* Opp. T. 7. c. 548. C. Cf. *Cont. Ruffin. l. 1 n. 22.* T. 2. c. 477. *In Is. 40, 27—28.* T. 4. c. 494. — Gregor. *M. Moral. l. 1. c. 20. n. 36.* Opp. T. 1. c. 53. *l. c. 32. n. 36.* c. 667. *l. 25. c. 6. n. 11.* c. 791 s.

cina, ait Dionysius Areop., *comprehendit omnia cognitione quadam eminenti, qua secundum ipsammet omnium causam in se omnium cognitionem anticipat, priusquam Angeli fierent, cognoscens Angelos, eosque creans, caeteraque omnia intus et ab ipso, ut ita dicam, exordio noscens, et in rerum naturam proferens.— Non enim ex rebus ipsis res discens, novit eas divina mens, sed ex seipsa et in seipsa, secundum causam omnium scientiam et notionem et essentiam praehabet, et ante comprehendit, non singulis secundum cujusque speciem intendens, sed secundum unicam causae complexionem cuncta sciens et continens*[1]). — Tertullianus: *Nam et divinitati competit, quaecumque decreverit, ut perfecta reputare; quia non sit apud illam differentia temporis, apud quam uniformem statum temporum dirigit aeternitas ipsa, et divinationi propheticae magis familiare est id, quod prospiciat, dum prospicit, jam visum, atque ita jam expunctum, id est, omni modo futurum demonstrare* [2]). — Hilarius: *Quid ergo est, praeparanti Deo coelum genitam ab eo adesse Sapientiam; cum neque creatio coeli ex praeparatione consistat, neque naturae Dei sit, in apparatu eum cogitandi operis commorari? Nihil enim non semper cum Deo fuit, quidquid in rebus est: quae etsi ad creationem sui coepta sunt, non sunt tamen ad Dei vel praescientiam vel potestatem inchoata. Et testis est nobis Propheta dicens: „Deus, qui fecisti omnia, quae futura sunt." Quae enim futura sunt, licet in eo, quod creanda sunt, adhuc fient, Deo tamen, cui in rebus creandis nihil novum ac recens est, jam facta sunt: dum et temporum dispensatio est, ut creentur, et jam in divinae virtutis et praescientiae efficientia sint creata. Et idcirco nunc Sapientia natam se ante saecula docens, anteriorem se non solum his, quae creata sunt, docet, sed aeternis coaeternam, praeparationi scilicet coeli et discretioni sedis Dei. — Perpetua enim et aeterna rerum creandarum est praeparatio: neque partibus cogitationum universitatis hujus corpus effectum est* [3]). — Ambrosius:

[1]) *De div. nom. c. 7. §. 2.* Opp. T. 1. p. 749. Cf. Maxim. M. *Schol. ad Dionys. c. 5. de div. nom. §. 6.* Ib. p. 709.

[2]) *Adv. Marcion. l. 3. c. 5.* Opp. V. 2. p. 213.

[3]) *De Trinit. l. 12. n. 39. 40.* Opp. T. 2. c. 431 s.

Deo enim, quae futura, praesentia sunt: et ei, cui praecognita sunt omnia, ventura pro factis sunt, sicut scriptum est: „Qui fecit, quae ventura sunt" [1]). — Augustinus: *Quis ergo hominum potest istam sapientiam, qua novit Deus omnia, ita ut nec ea, quae dicuntur praeterita, ibi praetereant, nec ea, quae dicuntur futura, quasi desint, exspectentur, ut veniant, sed et praeterita, et futura cum praesentibus sint cuncta praesentia; nec singula cogitentur, et ab aliis ad alia cogitando transeatur, sed in uno conspectu simul praesto sint universa: quis, inquam, hominum comprehendit istam sapientiam, eamdemque prudentiam; quando quidem a nobis nec nostra comprehenditur* [2])? Et alibi: *In qua (Sapientia divina) sunt immensi quidam atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium et mutabilium, quae per ipsam factae sunt. Quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest: porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit, quae noverat. Ex quo occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset; Deo autem, nisi notus non esset, esse non posset* [3]). — Mar. Victorinus: *Et quidquid tempora volvunt, praesens semper habet* [4]). — Atque Petrus Damianus: *Est plane sicut coaeternum omnia posse, sic et omnia nosse idemque semper exsistere. In illo itaque summo rerum cardine naturarum omnium jura dispensans, sic omnia tempora, praeterita videlicet, praesentia, et futura intra suae provisionis arcana complectitur, ut nec novum aliquid sibi penitus accedat, nec aliquid ab eo per cursus momenta recedat; sed nec diversis obtutibus diversa considerat, ut cum intendit praeteritis, vacet a praesentibus, vel*

---

1) *De fid. l. 1. c. 15. n. 97.* Opp. T. 2. c. 463. Cf. *l. 2. c. 12. n. 132.* c. 659. *In Ps. 35. n. 11.* T. 1. c. 770.

2) *De Trinit. l. 15. c. 7. n. 13.* Opp. T. 8. c. 975. Cf. *c. 13—14.* c. 983 s.

3) *De civ. D. l. 11. c. 10. n. 3.* T. 7. c. 281. Cf. *De gen. ad litt. l. 5. c. 15. n. 33.* T. 3. c. 192. *Quaest. 83. q. 46. n. 2.* T. 6. c. 17 s. *De div. quaest. ad Simplic. l. 2. q. 2. n. 1 s.* T. 6. c. 112 s. *Conf. l. 13. c. 16. n. 19.* T. 1. c. 231. *De praedest. et grat. c. 5.* T. 10. append. c. 52.

4) *Cosmop. l. 1.* init. Cf. Petav. *De D. Deique propr. l. 4. c. 4. n. 4. De dogm. theol.* Antv. 1700. T. 1. p. 175. c. 2.

futuris, vel rursus cum praesentia, sive futura considerat, oculos a praeteritis avertat; sed uno dumtaxat, ac simplici praesentissimae Majestatis intuitu, simul omnia comprehendit[1]). — Et revera, quum divina substantia pro sua aeternitate tota simul sit, et esse debeat, neque per partes priores et posteriores diffundatur: etiam illud, quod in ea, et per eam cognoscitur, sine ulla successione capiatur necesse est. Etenim cognitio itidem se habet, ut natura ipsa vel substantia cognoscentis. Ea si actionem habet multiplicem, eamque certo spatio dimensam, et a se distinctam, cognitas res sub illa, qua continentur, differentiâ temporis intelligit. Sin divisionis ac compositionis est expers, atque in perfecta et individua monade consistit, totumque illud est, quod habet in se, cujusmodi Deum esse demonstravimus: nihil ab ea, nisi qua praesens est, atque omni caret differentia, percipitur.

b. Porro novit Deus omnia, quaecumque esse aut fieri possunt, licet nunquam sint futura, seu novit omnes creaturas possibiles. Id

α. Apostolus diserte docet, ubi ait: *Qui (Deus) vivificat mortuos, et vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt*, i. e. ea, quae non sunt, et in statu merae possibilitatis versantur, pariter ac ea, quae adsunt, oriri jubere potest, et ideo cognoscat quoque necesse est[2]).

β. Idem autem quoque necessario ipsa ratio statuit. Nam cum Deus secundum sapientissimam suam cognitionem mundum fabricaverit; atque quum proin scientiam perfectam omnium partium ac elementorum istius universi sibi in creatione praelucentem, et ideo hac natura priorem haberet: hasce res non propterea, quoniam futurae, sed tantum, quoniam possibiles in se erant, cognovit; et hinc etiam omnes alias res, quae sunt possibiles, eadem

---

[1]) *Opusc. 36. De div. omnip. c. 7.* Ven. 1743. Opp. T. 3. p. 313. c. 1. C. Cf. Didochus, ap. J. Damasc. *Sacr. parall. L. a. tit. 47.* Opp. c. 2. p. 751. — Gregor. Nyss. *Cont. Eunom. l. 1.* Opp. Par. 1638. T. 2. p. 363. A. — Theodoret. *In Gen. q. 37.* Opp. T. 1. p. 32. D. — Minuc. Fel. *Oct. c. 32.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 2. p. 400. c. 1. — Lactant. *Div. instit. l. 6. c. 24.* Opp. T. 1. p. 504. — Fulgent. *De verit. praedest. et grat. l. 3. c. 5. n. 7.* Opp. p. 484. *De fid. ad Petr. c. 34. n. 75.* p. 529. — Gregor. M. *Mor. l. 20. c. 232. n. 63.* Opp. T. 1. c. 667. *l. 9. c. 47. n. 72.* c. 321.

[2]) Rom. 4, 17.

stante ratione, nosse dicendus est. — Insuper id ipsum jam ex infinita Dei perfectione colligitur, utpote quae cum scientia quocumque demum modo limitata componi haud potest.

c. Praeter duas illas in Deo scientias, quarum altera res solas futuras, altera res nunquam futuras propositas habet, mediam quamdam plerique Theologi constituunt, videlicet scientiam rerum contingentium, quae nonnisi ponenda certa conditione sunt futurae (scientia media sensu latiori dicta), aut saltem, si illa conditio poneretur, essent aliquando futurae, tametsi neque conditio ipsa, neque, quod ex ea est consequens, ullo modo futurum sit (scientia media sensu strictiori accepta). Propugnant autem Theologi hi scientiam conditionate futurorum praecipue ideo, quoniam putant, per eamdem nonnisi phaenomena gratiae explicari, atque libertatem arbitrii cum decretis divinis conciliari posse; statuendo nempe, Deum praeter alia infinitae suae sapientiae consilia etiam secundum praevisam cooperationem, licet non propter eamdem, gratias suas efficaces concedere, et ob praevisam noncooperationem negare, ita ut scientia media, decretorum divinorum non sit quidem causa impulsiva et determinativa, attamen directiva.

Scientiae mediae systema primus Ludov. Molina in libro *De concordia liberi arbitrii cum gratia* clare ac nitide evolvit. Notum est, quam maxime exarserit zelus et studium Thomistarum adversus librum Molinae, et quam acris disputatio inter Dominicanos et Jesuitas orta sit. Cujus quidem quaestionis causa habitae sunt celebres congregationes illae de auxiliis divinis sub P. Clemente VIII. et deinde Paulo V., qui tamen litigantes partes dimisit, ac intra religiosae modestiae fines se continere jussit, nullo a S. Sede lato in eam rem definitivo judicio. — Verumtamen si rem sine partium studio consideramus: non potest quidem negari, denominationem illam scientiae mediae novam esse, a recentioribus demum Theologis excogitatam; ast res ipsa tum in SS. Litteris, tum a SS. Patribus clare docetur, ratione pariter omnino assentiente.

α. Ex SS. Litteris huc pertinet proditio Ceilitarum, Davidi certo a Domino annuntiata, qua illi profugum Davidem tradidissent, si ipso Ceilae remanente Saulus illuc descendisset[1]; porro Tyriorum et Sidoniorum poenitentia, futura a Christo

[1] 1. Reg. 23, 12.

Domino pronuntiata, si apud eos eadem, quae in Galilaea portenta fecisset [1]): deinde locus ille, in libro Sapientiae, ubi de justo immatura morte sublato dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius* [2]); nec non verba Jeremiae ad Sedeciam: *Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua, et civitas haec non succendetur igni: et salvus eris tu, et domus tua. Si autem non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur civitas haec in manus Chaldaeorum, et succendent eam igni: et tu non effugies de manu eorum* [3]). Et ita alibi passim. Quae omnia certam, minimeque dubiam, aut incerto velut eventu suspensam exprimunt notitiam rerum haud futurarum, sed quae revera factae essent, si id, unde pendebant, reipsa evenisset. Quod si quis negare vellet, veracitatem Dei neget necesse est. In ultimo loco insuper sermo est de scientia divina rerum earum, quae, conditione videlicet sua reapse ponenda, revera consecuturae erant. Quam tamen cognitionem in Deo ne unus quidem Theologorum adversariorum negavit, solummodo illam, quae ad res nunquam reapse futuras refertur, omnibus impugnantibus.

β. Patres autem scientiam conditionate futurorum in Deo eo docent, quod tradunt: Deum secundum Siracidem progressum vitae infantis ad perfectionem prohibere, ne quod vi praescia malum animadversum est in eo, qui ita victurus fuisset, perficiatur, ut Gregorius Nyss. [4]) et Cyrillus Alex. [5]); porro primum hominem a principio e paradiso expulsum esse, quia secundum praescientiam divinam ex honore sibi praestito deterior effectus esset, si post spretum, violatumque mandatum immotus ille, stabilisque durasset, ut Chrysostomus [6]); Tyrios et Sidonios ex testimonio ipsius Domini acturos fuisse magnae humilitatis poenitentiam, si in eis facta essent illa signa virtutum, ut

---

1) Math. 11, 21. Cf. Ezech. 3, 6.

2) Sap. 4, 11.

3) Jer. 38, 17—18. Cf. 3. Reg. 11, 2. Exod. 34, 16.

4) *Or. de infant. praem. mort. subl.* Opp. T. 2. p. 764 766.

5) *Cont. Julian. l. 3.* Opp. T. 6. P. 2. p. 95. B. Cf. Augustin. *Cont. Julian. op. imperf. l. 1. c. 119.* Opp. T. 10. c. 942.

6) *Ad Stagir. n. 3.* Opp. T. 1. p. 160. B.

Augustinus [1]; atque bonos malis aliquando vexari, quia mirâ potentiâ praevidet Deus, quod si quieti ac liberi in tranquillitate persisterent, tentationes ferre adversarii non valentes, mentis prostrati vulneribus jacerent, ut Gregorius M. [2]. — Quando vero SS. Patres negant in Deo scientiam rerum, quae revera futurae non sunt: aut tantum loquuntur de scientia certo futuri, et dicunt, Deum ea qua revera futura haud videre; aut vero ajunt, Deum non praescire conditionate futura ad sensum et mentem Semipelagianorum, qui contendebant, Deum propter praevisa bona vel mala, quae facturi fuissent, videlicet tamquam bona vel mala merita [3], infantes alios Baptismo lustratos, alios sine Baptismo e vita tollere.

γ. Ratio vero hisce SS. Litterarum et SS. Patrum effatis eo facilius adstipulatur, quum ex una parte res conditionate futuras liberas, utpote quas etiam homines nonnunquam, licet non certo, tamen cum majori, minorive probabilitate praesagiant, in se cognoscibiles esse perspiciat, ex altera autem parte simul omnem limitem a scientia divina removendum esse sciat.

Est itaque Deus omniscius, ejusque scientia absolute, seu, ut ajunt, intensive et extensive infinita est.

Observ. 1. Quamvis scientia Dei unica sit atque simplicissima, utpote quae ab ejus simplicissima natura non distinguitur: pro varietate tamen objectorum seu rerum, ad quas refertur, multiplex in schola solet assignari scientiae divinae divisio. Dividitur nempe

a. in scientiam necessariam, et liberam seu contingentem. Scientia necessaria est ea, quae habet pro objecto Deum ipsum, et res mere possibiles, quae itaque absolute non potest non esse in Deo inde ab aeterno. Scientia vero libera seu contingens dicitur illa, quae spectat ad res contingentes, sive exsi-

---

[1]) *De don. persever. c. 9. n. 23.* Opp. T. 10. c. 832. E. Cf. *De praedest. Sanct. c. 9. n. 17—18.* T. 10. c. 802 s. c. *14. n. 35.* c. 839.

[2]) *Mor. l. 33. c. 19. n. 35.* Opp. T. 1. c. 1098. Cf. Origen. *De princ. l. 3. c. 1. n. 17.* Opp. T. 1. p. 126 ss. — Nemes. *De nat. hom. c. 44.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 7. p. 424. C. — Cons. Petav. *De D. Deiq. propr. l. 4. c. 8. De theol. dogm.* Antv. 1700. T. 1. p. 185 ss. — Tournel. *Curs. theol.* Col. Agripp. 1752. T. 1. p. 144.

[3]) Cf. Augustin. *De anim. et ej. orig. c. 12.* Opp. T. 10. c. 807. — Fulgent. *De verit. praedest. et grat. l. 1. c. 7. n. 15 ss.* Opp. p. 441 ss. — Prosper. *Ep. ad August.* inter Epp. Augustin. 225. *n. 5.* Opp. huj. T. 2. c. 823.

stentes, sive aliquando futuras, atque voluntatis divinae decretum prius exigit, quod absolute loquendo posset etiam in Deo non esse.

b. Dispescitur in scientiam approbationis[1]) et reprobationis[2]). Priori Deus bona intelligit, quae approbat et imperat; posteriori vero peccata, quae prohibet et improbat.

c. Discernitur in scientiam simplicis intelligentiae, scientiam visionis, et scientiam mediam. Scientia simplicis intelligentiae est ea, quae versatur circa res possibiles, atque eas, quae data conditione necessario exsistere seu evenire debent, semota omni futura earum exsistentia; scientia visionis, quae versatur in rebus exsistentibus, praesentibus, praeteritis sive aliquando futuris; scientia vero media, quae, medium veluti locum inter utramque scientiam praecedentem occupans, spectat ad actiones hominum liberas conditionate futuras, i. e. quae futurae sunt, conditione posita, aut saltem futurae fuissent, si conditio posita esset. Scientiae simplicis intelligentiae est ordinare res ac disponere, et voluntatem divinam ac efficientiam quodammodo dirigere, eique quasi praelucere, unde et rerum causa efficiens habetur, saltem remota et exemplaris, atque a sapientia divina haud differt[3]); scientiae visionis vero res easdem voluntate divina jam designatas et constitutas, in aliqua temporis parte producendas, quasi exsistentes ac praesentes intueri propter vim aeternitatis, quae omne discrimen praeteriti ac futuri excludit; atque scientiae mediae decreta divina de gratia efficaci danda vel non danda, quamvis non ex integro, tamen ex parte dirigere.

Observ. 2. Perdifficilis semper visa est quaestio de consensu divinae praescientiae cum libero voluntatis nostrae motu, ac multum humana perturbavit ingenia non solum imperitorum, sed et doctissimorum, ita ut vel a Deo praescientiam, quod Tullio accidit, prout supra jam adnotavimus, vel ab homine libertatem auferrent. Etenim si Deus futura certo scit, antequam fiant: ea necessario fieri debere videntur; atque hinc libertati arbitrii non relinquitur locus. Si vero quae Deus futura praevidet, non sunt necessaria, atque etiam non esse, fierive possunt: iterum scientia Dei falsa videtur esse posse; quod non minus impium est dictu, quam omnino nullum esse Deum. — Attamen si res adcuratius perpenditur, adparet, praescientiam Dei, praecise ut est rerum nuda cognitio, non magis tollere rei futurae libertatem, quam cognitio rei praesentis, vel memoria prae-

---

1) Ps. 1, 6.

2) Hab. 1, 13. Matth. 25, 12.

3) Cf. Ps. 103, 24. 135, 5. Prov. 8, 22 ss. Sap. 7, 21. 14, 2 ss. Jer. 10, 12.

teritae. Nam res praevisae non propterea futurae sunt, quia praesciuntur, sed potius propterea praevidentur, quia futurae sunt; rerum enim, quae in libertate positae sunt, non causa est praescientia divina, sed istae potius hujus causa sunt. Atque ideo non fiunt necessario, quae libere nos agimus, etsi illa Deus necessario praevidit, quia praevidendo voluntates nostras praescivit, ipsas ea sponte esse facturas. Sicut et nos cum libere aliquid facimus, id necessario mente, intelligentiaque cognoscimus, attamen ideo non necessario facimus. Quare cum dico: si Deus praescit aliquid, necesse est illud futurum, idem est, ac si dicam: id certo erit, et si erit, non potest non futurum esse, quia nihil potest simul esse et non esse, et hoc sensu necessarium est, necessitate scilicet externa, quatenus revera futurum est, nequaquam autem necessarium necessitate interna, seu quatenus fieri debeat. Est itaque necessitas illa, qua a Deo praevisa fieri debent, quam externam adpellavimus, nonnisi necessitas sic dicta consequens et hypothetica, quae hominem haud cogit, sed a libero ejus decreto pendet, haudquaquam autem necessitas absoluta. Et hinc praescientia Dei minime libertati nostrae obest, neque libertas nostra praescientiam divinam tollit. Quod Deus praescit, me libere facturum esse, illud certo libere, non autem necessario facturus sum; et recte propterea, quoniam id certo facturus sum, illud Deus infallibiliter praescit. Quae SS. Patrum est hujus quaestionis solutio. Sic ait Origenes: *Deus, quod nulla res causam non habeat aliquam, dum sub ipsum orbis moliendi principium futura singillatim omnia mente percurrit, videt illico, si factum hoc erit, illud proinde secuturum, quod ubi exstiterit, tertium ex eo quiddam aptum fore; hoc iterum si positum erit, et consequens illud futurum: itaque ad rerum finem omnium cognitione perducta, quicquid futurum est, intelligit: nec tamen cujuslibet omnino rei, cur hoc illove modo eveniat, causa dicendus est. — Atque, ut libere, quod res est, eloquamur, non Dei modo praenotionem rerum causam esse, (nec enim quem peccaturum Deus esse praevidit, eum, dum reipsa peccat, ad facinus quasi manu deducit): sed etiam, quod a communi sensu remotius quidem, sed verum tamen est, id ipsum, quod futurum sit, ejusmodi praenotionis causam esse. Neque enim idcirco fit, quod futurum esse cognoscatur, sed quod futurum sit, idcirco futurum esse cognoscitur. — Si, quod omnino futurum dicitur, id ita quis accipiat, perinde ac si, quod praevisum est, evenire necesse sit: hoc vero minime damus. Nec enim, quod praevisa Judae proditio fuerit, Judam propterea ne-*

cessario proditorem fuisse concedimus[1]. — Boëthius: *Duae sunt necessitates: simplex una, veluti quod necesse est, omnes homines esse mortales; altera conditionis, ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est. Quod enim quisque novit, id esse aliter, ac notum est, nequit. Sed haec conditio minime secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adjectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntarie gradientem, quamvis eum tamen, cum graditur, incedere necessarium sit. — Eodem igitur modo, si quid providentia praesens videt, id esse necesse est, tametsi nullam habeat naturae necessitatem. Atqui Deus ea futura, quae ex arbitrii libertate proveniunt, praesentia contuetur. Haec igitur ad intuitum relata divinum, necessaria fiunt per conditionem divinae naturae: per se vero considerata, ab absoluta naturae suae libertate non desinunt*[2]. — *Nam sicut scientia praesentium nihil his, quae fiunt, ita praescientia futurorum nihil his, quae ventura sunt, necessitatis importat*[3]. Et iterum: *Novit enim futura Deus, non ut ex necessitate evenientia, sed ut contingenter: ita ut etiam aliud posse fieri, non ignoret: quod tamen fiat, ex ipsorum hominum et actuum ratione perscissit*[4]. — Joannes Damascenus: *Praescit itaque Deus ea, quae sponte ac liberi acturi sumus: — verum ut, quae facturi sumus, praesciat, hoc a nobis proficiscitur. Nisi enim facturi essemus, ne ipse quidem, quod futurum non esset, praecognosceret. Porro Dei praescientia certa et inviolabilis est: sed ipsa non est causa, cur omnino fiat id, quod futurum est: quin potius, quia hoc vel illud acturi sumus, idcirco praenoscit. Multa autem praenoscit, quae ipsi minime grata sunt, quorum propterea minime auctor est. Sicut nec medicus idcirco morbi causa est, quia futurum praenovit, ut quis in morbum incidat: sed aegrotatio quidem ab alia causa proficiscitur, quae morbum parit; me-*

[1] Ap. Euseb. *Praep. Evang. l. 6. c. ult.* p. 287 s. Cf. Origen. *Comm. in Gen. n. 3. 7.* Opp. T. 2. p. 6. 11 s. D. E. *De orat. n. 4.* T. 1. p. 207 s. *In Ep. ad Rom. n. 3.* T. 4. p. 464. B. *l. 7. n. 8.* p. 605 s.

[2] *De consol. phil. l. 5. pros. 6.* p. 122.

[3] *Ib. pros. 4.* p. 112 s.

[4] *Comm. ad Aristot. de interpr.* V. Petav. *l. c. l. 4. c. 8.* T. 1. p. 184. c. 2.

dici vero praescientia ex ipsius arte oritur: ita pariter id quoque, quod a nobis futurum est, Deum causam non habet, sed liberam nostram voluntatem[1]). — Augustinus: *Non est consequens, ut, si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in voluntatis nostrae arbitrio. Et ipsae quidem nostrae voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque praescientia continetur; quoniam et humanae voluntates humanorum operum causae sunt. Atque ita omnes, qui omnes rerum causas praescivit, profecto in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas operum nostrorum causas esse praescivit*[2]). — Atque: *Non continuo tu peccare cogeres, quem peccaturum esse praescires; neque ipsa praescientia tua peccare eum cogeret, quamvis sine dubio peccaturus esset: non enim aliter id futurum esse praescires. Sicut itaque non sibi adversantur haec duo, ut praescientia tua noveris, quod alius sua voluntate facturus est: ita Deus neminem ad peccatum cogens, praevidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt.* — Et rursus: *Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, quae praeterierunt: sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt*[3]). Praeter reliquos[4]). — Caeterum licet etiam angusta et tenuis mens nostra, hujus argumenti pondere oppressa, succumberet, nec satis liquide ab eo se posset expedire: non idcirco tamen neganda foret aut Dei praescientia futuri certissima, aut hominis expedita libertas, quando quidem utramque clare ac diserte adstruat revelatio, nec non ipsa ratio.

Observ. 3. Se ipsum Deus sine ullo medio in se et per se ipsum absolute novit, neque per aliquid aliud cognoscere potest. Res possibiles cognoscit in infinita sua sapientia, qua scilicet perfectissime per-

---

1) *Dial. cont. Manich. n. 79.* Opp. T. 1. p. 462.

2) *De civ. D. l. 5. c. 9. n. 3.* Opp. T. 7. c. 123.

3) *De lib. arb. l. 3. c. 4. n. 10—11.* T. 1. c. 614. Cf. *De civ. D. l. 5. c. 10. n. 2.* T. 7. c. 125. *Tract. 53. in Joan. n. 4.* T. 3. P. 2. c. 645.

4) Cf. Chrysost. *Hom. 59 (60). in Matth. n. 1.* Opp. T. 7. p. 594. B. C. *Hom. 77. n. 3.* p. 745. A. *Hom. 1. de proph. obscur. n. 4.* T. 6. p. 175. C. — Theodoret. *In Ep. ad Rom. 8, 30.* Opp. T. 3. p. 69. B. — Hieronym. *In Is. 17, 13.* Opp. T. 4. c. 192. *In Ezech. 2, 5.* T. 5. c. 25. *In Jer. 26, 1—3.* T. 4. c. 1025. D. — Gaudent. Brix. *Tr. 3. de pasch. observ.* In *Bibl. max. PP.* Lugdun. T. 5. p. 948. c. 2. F. — Anselm. *De concord. praesc. et libert.* Opp. 123 ss.

spicit, quid neque sibi ipsi, ueque Infiuitae ipsius perfectioni, neque aliis rebus, ad quas refertur, repugnat. Res vero exsistentes, et quidem necessarias cognoscit Deus In suis sapientissimis decretis, utpote quae earumdem ultima ac propria causa effectrix sunt; res liberas autem cernit remote quidem in indole nalurarum inteiiigentium, ad res omnes, quibuscum iliae conjunguntur, reiata, proxime vero pariter in suis decretis, quibus secundum suam infinitam sapientiam bonum per naturas seu entia iibera, vel cum iiiis efficere, atque malum permittere vuit[1]). Quo sensu quoque res futurae Deo praesentes sunt, videiicet non quidem τῷ ἔργῳ, seu re, sed τῇ δύναμει καὶ τῇ γνώμῃ, seu potentiâ et consilio[2]).

Observ. 4. Quando iu SS. Litteris Deus tentare Abrahamum dicitur, ut fidelitatem exploret[3]), vel descensurus, ut videat ciamorem et scelera Sodomitarum[4]): modo humano haec dicta sunt, quum nos perfecte scire dicimur, quae experimento comprobata ac oculis nostris veluti subjecta habemus; et nonnisi Indicant, Deum Abrahamo occasionem merendi subministrare, iiliusque obedientiae sublimitatem ac praestantiam publice manifestam reddere voluisse, atque ipsum In discernendis poenis nihil temere et praecipitanter moiiri. — **Hieronymus** autem verbis iiii: *Absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur, quae cimicum et pulicum et muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, et qui de minoribus majorum praedae cedere debeant*[5]), solummodo, ut ex contextu antecedentium et subsequentium adparet, dicere vult, Deum erga res iilas non habere iiiam specialem providentiam, quam erga creaturas ratione praeditas, vel anxietatem humauam In Deo haud obtinere[6]).

---

[1]) Cf. **Maxim.** *Schol. ad c. 5. Dionys. de dir. nom. §. 6.* Opp. **Dionys.** T. 1. p. 709. — **Augustin.** *De civ. D. l. 11. c. 7.* Opp. T. 7. c. 277. *De Trinit. l. 6. c. 10.* T. 8. c. 850. *De Gen. ad litt. l. 5. c. 15. n. 33.* T. 3. c. 192. — **Anselm.** *Monol. c. 9. 10. 34.* Opp. p. 7 s. 17.

[2]) Cf. **Cyrill. Alex.** *Thes. Assert.* 5. Opp. T. 5. P. 1. p. 41. A. — **Hilar.** *De Trinit. l. 12. n. 40.* Opp. T. 2. c. 431 s. — **Augustin.** *Ad Oros. c. 8. n. 9.* Opp. T. 8. c. 615 s. — *Tr. in Joan. n. 4.* T. 3. P. 2. c. 305. F. — *De serm. Dom. in mont. sec. Matth. l. 2. c. 3. n. 12.* c. 205. — **Prosper.** *Sent. 145. Aeterna est et incommutabilis voluntas ejus, nec consilio alternante variatur: in qua simul est, quidquid in rebus creandis, vel ordinandis aut praecessit, aut sequitur.* Opp. c. 563. — **Anselm.** *Monol. c. 9 — 11.* Opp. p. 7. c. 1 ss.

[3]) Gen. 22, 1 ss.

[4]) Gen. 18, 21.

[5]) *Com. in Hab. 1, 13 14.* Opp. T, 6. c. 604.

[6]) Cf. *Comm. in Matth. 10, 29—30.* T. 7. c. 63 s.

Observ. 5. Cum Deus omniscius sit: discamus inde

a. omne peccatum, etiam occultissimum, evitare, cum non possit in loco tam abscondito perpetrari, ut effugiat Deum omniscium, atque, ut tentationi resistamus, nunquam hujus veritatis esse immemores, ut monet Ephraemus Syr., quum ait: *Quod si ab adversario in re aliqua subdole supplantari nolis: crede, nihil te agere, vel cogitare, quod lateat Deum*[1]). — *Nam continua Dei recordatione*, ut alibi scribit, *turpes animae passiones recedunt, instar maleficorum, praetore accedente*[2]).

b. Caveamus ab hypocrisi, quae malitiam cordis occultam externa honestatis specie obvelat; Deus enim omniscius occultissimos cordis recessus intuetur.

c. Porro quando calumniis impetimur, aut injuste opprimimur, aut etiam sollicitationibus ad malum perturbamur: consolemur nos, Deo notam esse rectitudinem cordis nostri, notamque luctam nostram ei, *qui non patietur nos tentari supra id, quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere*[3]), nostros gemitus ac nostras preces exaudiet, atque nostram integritatem, si non in hoc, certe in futuro saeculo ostensurus est.

§. 17. 6. b. Sapientissimus.

Deum sapientissimum esse, tam parum addubitari potest, quam eum esse omniscium. Prout autem omniscientia in Deo intellectui, ita rationi in homine sapientia Dei infinita respondet. Rationis vero est verum apprehendere, efficientiae nostrae fines honestos praefigere, bonaque ac apta media ad illos consequendos indicare, nec non, quid quoad formam externam rebus congruum ac conveniens sit, definire. Ratio itaque seu sapientia in cognoscendo eo, quod rebus quoad exsistentiam seu naturam, speciem seu formam, atque dignitatem moralem conveniat, cernitur. Diciturque sapientia haec sapientia theoretica. A qua differt sapientia practica, quae ad voluntatem refertur, atque in electione bonorum finium, et bonorum ac aptorum mediorum ad illos consequendos, seu paucis, in congruenti cum sapientia theoretica agendi ratione consistit, et a prudentia eo distinguitur, quod haec apta media ad fines, sive bonos sive malos, adhibeat. In SS. Litteris de sapientia hac utroque sensu accepta quam

[1]) *De vit. spir. n. 34.* Opp. Rom. 1732. T. 1. p. 266. F.
[2]) *De virt. c. 10.* T. 1. p. 228.
[3]) 1. Cor. 10, 13.

saepissime sermo occurrit [1]. Nos hic loci, quum sapientia practica a virtute ac sanctitate haud differat, nonnisi sapientiae theoreticae, quae ad intelligentiam videlicet spectat, rationem habemus, quam in summo gradu pro infinita Dei perfectione in eum transferimus.

Unde sapientia divina ea est perfectio, qua Deus perfectissime cognoscit, quod sibi, naturisque seu entibus finitis, tam ratione carentibus, quam ea instructis, congruum atque conveniens sit. Pro sapientia sua itaque Deus novit perfectissime:

a. quoad se ipsum, suamque externam efficientiam:

α. quaenam esse sive fieri in se spectata possint, seu quae entia sint possibilia;

β. porro quinam sint fines optimi, quaeque ad illos consequendos optima atque aptissima media, seu quaenam sit optima rerum dispositio; atque

b. quoad entia extra se ipsum:

α. quid entia non libera efficere debeant, quinam sint causarum effectus, ac vice versa; et

β. quid entia rationalia praestare oporteat, seu quaenam illis constituenda sit lex moralis.

Sapientia Dei infinita

A. in SS. Litteris vario modo, populari quidem, at una sublimi adstruitur. Et quidem:

a. Deus diserte infinite ac necessario sapiens esse traditur. *Soli*, i. e. vere ac per se, *sapienti*, ait Paulus, *Deo per Jesum Christum, cui honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen* [2]. — Psalmista: *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus: et sapientiae ejus non est numerus* [3]. — Jobus: *Apud ipsum est sapientia, et fortitudo, ipse habet consilium, et intelligentiam* [4]. Et Daniel: *Sit nomen Domini benedictum a saeculo, et usque in saeculum: quia sapientia, et fortitudo ejus sunt. Et ipse mutat tempora, et aetates: transfert*

---

[1]) Cf. Exod. 28, 3. Ps. 36, 30. 48, 4. 50, 8. 89, 12. 106, 43. 146, 5. Eccl. 4, 10. Sap. 7, 7 ss. Rom. 1, 21. 22. 1. Cor. 1, 19 ss. 3, 10. 19. etc.

[2]) Rom. 16, 27. Cf. 1. Tim. 1, 17. Jud. 25. in textu graeco; ast lectio non videtur esse genuina.

[3]) Ps. 146, 5. Cf. Job. 15, 8. Is. 40, 28.

[4]) Job. 12, 13. Cf. Apoc. 7, 12.

regna, atque constituit: dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam: ipse revelat profunda, et abscondita, et novit in tenebris constituta: et lux cum eo est[1]).

b. Docetur, Deum omnia sapientissime constituisse, atque praeclara hujus sapientiae documenta in operibus divinis conspicua adferuntur. Sic Psalmista, cum varia opera divina atque ordinem in iis adspectabilem descripsisset, exclamat: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine. Omnia in sapientia fecisti*[2]). Et Sapiens: *Attingit (sapientia divina) a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (ὠφέλιμως)[3]). Unde et Moyses, exposita historia creationis, Deum, opera quasi lustrantem, sic loquentem inducit: *Viditque Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona*, i. e. finibus suis convenientissime disposita[4]). Praecipue autem in Proverbiis laus divinae sapientiae praedicatur, ubi inter alia legitur: *Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit coelos prudentia. Sapientia illius eruperunt abyssi, et nubes rore concrescunt*[5]). Sensus est, universa sapienter constituta sunt. Eamdem sententiam pluribus inferius prosequitur et exornat sacer Scriptor, ubi sapientiam fingit ceu personam, quae comes et adjutrix fuerit Deo in condendo mundo, scribens: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terrae. Quando praeparabat coelos, aderam: quando certa lege, et gyro vallabat abyssos: quando aethera firmabat sursum et librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens: et delectabar*

[1]) Dan. 2, 20—22. Cf. Is. 40, 13 s.
[2]) Ps. 103, 24. Cf. Jer. 10, 12.
[3]) Sap. 8, 1.
[4]) Gen. 1, 21.
[5]) Prov. 3, 19. 20.

per singulos dies, ludens coram eo omni tempore[1]). — In N. T. inprimis Dei sapientia, quatenus in revelatione Christiana, tamquam religione vera, nec non in ejus propagandi modo se manifestam reddit, celebratur. *Nos autem,* inquit Paulus, *praedicamus Christum crucifixum: Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judaeis, atque Graecis Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. — Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo et justitia, et sanctificatio et redemtio. — Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam vero non hujus saeculi, neque principum hujus saeculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus saeculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent. Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum: nobis autem revelavit Deus per spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei*[2]). — Alio loco: *Mihi omnium sanctorum data est gratia haec, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit: ut innotescat principatibus, et potestatibus in coelestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei*[3]). Et in Epist. ad Romanos: *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus. Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit*[4])? Verum non tantum in N. T., sed etiam in libris A. F. similia leguntur. *Lex Domini,* ait Psalmista, *immaculata, convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis. Justitiae Domini rectae, laetificantes corda: praeceptum Domini lucidum,*

---

[1]) Prov. 8, 22—30. Cf. Job. 28, 23 ss. Eccli. 1, 1 ss. 24, 5 ss.

[2]) 1. Cor. 1, 23—25. 30. — 2, 6—10.

[3]) Ephes. 3, 8—10. Cf. 1, 8. 17. Col. 1, 9. 28. 2, 3. 3, 16.

[4]) Rom. 11, 33—34.

illuminans oculos[1]). Sensus est: Lex divina, utpote absolute vera et sancta cognitionem veri, perfectionem ac tranquillitatem in nobis promovet, unde et nobis maximi momenti et tenerrimae curae sit oportet. — Atque

c. Deus fons et auctor omnis sapientiae in naturis finitis declaratur. *Omnis sapientia,* inquit Siracides, *a Domino Deo est*[2]). Et Jacobus: *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat: et dabitur ei*[3]).

B. Id ipsum porro semper tenuit atque docuit Ecclesia, ut ex scriptis SS. Patrum et publica Ecclesiae institutione atque omni ejus vita clare cognoscitur. Quod quum utrumque a nemine in dubium vocetur: sufficiat hic loci solum Maximum laudasse, qui ita habet: *Rationabilitatem autem dicit in Deo* (Dionysius), *non quod velit significare, Deum esse rationalem, tamquam participem rationis; hoc* (illa dictio) *enim insinuat: sed quod est ipsamet rationabilitas, qui est totus ipsa per se subsistens ratio*[4]).

C. Neque desunt argumenta ex ratione petita. Et quidem

a. infinitam sapientiam Dei postulat summa ejus atque absoluta perfectio. Nam cum Deus sit ens perfectissimum, atque sapientia fatentibus omnibus inter perfectiones naturae intelligentis sit summa ac maxima; praeter sanctitatem enim nihil homines magis dividit ab animantibus, quam illa: Deo quoque sapientia, eaque infinita, tamquam enti infinito, deesse non potest.

b. Id ipsum porro admirabilis ordo mundi physici, in quo, sive res singulas sive earum conjunctionem spectamus, tam innumerabilia sapientiae et consilii summi monumenta deprehendimus, arguit; nec non exsistentia atque ordo mundi moralis evincit, quum auctor rationis atque ejus mundi dispositionis, pro qua ad summum bonum tendit, nonnisi ens infinitum rationale seu sapientissimum esse queat.

---

[1]) Ps. 18, 8—9. Cf. Ps. 42, 3. Eccli. 34, 8.

[2]) Eccli. 1, 1.

[3]) Jac. 1, 6. Cf. Ps. 118, 98—106. 3. Reg. 3, 12.

[4]) *Schol. ad Dionys. De coelest. hierarch. c. 2. §. 3.* Opp. Dionys. T. 1. p. 27.

Cum ergo sapientia definiat, quid fieri queat, quid fieri debeat, atque quid fieri deceat: ipsa a veritate objectiva haud differt, secundum quam Deus omnia disponit ac dirigit, quemadmodum Augustinus ait: *Num aliam putas esse sapientiam, nisi veritatem, in qua cernitur et tenetur summum bonum?* [1]). Hinc etiam SS. Litterae Dei agendi rationem secundum suam sapientissimam cognitionem, seu opera divina [2]), porro doctrinam ac legem divinam [3]), nec non gratiam mentem nostram illustrantem [4]) veritatem adpellant. Atque quum formae illae rerum, ad quas fiunt, a sapientia definitae, ideae adpellentur: patet de ideis quoque in Deo sermo fieri posse. *Sunt namque*, ait Augustinus, *ideae principales quaedam, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quae ipsae formatae non sunt, ac per hoc aeternae ac semper eodem modo sese habentes, quae in divina intelligentia continentur. Et cum ipsae neque oriantur, neque intereant: secundum eas tamen formari dicitur omne, quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit. — Quis audeat dicere, Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si recte dici vel credi non potest, restat omnia ratione sint condita. — Has autem rationes, ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret, quod constituebat: nam hoc opinari sacrilegum est. Quodsi hae rerum omnium creandarum creatarumve rationes in divina mente continentur, neque in divina mente quidquam, nisi aeternum atque incommutabile potest esse; atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato: non solum sunt ideae, sed ipsae verae sunt, quia aeternae sunt, et ejusmodi atque incommutabiles manent; quarum participatione fit, ut sit, quidquid est, quomodo est* [5]). — Caeterum sapientiam in Deo non successivam esse vel discursivam, i. e. deliberatione quadam egentem, sed directam et in-

---

1) *De lib. arb. l. 2. c. 9. n. 26.* Opp. T. 1. c. 596.

2) Ps. 35, 6. 25, 10. 88, 15. 110, 7. Dan. 4, 34.

3) Mat. 2, 6. Ps. 25, 3. 85, 11. 118, 30. 86. 142. 160. Tob. 14, 10. Joan. 3, 21. 17, 17. 16, 13. 2. Joan. 4. 3. Joan. 4. Rom. 1, 18. 2, 8. Gal. 3, 1. Ephes. 5, 9. .

4) Ps. 42, 3. Cf. Joan. 1, 4. 5. 9. 14, 6. 16. 17.

5) *De divers. quaest. 83. q. 46. n. 2.* Opp. T. 6. c. 17 s.

tuitivam, i. e. uno simplici actu omnia simul comprehendentem, ex ipsa cognitionis absolute perfectae indole consequitur.

Observ. Sapientiâ Dei infinitâ excitemur:

a. Ut in ea spem ac fiduciam certissimam, etiam in rebus adversis, collocemus, persuasissimum habentes, Deum omnia sapientissime disponere, et hinc sortem nostram, quaecumque fuerit, tranquille, cum plena animi acquiescentia feramus. Quae sola est vera vitae sapientia.

b. Ut documenta ejus tum in rerum natura, tum in historia, atque praecipue in opere redemtionis nostrae, tum in vita nostra quoque sollicite aeque ac modeste investigemus, quo magis in dies Deum veneremur et diligamus, atque eum imitando ipsi sapere discamus. Quod ut nobis feliciter succedat,

c. ut sapientiam a Deo, ejus fonte, precibus ardentibus efflagitemus.

§. 18. Voluntas divina.

Postquam de intellectu divino disseruimus: restat, ut modo de altera spiritus infiniti veluti parte, de divina voluntate, dicamus.

Venit autem nomine voluntatis generatim facultas spiritus libere appetendi bonum et aversandi malum, ab intellectu agnitum. Quodsi tamen de voluntate in Deo loquimur: facile patet, neque hic sermonem esse posse de facultate, seu nuda potentia, incrementum et decrementum admittente, et cum nisu, imbecillitatem arguente, conjuncta, neque de actu multiplici, sibi succedente atque temporis limitibus obnoxio; sed esse potius voluntatem divinam vim infinitam, seu actum simplicissimum, quo Deus absoluta cum libertate atque ratione perfectissima bonum appetat, malum vero aversetur. Voluntas itaque divina nihil aliud est, quam substantia divina, quatenus secundum sapientissimam cognitionem actuosa cogitatur, i. e. quatenus non tantum omnia potest, sed et creaturis absolute bene vult ac bene facit, atque omne bonum et omne malum ejusdem indoli convenienter, i. e. exacte pro bonitatis aut malitiae gradu, quem possidet, et quidem liberrime ac constantissime diligit atque aversatur [1]); et ideo quoque est, ut substantia divina, simplicissi-

[1]) Cf. Junii. Afric. *De part. div. leg. l. c. 19.* in Galland. *Bibl. PP.* T. 12. p. 83. c. t.

ma, immutabilis, aeterna, immensa, et ut intelligentia divina, sapientissima ac verissima, atque peculiariter omnipotens, benignissima, liberrima, sanctissima, et hinc etiam veracissima, fidelissima ac justissima.

Observ. 1. Cum Deus pro summa perfectione voluntatis suae omnem rem, quam vult, pro ejus indole velit; etsi, ut unico ac simplicissimo actu omnia intelligit, ita unico ac simplicissimo voluntatis actu, a sua natura indistincto, vult, quaecumque vult: tamen, non quidem ex parte Dei, sed ex parte rerum, ad quas voluntas ejus refertur, varia voluntas divina distingui potest. Et quidem

a. discernitur voluntas necessaria et libera. Voluntas necessaria dicitur voluntas divina eatenus, quatenus ad Deum ipsum, summum bonum, atque omne bonum aliud possibile, in se spectatum, refertur, quaeque in Deo prorsus non potest abesse, quum Deus semetipsum tamquam summum bonum, et ita etiam quodcumque aliud bonum dari potest, sine contradictione, i. e. quin Deus esse desinat, non possit non velle aut non diligere. — Libera autem appellatur voluntas divina, quatenus ad entia creata attinet, quae Deus etiam salva sua infinita perfectione non velle posset.

b. Voluntas libera, consilium, propositum [1]), praedestinatio [2]), decretum [3]), quum referri queat vel ad res sic dictas necesario exsistentes, vel ad ea, quae actiones liberas entium rationalium sequuntur, iisque tamquam conditioni adstricta sunt, vel vero ad ipsas hasce actiones a naturis intelligentibus ponendas, porro dividitur in voluntatem absolutam, conditionatam et voluntatem signi. — Voluntas absoluta (decretum absolutum) est ea, qua Deus vult simpliciter, nulla ratione habita ad qualemcumque conditionem ex parte rei, ad quam refertur, et quae propterea semper impletur [4]). — Voluntas conditionata seu hypothetica (decretum conditionatum, hypotheticum) est, qua Deus decernit aliquid fieri habito respectu ad certam conditionem ex parte rei, ad quam respicit, et quae itaque tantum tunc effectum sortitur, quando conditio illa adfuerit[5]). — Voluntas denique signi est, qua Deus ea vult, quae entibus ratio-

---

[1]) 2. Tim. 1, 9. Rom. 8, 28.

[2]) Rom. 8, 29—30.

[3]) Is. 14, 27. Act. 4, 28.

[4]) Cf. Job. 23, 13. Ps. 113, 3. (11). Is. 46, 10. Esth. 13, 9. Apoc. 4, 11.

[5]) Cf. Exod. 32, 10—14. Ps. 102, 17 s. 3. Reg. 9, 4 ss. 4. Reg. 13, 19. Is. 55, 2. Ezech. 33, 12 ss. Prov. 1, 24. Jon. 3, 4. coll. ss. Matth. 7, 7. 21, 21 s. Marc. 11, 24. Luc. 11, 9. Joan. 14, 13. Jac. 1, 5.

nalibus libere praestanda sunt, quaque non ipse agit, sed quae nos agere oportet, sive per rationem sive per revelationem, nobis significat [1]). Alii tamen sub voluntate signi nonnisi merum et externum signum voluntatis divinae, seu legem divinam patefactam, prout in se consideratur, intelligunt, non ipsam internam voluntatem, quam in illius oppositione voluntatem beneplaciti adpellant. Caeterum quinque assignari solent voluntatis divinae signa, hoc verau expressa:

Praecipit, et prohibet, permittit, consulit, implet.

Cum tamen nobis ceu entibus contingentibus ratio efficaciae sufficiens haud insit, et praeterea ad salutariter operandum speciali auxilio divino indigeamus: ut revera agamus, voluntas signi seu lex divina non sufficit; sed Deus insuper voluntate sua efficaci seu voluntate b e n e p l a c i t i in agendo nobiscum concurrit. Quo respectu

c. voluntas divina distinguitur in o r d i n a n t e m, qua Deus bonum directe vult, et p e r m i t t e n t e m, qua malum permittit, atque eatenus illud vult, quatenus libertatem nobis non adimit, quâ nonnisi sublatâ illud praepediri posset, idque propterea, quia secus ipsam nostram naturam destruere, sibique repugnare deberet.

Porro naturis rationalibus, quae est ipsarum indoles, aliud pro earum fine, aliud vero pro earum merito convenire potest; ideoque voluntas divina hoc respectu

d. in voluntatem a n t e c e d e n t e m et c o n s e q u e n t e m diapescitur. A n t e c e d e n s ea dicitur voluntas, qua Deus rem ipsam considerando, praecisis particularibus ejus circumstantiis, aliquid velle cogitatur. Tali voluntate e. g. vult Deus omnes homines salvos fieri.—C o n s e q u e n s vero illa dicitur, qua Deus respectu habito ad universam rei conditionem vult, quae ei congruunt. Hac voluntate vult Deus hominem peccatorem in peccatis morientem damnare.—Voluntas a n t e c e d e n s itaque praecedit praevisionem dignitatis vel indignitatis nostrae, meritorum vel demeritorum, ut Theologi loquuntur, c o n s e q u e n s autem praescientiam consensus liberi arbitrii et meritorum vel demeritorum sequitur [2]). Voluntas c o n s e q u e n s porro cum effectu conjuncta est, cum sit absoluta, a n t e c e d e n s autem, quum

---

[1]) Ps. 5, 5. 49, 17. Ezech. 33, 11. Matth. 6, 10. 12, 15. Act. 7, 51. 1. Thesa. 4, 3. 1. Tim. 2, 4. 1. Petr. 2, 15. 1. Joan. 2, 17. 5, 14.

[2]) Haec voluntatis divisio jam apud C h r y s o s t o m u m occurrit. *Hom. 1. in Ep. ad Ephes. n.* 2. Opp. T. 11. p. 5. *θέλημα πρῶτον καὶ δεύτερον, προηγούμενον καὶ ἑπόμενον.* Cf. J. D a m a s c. *De orth. fid. l. 2. c. 29.* Opp. T. 1. p. 198. B. C. *Dial. cont. Manich. n. 79. p.* 465. C·— T h o m. *1. q. 19. art. 6. ad 1.* Opp. T. 20. p. 126. c. 2. *L. 1. Sent. dist. 46. q. 1. art. 1.* T. 9. p. 582.

sit, quamvis quoad affectum pariter absoluta, adeoque serium desiderium, tamen quoad effectum tantum conditionata, non item. Quapropter

e. tandem voluntas divina adhuc dividitur in efficacem et inefficacem, quarum illa semper impletur et effectum sortitur [1]), haec autem effectum, quem Deus ultimo intendit, ex defectu conditionis statutae, ob contumaciam hominum non nanciscitur [2]). Dicitur itaque voluntas haec, quae effectum non sortitur, tantum ratione effectus ultimi, quem quidem Deus intendit, sed non absolute vult, inefficax, in se autem et ratione effectus proximi semper efficax est; qualis e. g. est voluntas salvandi peccatorem, quia suppeditat media ad finem obtinendum sufficientia, licet homo forsan iis non utatur. Qua observatione posita adparet, Deo minime injuriosum esse, ejus voluntatem dicere inefficacem, cum inefficacia haec non arguat defectum potentiae in Deo, sed defectum seu abusum libertatis tantum in homine, cui, ut illa adimatur, sapientiae divinae repugnare, supra jam adnotavimus.

Observ. 2. Rerum creatarum sapientia divina est, ut supra jam observavimus, causa exemplaris et dirigens, voluntas divina autem causa efficiens [3]).

Observ. 3. Adfectus, seu vehementiores commotiones mentis transeuntes in bono appetendo aut malo aversando, per sensualem cupiditatem excitatae, in Deo haudquaquam dari, ex infinita ejus perfectione sponte sua intelligitur; quum sensualitas, quae nonnisi homini, ex anima et corpore constanti, est propria, in eo nulla sit, et etiam desiderium felicitatis augendae in ipso, utpote ente beatissimo, locum habere nequeat. Veritatem hanc non tantum Judaei et Christiani continuo professi sunt, sed et gentiles philosophi [4]) agnoverunt. SS. Patres non minus egregie affectuum tumultus a Deo removent [5]). Nominatim eleganter Augustinus ait: *Amas, nec aestuas; zelas, et securus es; poenitet te, et non doles; irasceris, et tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium* [6]). Lactantius tamen, ut Deo voluntatem peccata puniendi vindicet, ipsi iram tribuendam esse, ostendere conatur [7]). Atque etiam Tertullianus autumat, Deum sine ira esse inertem et inermem Epicuri Deum [8]).

[1]) Gen. 50, 19. Ps. 113, 3 (11). Is. 46, 10.

[2]) Is. 5, 4. Ezech. 24, 13. Matth. 23, 37. Act. 7, 51. 2. Petr. 3, 9.

[3]) Apoc. 4, 11.

[4]) Cf. Huet. *Quaes. Alnet. l. 2. c. 2. n. 10.* Ven. 1761. p. 63.

[5]) Cf. Tournet. *Curs. theol. De D. et attr. div. q. 18.* Col. Agripp. 1752. T. 1. p. 218 ss.

[6]) *Conf. l. 1. c. 4.* Opp. T. 1. c. 71.

[7]) *De ira D.* Opp. T. 2. p. 127 ss.

[8]) *Adv. Marcion. n. 16.* Opp. V. 2. p. 194 s.

Recentiori aevo Sociniani adfectus Deo contra auctoritatem revelationis et dictamina sanae rationis adscribunt [1]). Quodsi ergo in S. Scriptura, quae se humano cogitandi modo adcommodat, adfectus Deo tribuuntur: non sunt adfectus, quales nostri; sed tantum aliquid adfectibus humanis simile, Deo dignum et conveniens, nempe adpetitiones et aversationes, nullam commotionem ac immutationem conjunctam habentes, significant. Sic amor Dei erga homines designat nonnisi seriam ejus voluntatem perfectionem ac felicitatem nostram promovendi; odium ac tristitia seriam mali aversationem; timor voluntatem malum a nobis avertendi; ira voluntatem peccata puniendi; zelotypia voluntatem nemini gloriam ac honorem divinum dandi, et eumdem invadentes severe puniendi; poenitentia voluntatem rem consiliis divinis adversantem immutandi aut destruendi; laetitia acquiescentiam in perfectionibus infinitis; etc.

§. 197. Quoad voluntatem Deus est: a. Omnipotens.

Sub omnipotentia ea intelligitur perfectio, qua voluntas, seu essentia divina omnia, quae in se non sunt impossibilia, et quidem solo nutu efficere et extra se producere potest.

Ex qua definitione facile intelligitur, quomodo omnipotentia a potentia entium finitorum discernatur. Differt autem primo extensione, cum entia finita suis limitibus coarctentur, omnipotentia vero infinita ac inexhausta sit, quae nec numero, nec magnitudine operum terminari potest; deinde operandi modo, nam entia finita materiae exsistenti adstringuntur, atque instrumentis egent, seu nonnisi adhibitis viribus naturae, atque secundum leges, quibus hae subsunt, agere possunt, Deus autem sola voluntate ea, quae non sunt, ad exsistentiam vocat, aut illa, quae sunt, in alia mutat; sola repugnantia seu impossibilia in se omnipotentiâ produci nequeunt.

Omnipotentia Dei oppugnarunt Herminiani seu Seleuciani, qui Platoni adhaerentes, materiam eapropter coaeternam Deo excogitarunt, quia negabant, Deum posse facere aliquid ex nihilo [2]). Huc quoque porro pertinent, qui sibi plura principia contraria invicem ac coaeterna finxerunt, et eo ipso potentiam

---

[1]) Cf. Baumgarten Untersuch. theol. Streitigkeiten. 1. B. p. 203.

[2]) Cf. Augustin. *De haer. Haer.* 59. Opp. T. 8. c. 20.

summi Numinis limitarunt, ut Marcion, Manichaei et alii [1]), Deinde etiam illi, qui asserunt, Deum non posse plura et majora, quam fecit, facere, ut Abaelardus [2]), qui tamen errorem suum revocavit, porro Wicleffus, Hobbesius, Spinoza et Pantheistae omnes [3]).

Deum omnipotentem esse ita, ut omnia potestate comprehendat, nihilque non facere possit, sive quod futurum est aliquando, sive quod nunquam fiet, fieri tamen posset, intelligimus

A. ex ipso Verbo Dei scripto; in quo

a. passim Deus omnipotens, vel solus potens, i. e. vere, utpote per se ac infinite potens, cognominatur, aut tamquam ille, cui nihil impossibile, vel etiam difficile sit, exhibetur. Sic enim ipse Deus, Abrahamo adparens, ait: *Ego Deus omnipotens*, אֲנִי — אֵל שַׁדַּי [4]).—Jobus: *Spiritus Dei*, inquit, *fecit me, et spiraculum omnipotentis*, שַׁדַּי, *virificavit me* [5]).—Siracides: *Unus est altissimus Creator omnipotens, et Rex potens, et metuendus nimis, sedens super thronum illius, et dominans Deus* [6]).— Deinde Moyses: *Quia Dominus Deus vester*, ait, *ipse est Deus deorum, et Dominus dominantium, Deus magnus, et potens, et terribilis* [7]). Et Apostolus: *Quem (Jesum Christum) ostendet beatus, et solus potens, Rex Regum, et Dominus dominantium* [8]).—Tum item ad Abrahamum inquit Dominus: *Numquid Deo quidquam est difficile?* (Textus Hebr. habet: *An mirificum erit quidquam a Domino?* in eodem sensu) [9]). Et iterum: *Numquid manus Domini invalida est?* (vel *abbreviata?* ut in Hebraeo legitur) [10]).—Jobus: *Scio, quia omnia potes, et nulla te latet cogi-*

---

1) Cf. Epiphan. *Adv. haer. Haer.* 42. *n.* 2. Opp. T. 1. p. 303 s. *Haer.* 66. *n.* 8. p. 265.—Tertull. *Adv. Marcion l. 1. c.* 2. Opp. V. 2. p. 148.

2) *Introd. in Theol. l. 3.* Opp. Par. 1616. p. 1112 ss. *Apolog. Epist.* 20. p. 331.

3) Cf. Wiest. *Instit. theol.* Eustad. et Ingolst. 1782 ss. T. 4. p. 104.

4) Gen. 17, 1. Cf. 28, 3. 43, 14. 48, 3. 49, 25. Exod. 6, 3.

5) Job. 33, 4.

6) Eccli. 1, 8. Cf. 2. Cor. 6, 18. Apoc. 16, 7. Esth. 13, 9. 1. Par. 29, 11—12.

7) Deut. 10, 17.

8) 1. Tim. 6, 15. Cf. Eccli. 43, 31. Nah. 1, 3. Ps. 134, 1 ss.

9) Gen. 18, 14.

10) Num. 11, 23.

latio[1]). — Sapiens: *Multum enim valere, tibi soli superat semper: et virtuti brachii tui quis resistet? Quoniam tamquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum, et tamquam gutta roris antelucani, quae descendit in terram. Sed misereris omnium, quia omnia potes*[2]). — Jeremias: *Heu, heu, heu Domine Deus: ecce tu fecisti coelum, et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum*[3]). Atque Christus Dominus: *Apud Deum omnia possibilia sunt*[4]). Et alibi: *Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me*[5]). — Angelus coelestis: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*[6]). Et Apostolus: *Qui vivificat mortuos, et vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt,* i. e. ea, quae nondum exsistunt in rerum natura, perinde exsistere facit, atque ea, quae jam pridem in rerum natura exsistunt[7]). Atque alibi: *Ei, qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem* (pro potentia), *quae operatur in nobis, ipsi gloria, etc.*[8]).

b. Porro docetur, Deum solo voluntatis nutu omnia creasse, atque sola sua voluntate omnia conservare ac gubernare, ita ut omnia ab ipso prorsus pendeant, ipsiusque nutu in nihilum redigi queant. *Verbo Domini,* ait Psaltes, *coeli firmati sunt: et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. — Quoniam ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt*[9]). Simplicissima sane et magnificentissima summae Dei potentiae descriptio, cui consonant verba Moysis: *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux*[10]). — Apostolus: *Quoniam ex ipso, et per ipsum*

---

1) Job. 42, 2.
2) Sap. 11, 22—24.
3) Jer. 32, 17.
4) Matth. 19, 26. Cf. Marc. 10, 27. Luc. 18, 27.
5) Marc. 14, 36.
6) Luc. 1, 37.
7) Rom. 4, 17.
8) Ephes. 3, 20. Cf. Sap. 11, 23. 12, 18.
9) Ps. 32, 6. 9. Cf. 113, 3 (11). 103, 2 ss. 135, 5 ss. Is. 40, 12 ss. 44, 24. Jer. 27, 5. 32, 17. Job. 26, 5—14. 38, 4 ss. Apoc. 4, 11.
10) Gen. 1, 3.

sunt omnia: ipsi gloria in saecula[1]. — *Fide intelligimus, aptata esse saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*[2]. — Auctor libri Job: *Columnae coeli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus*[3]. Et iterum Psalmista: *Qui respicit terram, et facit eam tremere: qui tangit montes, et fumigabunt*[4].

c. Denique omnipotentiam Dei quoque omni tempore ab ipso, testantibus SS. Litteris, patrata miracula demonstrant, utpote quae dumtaxat solo voluntatis omnipotentis nutu fieri possunt, ut alibi a nobis ostensum est[5]; nec non fata populi Israëlitici, quae secundum sapientissimum consilium, quidquid tentaverint adversarii, exsecutioni mandata sunt, quemadmodum et celerrima propagatio religionis Christianae inter tot ac tanta obstacula, interna et externa, ejusque per tot saecula conservatio postea.

Pari modo infinitam Dei potentiam docet

B. Traditio. Omnipotentem enim Deum esse tradunt

a. unanimi consensu SS. Patres. *Nos*, ait Origenes, *sicut incorporeum esse Deum, et omnipotentem et invisibilem profitemur, ita eum curare mortalia, et nihil absque ejus providentia geri, neque in coelo, neque in terris, certo et immobili dogmate confitemur*[6]. — Clemens Alex.: *Quanta est autem Dei potentia, cujus sola voluntas est mundi creatio? Solus enim Deus mundum creavit, ut qui solus sit Deus: is autem opera sua volendo conficit, ejusque velle sequitur fieri*, ψιλῷ τῷ βούλεσθαι δημιουργεῖ, καὶ τῷ μόνον ἐθελῆσαι αὐτὸν, ἕπεται τὸ γεγενῆσθαι[7]. — Theodoretus: *Neque enim rebus creatis mensuratur potestas Dei, sed sola voluntate. Omnia enim, inquit, quaecumque voluit, Deus fecit, non quaecumque potuit, sed quaecumque voluit. Poterat enim multo plura facere: fecit autem, quae convenire judicavit*[8]. — Gregorius

[1] Rom. 11, 36. Cf. Hebr. 1, 2. Act. 17, 24. Ps. 64, 7 ss. Amos, 9, 5 s. Is. 44, 28.

[2] Hebr. 11, 3.

[3] Job. 26, 11. Cf. 9, 4—10.

[4] Ps. 103, 32.

[5] Cf. Ps. 77, 12 ss. 85, 10. Sap. 11, 4. Is. 25, 1. Joan. 3, 2. Luc. 11, 20.

[6] *In Gen. Hom. 3. n. 2.* Opp. T. 2. p. 66.

[7] *Cohort. ad Gen. n. 4.* Opp. T. 1. p. 55.

[8] *Interpr. in Is. 40, 24.* Opp. T. 2. p. 100 s. Cf. *Haer. fab. l. 5. c. 1.* T. 4. p. 250.

Nyss.: *Impotentia* (τὸ ἀδύνατον) *est valde remota ab ea, quae de Deo habetur, existimatione*[1]). Et alibi ait: *In natura divina cum voluntate ita concurrere potestatem, ut Dei potestatis mensura sit ipsa voluntas*[2]). — Eusebius Emes.: *Merito itaque omnipotens creditur, qui cum solem de luce, splendorem de splendore protulerit, sic ea omnia ex nihilo in praecepti celeritate perfecit. Cuncta enim, quae ante non erant, tamquam subito aliunde producta, ante nutum ejus velociter astiterunt, nulla apparente materia. Origo fuit rerum efficax Creatoris imperium*[3]). — Tertullianus: *Non alia lege (Deus) credendus est, quam ut omnia posse credatur*[4]). — Augustinus: *Non dico: da mihi Christianum, da mihi Judaeum: sed, da mihi paganum, idolorum cultorem, daemonum servum, qui non dicat, Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, negare omnipotentem Deum non potest*[5]). Et alibi: *Creatoris namque potentia, et omnipotentis, atque omnitenentis virtus causa subsistendi est omni creaturae: quae virtus ab eis, quae creata sunt, regendis si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret*[6]). — Cassiodorus: *Solus omnipotens Deus est, cui hoc est esse, quod sapere: hoc est posse, quod vivere: hoc est velle, quod facere*[7]). — Petr. Chrysologus: *Quid tam rationale, nisi ut Deus quidquid voluerit, possit? Qui quod vult, non potest, Deus non est*[8]). — Et ita reliqui[9]). Sed nec necessarium fuit haec congerere Patrum effata; quum

---

[1]) *Catech. c. 1.* Opp. ed. Par. 1615. T. 2. p. 478. D.

[2]) *Hexaem.* T. 1. p. 6. B.

[3]) *Hom. 1. de Symb.* In *Bibl. max. PP.* Lugd. T. 6. p. 628 s.

[4]) *De resurr. carn. n. 11.* Opp. V. 2. p. 83. Cf. *De carn. Chr. n. 3.* p. 44.

[5]) *Ser. 240. de dieb. Paschal. c. 2. n. 2.* Opp. T. 5. c. 1001. Cf. *Serm. 214. n. 4.* c. 945. *Serm. 213. c. 1. n. 1.* c. 938. *Serm. 242. n. 7.* c. 1010. *De Symb. c. 3. n. 6.* T. 6. c. 558. *Enchir. c. 96. n. 24.* c. 231 s. *Cont. advers. Leg. et Proph. l. 1. c. 8. n. 8.* T. 8. c. 555. *De civ. D. l. 21. c. 5. n. 3.* T. 7. c. 326.

[6]) *De Gen. ad litt. l. 4. c. 12. n. 22.* Opp. T. 3. P. 1. c. 167.

[7]) *De anim. c. 2.* Opp. T. 2. p. 597. c. 1.

[8]) *Serm. 41. Serm.* ed. Seb. Paul. Aug. Vind. 1758. p. 202. c. 1.

[9]) Cf. Justin. *De resurr.* ap. J. Damasc. in *Eclog. s. Sacr. Parall. litt. a. tit. 73.* Opp. T. 2. p. 758. — Tatian. *Cont. Graec. n. 5.* Opp. Justin.

b. Ecclesia publice fidem suam enuntiet in Symbolo Apostolico, Nicaeno-Constantinopolitano, et Athanasiano, atque solenniter profiteatur, se credere *in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae.*

C. Denique etiam ipsa ratio perspicit, omnipotentiam Deo necessario tribuendam esse. Eamdem enim

a. infinitas Dei postulat, pro qua nulla perfectione, et quidem in summo gradu cogitata, destitui potest; nec non

b. exsistentia mundi atque ejusdem ordinis, tam physici quam moralis; quum illum aeque ac huncce nonnisi vis infinita ex nihilo ad exsistentiam vocare et in ea conservare possit. Atque illam tandem

c. tam infinita rerum aptissime inter se connexarum multitudo atque ineffabilis varietas palam praedicat.

§. 20. Continuatio.

Posse Deum facere et alia, quam quae fiunt, atque ideo falsam esse sententiam illam, Deum nihil posse praeter ea, quae facit, seu Deum omnia possibilia efficere, necessario ex infinitate divinae potentiae consequitur; quum potentia infinita tam parum, quam infinita rerum possibilitas, exhauriri aut terminari queat.

A. In SS. Litteris id ipsum diserte eo traditur, quod docetur, ut inferius ostendemus, liberam inesse Deo agendi, vel non agendi potestatem, qua quoad res creatas utatur; et quod expresse Deus dicitur posse alia facere, vel alia facturus fuisse, quam revera fecit. *Stulte egisti,* ait Samuel ad Saul, *nec custodisti mandata Domini Dei tui, quae praecepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc praeparasset Dominus regnum*

---

p. 261 s. — Athenag. *De resurr. mort. n. 11.* Ib. p. 344. B. — Theophil. Ant. *Ad Autol. l. 1. n. 4.* Ib. p. 362. — Iren. *Adv. haer. l. 2. c. 2. n. 5.* p. 118. — Athanas. *Or. cont. Gent. n. 29.* Opp. T. 1. p. 28. A. — Epiphan. *Haer. 70. n. 7.* Opp. T. 1. p. 818. C. s. — Chrysost. *Hom. 38. in Act. Apost. n.* 2. T. 9. p. 289. D. *Hom. 15. n. 1.* p. 120. D. *n.* 2. p. 121. C. *Hom. 2. de Incompreh. adv. Anom. n. 4.* T. 1. p. 457. E. *Adhort. I. ad. Theodor. laps. n. 1.* T. 1. p. 2. B. — Dionys. Areop. *De div. nom. c. 8.* Opp. T. 1. p. 775. — Fulgent. Rusp. *De fid. ad. Petr. c. 3. n. 25.* Opp. 511. *De verit. praed. et grat. l. 3. c. 9. n. 14.* p. 488. — Petr. Damian. *Opusc. 36. c. 10.* Opp. T. 3. p. 315.

tuum super Israël in sempiternum[1]). — Joannes Bapt.: *Dico enim vobis: quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae*[2]). Et Christus Dominus ad Petrum: *An putas, quia non possum rogare patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum*[3]).

B. SS. Patres autem consulto sententiam nostram adstruunt, contrariamque impugnant. Sic Theophilus Alex. contra Origenem disputans: *Quomodo non impium est*, inquit, *humanae arti finem non imponere, nec operibus suis artificum scientiam coaequare; et Deum tanta fecisse dicere rationabilium creaturarum, quanta facere poterat? Audiat ergo et discat impius: Non tanta est virtus Dei, quantas fecisse dicitur rationabiles creaturas: sed imponens mensuram operibus, ultra quam esse non poterant, et rerum numerum dispositionis suae arte concludens, ipse mensura et numero non tenetur. — Non tantas fecit creaturas, quantas poterat: sed tantae ab eo factae sunt, quantae debebant fieri. — Necesse est, numero mensuraque factorum Dei fortitudinem coaequari, si non potuit majora facere, quam fecit*[4]). — Theodoretus: *Voluit autem non quaecumque poterat, sed quae satis esse censuit. Facile enim illi fuerat, decies ac vicies mille mundos producere: quando quidem velle omnium operum est facillimum. Nam et nobis ipsis omnium facillimum est velle: sed voluntatem nostram non illico sequitur facultas. Deus autem universorum, quae vult, omnia potest. Divinae siquidem voluntati facultas adjuncta est. Neque tamen rerum creationem sua potestate commensus est, sed quae voluit, ea fecit*[5]). — Dionysius exponens, Deum δύναμιν dici, cujus causam hanc praecipue reddit, quod videlicet sit *infinite potens, non solum omnem potentiam producendo, sed etiam supra omnem potentiam, et supra ipsam per se potentiam exsistendo; et quod desuper possit innumerabiliter infinitas alias potentias produ-*

---

1) 1. Reg. 13, 13.
2) Matth. 3, 9.
3) Matth. 26, 53. Cf. Sap. 11, 18.
4) *Epist. pasch. n. 17—18.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 7. 629.
5) *Serm. 4. Cont. Gent.* Opp. T. 4. p. 537.

cere; et quod infinitae infinito numero productae potentiae nunquam queant supra quam infinitam potentiae ejus potentificae effectionem hebetare[1]). — Tertullianus: ***Plane nihil Deo difficile.*** *Sed si tam abrupte in praesumtionibus nostris hac sententia utamur, quidvis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere, ideoque credendum est, illum fecisse etiam, quod non fecerit. Sed an fecerit, requirendum*[2]). Et Augustinus: *Tunc in clarissima sapientiae luce videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quam certa, immutabilis, efficacissima sit voluntas Dei; quam multa possit, et non velit, nihil autem velit, quod non possit*[3]).

C. Tandem Innocentius II. post Conc. Senonense a. 1140. hanc Abaelardi sententiam damnavit: ***Quod ea solummodo possit Deus facere vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore, quo facit, et non alio***[4]).

D. Neque obmoveri potest, si potentia divina revera esset infinita, assignari debere quoque effectum infinitum, qualis autem nequaquam datur. Nam recte propterea, quia potentia Dei infinita est: nullo modo exhauriri potest, satisque est, quod modus agendi divinae potentiae infinitus sit.

Observ. 1. Illud, quod repugnantia a Deo effici nequeant, ipsius omnipotentiae obesse, nemo sanus dixerit. Causa enim hujus non in defectu potentiae aliquo, sed potius in defectu possibilitatis ex parte rerum harum sita est. Res sibi repugnans οὐκ ὄν, non-ens, seu nihil est; nil autem efficere non posse recte omnipotentiae est. Unde de ejusmodi rebus bene adnotat S. Thomas: *Conve-*

---

1) *De div. nom. c. 8.* Opp. T. 1. p. 775.

2) *Adv. Prax. n. 10.* Opp. V. 2. p. 413.

3) *Enchir. c. 95. n. 24.* Opp. T. 6. c. 231. Cf. *De nat. et grat. c. 7. n. 8.* T. 10. c. 130. *Cont. Faust. l. 26. c. 7.* T. 8. c. 438. *De spir. et litt. c. 1. n. 1.* T. 10. c. 85. *c. 35. n. 62.* c. 121. — Athanas. *Or. cont. Gent. n. 39.* Opp. T. 1. P. 1. p. 38. *Or. 2. cont. Arian. n. 68.* p. 536. — Epiphan. *Haer. 70. n. 7.* Opp. T. 1. p. 818. C. D. — Chrysostom. *Hom. 24. in Gen. n. 7.* Opp. T. 4. p. 227. A. B. — Cyrill. Alex. *In Joan. l. 9.* Opp. T. 4. p. 803. B. — Ps. Justin. *Quaest. Christ. ad Graec. Conf. resp. ad q. 2. n. 7.* Opp. Justin. p. 557. E. — Lactant. *De opific. D. c. 3.* Opp. T. 2. p. 77. — Hieronym. *Epist. 98.* (Theophil. Alex. *Paschat. 2.) n. 17.* Opp. T. 1. c. 600. A. B.

4) Denzinger, *Enchir. Symbol. et defin.* p. 104.

nientius dicitur, quod ea non possint fieri, quam quod Deus non possit facere[1]). Atque Hugo a S. Vict.: *Summe potens est, qui potest omne, quod possibile est: nec ideo minus potest, quia impossibilia non potest, quia impossibilia posse non est posse, sed non posse*[2]). Et rursus: *Itaque omnia potest Deus, quae posse potentia est. Et ideo vere omnipotens est, quia impotens esse non potest*[3]).

Eo minus autem potest statui, esse defectum omnipotentiae, ut Plinius somniavit, quod in Deo fieri nequeant, quae ejus perfectioni infinitae repugnant, ut e. g. quod non possit sibi Deus vitam adimere, etc.; quum haec omnia pariter impotentis, non autem potentis sint. *Dicitur enim omnipotens*, ait Augustinus, *faciendo, quod vult, non patiendo, quod non vult*[4]). Et alibi: *(Deus) non potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli. Tanta non potest: quae si posset, non esset omnipotens*[5]). Et Ambrosius: *Impossibile est mentiri Deum. Impossibile quoque istud numquidnam infirmitatis est? Non utique. — Quid ei impossibile? non quod virtuti arduum, sed quod naturae ejus contrarium. Impossibile, inquit, est ei mentiri. Impossibile istud non infirmitatis est, sed virtutis et majestatis*[6]).

Observ. 2. Nos omnipotentiam tamquam vim infinitam voluntati divinae inhaerentem cogitamus; alii vero illam ad ipsam substantiam divinam immediate, ut ita dicamus, referunt, et sic quasi tres infinitas vires, videlicet intellectum, voluntatem atque vim effectricem in Deo assumunt. Putamus tamen, hoc sine ratione sufficiente statui, quum natura spiritus intellectu ac voluntate absolvatur. No-

---

1) *1. q. 25. art. 3.* Opp. T. 20. p. 160. c. 2.

2) *Erud. theol. De Sacram. l. 1. p. 2. c. 22.* Opp. Rothom. 1648. T. 3. p. 502. c. 2. Cf. Anselm. *Proslog. c. 7.* Opp. p. 31. *De cas. diab. c. 12.* p. 67. c. 2. C. D.

3) *Annot. elucidat. Allegor. in Luc. super magnific.* T. 1. p. 324. c. 1. B.

4) *De civ. D. l. 5. c. 10.* Opp. T. 7. c. 125.

5) *Serm. 213. In tradit. Symb. c. 1. n. 1.* T. 5. c. 939. *Serm. 214. n. 4.* c. 945. *Cont. Faust. l. 26. c. 5.* T. 8. c. 436 s. *De Symb. n. 2.* T. 6. c. 547.

6) *Epist. 50. n. 1.* Opp. T. 2. c. 993. Cf. *n. 2.* Ib. — Cyrill. Alex. *Comm. in Joan. l. 2. c. 6.* Opp. T. 4. p. 214 ss. — Chrysost. *Hom. 38. in Joan. n. 4.* Opp. T. 8. p. 221 s. — Dionys. Areop. *De div. nom. c. 8. §. 6.* Opp. T. 1. p. 777. — Boëth. *De cons. phil. pros. 12.* p. 72 s. — Isidor. Pelus. *L. 3. Epist. 335.* p. 259 s. — Petr. Damian. *Opusc. 36. De div. omnip. c. 1.* Opp. T. 3. p. 308 s. — Isidor. Hisp. *Orig. l. 7. c. 1.* Opp. p. 53. c. 2. — Anselm. *Prosl. c. 7.* Opp. p. 31.

strae sententiae SS. Litterae quoque, quae tradunt[1]), voluntatem divinam esse, cui nemo resistere possit, nec non SS. Patres suffragantur[2]).

Observ. 3. Doctrina de omnipotentia divina excitamur:

a. Ut nunquam obliviscamur, omnia quaecumque exsistunt, nonnisi ex Deo et per Deum esse, ita ut, quemadmodum averso fonte rivuli exarescunt, ac sole oblitescente obscurantur caetera, pariter, si Dei abesset vitalis omnipotentia, omnia labescerent et interirent.

b. Ut fastum, arrogantiam ac pervicaciam deprimamus, utpote qui a nobis quasi ex nobis nihil sumus, nihilque valemus, sed toti a Deo pendemus.

c. Ut in nobis nunquam fidamus, neque in rebus terrestribus, sed omnem nostram spem in Deo collocemus[3]); nam in ipso omnia possumus, qui nos confortat[4]), *Deus enim noster refugium, et virtus: adjutor in tribulationibus*[5]). Sed et

d. ut Deum timeamus, *qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*[6]).

§. 21. 8. b. Summe bonus.

Omnium Dei proprietatum et ad professionem notissima et ad contemplandum jucundissima sine dubio est, quae modo disputationi nostrae succedit, divina bonitas.

Est autem bonitas Dei alia naturalis, quae ad naturam divinam universim consideratam, alia moralis, quae ad internam quasi voluntatis divinae indolem, et alia relativa, quae ad voluntatem divinam relatam ad entia alia spectat.

Bonitas naturalis nil aliud est quam ipsa essentiae seu naturae divinae infinita perfectio. Hoc sensu Deus infinite bonus est, quia omne genus verarum perfectionum, et quidem per se

---

1) Cf. Gen. 50, 19. Esth. 13, 9. Rom. 9, 19.

2) Cf. Clem. Alex. *Cohort. ad Gent. n. 4.* Opp. T. 1. p. 55. — Athanas. *Cont. Arian. Or. 3. n. 62.* Opp. T. 1. p. 611. — Chrysost. *Hom. 2. de Incompreh. n. 4.* Opp. T. 1. p. 457. E. — Cyrill. Alex. *Thes. assert. 7.* Opp. T. 5. P. 1. p. 54. E. *De Trin. Dial. 4.* p. 510. *Dial. 6.* p. 618. D. — Theodoret. *Graec. affect. cur. Serm. 4.* Opp. T. 4. p. 536. B. — Ambros. *Comm. in Luc. l. 5. n.* 3. Opp. T. 1. c. 1355. *Hexaëm. l. 1. n.* 22. c. 12. A—C. — Augustin. *De Trinit. l. 3. c. 2 — 4. n. 7 — 10.* Opp. T. 8. c. 795 ss. — Iren. ap. J. Damasc. *De duab. Chr. volunt. n. 28.* Opp. T. 1. p. 543. B.

3) Cf. Ps. 19, 8.

4) Phil. 4, 13.

5) Ps. 45, 1 ss. Cf. 90, 1 ss. Ephes. 6, 10.

6) Matth. 10, 28.

possidet; atque hanc bonitatem intelligimus, quando Deum *bonum originarium* (das unerschaffene Gut) adpellamus. *Bonitas moralis* in Deo est ipsius absoluta *sanctitas*. De bonitate Dei naturali supra egimus, et de bonitate morali inferius agemus: unde hic nonnisi de *bonitate relativa*, seu de *benignitate* Dei dicimus.

Potest vero *bonitas* haec *relativa* seu *benignitas* definiri ceu *ea perfectio voluntatis seu substantiae divinae, qua Deus creaturis tantum perfectionis ac felicitatis, quantum natura ac nexus earumdem, et sapientissima consilia divina patiuntur, largiri vere ac constanter vult, atque ideo etiam revera largitur*, seu *qua entibus felicitatis capacibus absolute benevult ac benefacit*; quapropter et *benevolentia* ac *beneficentia* divina discernitur.

Haec divina bonitas varia accipit nomina pro variis naturarum creatarum, ad quas attinet, conditionibus. Relata ad entia libertate morali praedita dicitur *charitas* (ἀγάπη) [1], et ad homines speciatim *humanitas* (φιλανθρωπία) [2]; quatenus non merentibus dona dividit, *gratia* (χάρις) [3]: quando miseris et indigentibus succurrit, atque speciatim peccatori spatium poenitentiae, et poenitenti vere etiam veniam concedit, *misericordia*, (ἔλεος οἰκτιρμός, σπλάγχνα τοῦ ἐλέους) [4] vel etiam *clementia* [5]; quatenus malos tolerat, *patientia* [6]; et quatenus poenas eorum differt, aut mitigat, *longanimitas* (μακροθυμία) [7], vel *lenitas* (χρηστότης) [8].

Bonitatem divinam sustulerunt *Manichaei*, qui Deum auctorem mali statuerunt, quibus recentiori aevo *Petrus Bayle* non erubuit adstipulari.

Verumtamen nil potest esse manifestius, nihilque certius divina bonitate, quam in Deo revera dari, manifestissime docet revelatio, atque in eo necessariam esse, invicte ostendit ipsa ratio. Nihil enim

---

1) Deut. 33, 3. Joan. 3, 16. 1. Joan. 4, 8. 16.
2) Tit. 3, 4.
3) Rom. 3, 24. Ephes. 1, 6. 7.
4) Ps. 50, 3. Matth. 5, 7. Luc. 1, 72. 78. 2. Cor. 1, 3.
5) Exod. 34, 6. 2. Esdr. 9, 17. 31. Jon. 4, 2.
6) Rom. 2, 4. 9, 22. 1. Petr. 3, 20.
7) Rom. 11, 22.
8) Rom. 2, 4.

A. SS. Litterae frequentius atque vehementius quam divinam benignitatem commendant. Et quidem

a. Deum **benignum erga omnes creaturas** docent. *Diligis enim omnia*, ait **Sapiens**, *quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti* [1].—**Psalmista**: *Suavis Dominus: et miserationes ejus super omnia opera ejus. — Oculi omnium in te sperant, Domine: et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam: et imples omne animal* (animans) *benedictione. — Prope est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet: et salvos faciet eos. Custodit Dominus omnes diligentes se: et omnes peccatores disperdet* [2]. Alibi: *Misericordia* (חֶסֶד) *Domini plena est terra* [3]. Et iterum: *Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in saeculum* (immutabilis) *misericordia* (חסד) *ejus* [4]. — *Atque* **Christus Dominus**: *Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester coelestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis* [5]? Et iterum: *Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo* [6]?

b. Speciatim autem Deum **amore summo complecti homines**, et inter hos rursus **justos**. *Quid est homo*, canit **Psalmista**: *quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum: et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas: insuper et pecora campi. Volucres coeli,*

---

1) Sap. 11, 25.
2) Ps. 144, 9. 15—16. 18—20. Cf. 103, 10 ss. 146, 8—9. Job. 38, 41. 39, 1—30. 40, 10—28. 41, 1—25.
3) Ps. 32, 5. Cf. 118, 64. Eccli. 18, 4. 12.
4) Ps. 105, 1. Cf. Ps. 35, 8—9. Jer. 33, 11.
5) Matth. 6, 26. Cf. Luc. 12, 24.
6) Luc. 12, 6.

et pisces maris, qui perambulant semitas maris [1]). — Christus Dominus autem ait: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est: qui solem suum oriri facit super bonos, et malos: et pluit super justos, et injustos* [2]). Et Apostolus: *Non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de coelo, dans pluvias, et tempora fructifera, implens cibo, et laetitia corda nostra* [3]). — *Qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum* [4]). Atque iterum: *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* [5])? — Inprimis vero justos a Deo diligi, docet Moyses his verbis: *Scies, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis, et fidelis, et custodiens pactum, et misericordiam diligentibus se, et his, qui custodiunt praecepta ejus, in mille generationes* [6]). — Psalmista: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te*, i. e. quam multae, et quam magnae deliciae, quas repositas habes timentibus te [7]). Atque Christus Dominus: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* [8]). Quapropter et SS. Scripturae Deum patrem hominum [9]), patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis [10]) compellant, atque eum nos amore longe teneriori ipso parentum amore diligentem exhibent, cujus opem nemo frustra imploret, qui det omnibus superabundanter, quam petimus et intelligimus, quique charitas ipsa sit. *Numquid*, ait Dominus apud Isaiam, *oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce*

[1]) Ps. 8, 5—10. Cf. Gen. 1, 26—31. Job. 7, 17.
[2]) Matth. 5, 44—45. Cf. 6, 25—32. Luc. 12, 22—20.
[3]) Act. 14, 16.
[4]) 1. Tim. 6, 17.
[5]) 1. Cor. 4, 7. Cf. Jac. 1, 17.
[6]) Deut. 7, 9. Cf. Exod. 20, 6.
[7]) Ps. 30, 20. Cf. 32, 18. 102, 11, 13. 17—18. 113, 13. Sap. 4, 15. Luc. 1, 50.
[8]) Joan. 14, 21. Cf. 16, 27. Act. 10, 35. 1. Joan. 4, 12. 13. 15.
[9]) Deut. 32, 6. Sap. 2, 13. 16. 18. 18, 4. Is. 63, 6. Mal. 1, 6. Matth. 5, 45. 6, 9. 15. 23, 9. Rom. 8, 15. 1. Cor. 8, 6. Ephes. 4, 6. 1. Joan. 3, 1.
[10]) 2. Cor. 1, 3.

in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper [1]. — Christus Dominus: *Petite, et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit: et qui quaerit, invenit: et pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis pater vester, qui in coelis est, dabit bona petentibus se* [2]? Et Joannes Apostolus: *Et nos cognovimus, et credimus* (fide complexi sumus) *charitati* (charitatem), *quam habet Deus in nobis* (erga nos). *Deus charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* [3]. Atque ideo

c. Deum omnibus nostris necessitatibus atque miseriis benigne succurrere, non obstantibus peccatis nostris. *Dominator Dominus Deus*, ait Moyses, *misericors, et clemens, patiens, et multae miserationis, ac verax* (fidelis) [4]. — Davides: *Miserator, et misericors Dominus: patiens, et multum misericors. Suavis Dominus universis: et miserationes ejus super omnia opera ejus* [5]. Speciatim autem nobis Deus dat, quibus

α) corpore indigemus. *Qui dat escam omni carni: quoniam in aeternum misericordia ejus* [6]. Quare Christus, postquam ostenderat, Deum ipsarum plantarum ac animalium curam gerere, nos admonet: *Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Haec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis* [7]. Et Apostolus

---

[1] Is. 49, 15—16.

[2] Matth. 7, 7—11. Cf. 21, 22. Luc. 11, 11—13. Ephes. 3, 20.

[3] 1. Joan. 4, 16. Cf. 2. Cor. 13, 11. 1. Petr. 5, 10.

[4] Exod. 34, 6. Cf. Num. 14, 18.

[5] Ps. 144, 8—9. Cf. 85, 5. 15. 111, 4. Porro Psalmi: 102, 106, 114, 117, et 135, qui integri misericordiam divinam canunt. Jac. 5, 11.

[6] Ps. 135, 25. Cf. Ps. 103, 14—15. Eccli. 34, 20. 50, 25. Jer. 33, 11. Act. 14, 16.

[7] Matth. 6, 31. 32.

post Magistrum: *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis* [1]). — Atque

β) maxime quae nobis quoad animam sunt necessaria. Hinc nobis, teste S. Scriptura, ut dona naturalia intelligentiae et liberi arbitrii silentio praetereamus, revelationem dedit, *multifariam, multisque modis olim loquens patribus, novissime locutus est nobis in Filio* [2]), *erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et saecularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc saeculo* [3]). — Porro per Filium suum nos redemit. *Sic enim Deus,* ait ipse divinus Salvator, *dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* [4]). Et Apostolus Paulus: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est* [5]). Atque Joannes: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis* (in nos), *quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas* (scil. manifestata): *non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris* [6]). — Atque nobis per Spiritum S. gratiam justificantem confert, qua nobis peccata remittuntur, nosque renovati ac regenerati iterum in amicitiam divinam recipimur, nec non illa gratiae auxilia exhibet, quibus ad justificationem rite disponimur, et in justitia perseveramus; nil enim Deus ardentius desiderat, quam resipiscentiam atque salutem nostram; unde peccatores patienter fert, in poenis infligendis longanimis ac clemens est, atque ad condonandum vere poenitentibus semper paratus. *Quotquot enim,* inquit Joannes, *receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus* [7]). — Paulus: *Non enim accepistis*

1) Petr. 5, 7.

2) Hebr. 1, 1—2.

3) Tit. 2, 12. Cf. 1. Cor. 1, 30. Joan. 1, 17. Eccl. 17, 9—10.

4) Joan. 3, 16.

5) Rom. 5, 8—9. Cf. 3, 23—26. 8, 15. 32. Gal. 4, 4—6. Ephes. 1, 6. 2. Tim. 1, 9. 1. Cor. 1, 10.

6) 1. Joan. 4, 9—10. Cf. 3, 1. 16. 4, 14. 1. Tim. 2, 6. Tit. 2, 11. 3, 4.

7) Joan. 1, 12.

spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater) [1]. Atque: *Deus est, qui operatur in vobis, et velle, et perficere pro bona voluntate* [2]. — Ezechiel: *Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?— Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, et vivite* [3]. — Isaias: *Quiescite agere perverse. Discite bene facere. — Et venite, et arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana dealbabuntur* [4]. — Joël: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus, et misericors est, patiens, et multae misericordiae, et praestabilis super malitia* [5]. — Petrus: *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti* [6]. — Paulus: *An divitias bonitatis ejus, et patientiae, et longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit* [7]. — Psalmista: *Miserator, et misericors Dominus: longanimis, et multum misericors. Non enim in perpetuum irascetur: neque in aeternum comminabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem coeli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat Ortus ab Occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se* [8]. Et: *Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt, Domine,*

[1]) Rom. 8, 15. Cf. Gal. 4, 6. 1. Cor. 3, 16. Eccli. 17, 1—2.

[2]) Philipp. 2, 13. Cf. 1, 6. Rom. 8, 26. 1. Cor. 10, 13. 1. Thess. 5, 20. 2. Thess. 3, 3. 1. Petr. 5, 10. Ps. 24, 8—10. Eccli. 17, 6—8.

[3]) Ezech. 18, 23. 32. Cf. 33, 11.

[4]) Is. 1, 16—18. Cf. Sap. 11, 24. Eccli. 2, 13. Mich. 7, 18. 19.

[5]) Joël. 2, 12—13.

[6]) 2. Petr. 3, 9.

[7]) Rom. 2, 4.

[8]) Ps. 102, 8—13.

qui amas animas. O quam bonus, et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus. Ideoque eos, qui exerraut, partibus (i. e. per partes, sensim, paulatim) *corripis: et de quibus peccant, admones, et alloqueris: ut relicta malitia, credant in te, Domine* [1]). — Quin imo, quando Deus mala nobis immittit, nonnisi bonum nostrum intendit. *Quem enim diligit Dominus,* inquit Apostolus, *castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseverate. Tamquam filiis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? — Omnis autem disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiae* [2]). Et alibi: *Gloriamur in tribulationibus: scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes autem non confundit* [3]). — Tandem

d. docetur, bonitatem ac misericordiam Dei esse universalem, quum ipse non Judaeorum Deus sit, *imo et Gentium* [4]), *qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* [5]); porro sine omni prorsus hominum respectu, *quia non est personarum acceptator Deus* [6]); *et aequaliter cura est illi de omnibus* [7]); atque immutabilem, nam *misericordia Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum* [8]), *montes commoveutur, et colles contremiscunt: misericordia autem ejus non recedit a populo* [9]), atque *sine poenitentia sunt dona, et vocatio Dei* [10]).

B. Summam Deo bonitatem atque misericordiam convenire, unanimi consensu docent quoque SS. Patres, e quorum numero tamen in doctrina adeo plana, atque per praecones Ecclesiae continuo ac ubique tradita, paucos laudasse sufficiat.

---

1) Sap. 11, 27. 12, 2. Cf. ss.
2) Hebr. 12, 6. 7. 11. Cf. Prov. 3, 11—12. Tob. 2, 12. 12, 13. Jud. 8, 27.
3) Rom. 5, 3—5.
4) Rom. 3, 29. Cf. 11, 32.
5) 1. Tim. 2, 4. Cf. 2. Petr. 3, 9. Deut. 10, 18. Ps. 144, 9. Act. 10, 35.
6) Act. 10, 34.
7) Sap. 6, 8. Cf. Eccli. 35, 16—21. Prov. 22, 2. 29, 13. Job. 34, 19. Matth. 5, 45. Luc. 6, 35.
8) Ps. 102, 17. Cf. 99, 5. 105, 1. 107, 1—4. 137, 8.
9) Is. 54, 10.
10) Rom. 11, 19.

Sic ait Athenagoras: *Deus cum perfecte bonus sit, perpetuo beneficus est*[1]. — Origenes: *Hic* (Deus bonus, justus et omnipotens) *cum in principio crearet ea, quae creare voluit, id est rationabiles naturas, nullam habuit creandi causam, nisi propter se ipsum, id est, bonitatem suam*[2]. — Chrysostomus: *Cum nullo eorum, quae apud nos sunt, egeret Deus, nos condidit. Quod autem nullo egeret, ostendit, cum nos postremo condidit; si enim eguisset, longe ante fecisset. Quod si ille sine nobis erat, nos autem postremis temporibus facti sumus, non quod nostri egeret, nos condidit. Coelum, terram, mare et omnia propter nos condidit. Annon, quaeso, haec ex bonitate facta sunt*[3]? — Leo: *Deus omnipotens, et clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, etc.*[4]. — Fulgentius: *Nisi summe bonus esset, non se gubernandis rebus quoque infimis praestitisset. Igitur tam in magnis, quam in parvis quibusque rebus conditis magna est bonitas, atque omnipotentia conditoris*[5]. Atque Zacharias Mityl.: *Deus benefactor, et opifex, et Deus eorum, quae beneficio affecturus est, et procreaturus, non necessario beneficia conferens, aut procreans, neque ut Deus sit, in rerum naturam res ipsas producens: habet enim ex se ipso id, quod est, sed ut bonus, et Deus*[6]. — *Possidet simul ingenitam et coaeternam beatae (suae) naturae voluntatem erga ea, quae et producenda sunt, et beneficiis cumulanda. Caeterum produxit, cum profuturum iis, quae producta sunt, vidit, atque ratio et ordo postulabat. Sic circa res Dei voluntas et beneficentia aeterna est, non ut earum natura in tempore*[7]. — Hilarius, qui scribit, Deum universa sic molitum esse, nullo ut eorum indigeret, et praesertim hominem instituisse, non *quod officio ejus in aliquo eguerit, sed quia bonus est, participem beatitudinis suae condidit, et rationale animal in usum largiendae suae aeternitatis*

---

1) *Leg. pro Christ. n. 26.* Opp. Justin. p. 324. C.
2) *De princ. l. 2. n. 6.* Opp. T. 1. p. 99. c. 1. D.
3) *Hom. 3. in Epist. ad Philem. n. 3.* Opp. T. 11. p. 789. C.
4) *Serm. 2. de nativ. c. 1.* Opp. p. 71. c. 1.
5) *De fid. ad Petr. c. 3. n. 25 s.* Opp. p. 511.
6) *De mund. opif.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 11. p. 280. D.
7) Ib. p. 279. E.

vita sensuque perfecit. Et pergit: *Nullum a nobis, nisi innocentiae, et religionis, et fidei obsequium Deus postulat. Amari se a nobis exigit: non utique amoris in se nostri fructum aliquem sui causa ipse percipiens, sed amore ipso nobis potius, qui eum amabimus, profuturo. Nam amari se, sibique nos obsequi idcirco, ut nobis bene sit, expetit, ut digni beatitudinis suae ac bonitatis suae munere per meritum amoris sui, et obsequii judicemur. Bonitatis autem usus, ut splendor solis, ut lumen ignis, ut odor succi, non praebenti proficit, sed utenti. Quod ergo sumus, profectus noster est potius, quam ejus, qui nos in id, quod sumus, instituit: quia Deus bonorum eorum, quae in se sunt aeterna, non invidens, in sensum nos, atque usum suae bonitatis assumit. Sed qui perfectus ac bonus est, bonitate in nos ac beatitudine sua non sine ratione, ac modo usus est*[1]). — Augustinus: *Omnia bona, sed facta bona; et a Deo bona, non a se. Qui fecit haec, super omnia est bonus: quia nullus eum fecit bonum, sed a se ipso bonus est: nec tamen sibi soli, sed et nobis bonus est. Confitemini ergo Domino, quoniam bonus est*[2]). — Atque Dionysius ait: *Sic essentia sua bonus est Deus, ut tamquam substantiale bonum bonitatem in omnia porrigat. Quemadmodum enim sol ille noster non cogitatione aut voluntate, sed eo ipso, quod est, illuminat universa, quae quoquo modo lucis ejus sunt capacia: sic etiam ipsum bonum (quod non secus praestat soli, quam primaeva species imagini obscurae) ipsamet substantia sua rebus omnibus, pro cujusque captu, totius bonitatis suae radios affundit.*

C. Summam Dei bonitatem denique quoque probat ratio.

a. Benignitas enim, seu benevolentia ac beneficentia procul dubio vera perfectio est; et hinc Deo pro ejus infinitate quoque, eaque infinita necessario tribuenda est.

b. Id ipsum porro ex consideratione rerum creatarum clare colligitur. Nam bonitatem Dei infinitam annuntiant tam innumerae res, vità fruentes, quibus Deus facultatem felicitate fruendi indidit, occasionemque hujus uberem subministrat; manifestam-

---

[1]) *In Ps. n. 15—16.* Opp. T. 1. c. 38 s. Cf. Augustin. *De doctr. Christ. l. 1. c. 31.* Opp. T. 3. P. 1. c. 15 s.

[2]) *Serm. 29. c. 1. n. 1.* Opp. T. 5. c. 149. Cf. *Serm. 15. c. 5. n. 5.* c. 89. *Serm. 23. c. 8. n. 9.* c. 120.

que ostendunt praecipue naturae intelligentes, perfectionis moralis capaces, atque speciatim homines, quos Deus, sibi sufficientissimus, ad imaginem suam condidit, ad cognitionem ac amorem sui, tamquam summi boni, et felicitatem inenarrabilem vocavit, eosque ideo non tantum naturalibus dotibus, sed et supernaturalibus exornavit, porro postquam lapsi erant, haud deseruit, sed iisdem revelationem contulit, illos per Filium suum unigenitum redemit, atque per Spiritus S. gratiam sanctificat, inque salutis negotio adjuvat, et ne unquam luce coelestis doctrinae sint destituti, aut de ejus superno auxilio incerti, Ecclesiam visibilem, cum qua esse promisit omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, fundavit.

Observ. 1. Loca illa S. Scripturae, in quibus de ira, furore, vindicta[1]) in Deo sermo est, doctrinae de summa Dei bonitate haud obstare, ex supra jam adnotatis constat; quum hisce dicendi formulis, humano cogitandi modo adcommodatis, nonnisi Dei mali improbatio ac punitio, atque legis divinae sanctitas graviter nobis ob oculos sistatur.

Observ. 2. Quae mala adsunt: ea partim ad limites rerum finitarum necessarios referenda, partim tamquam poenae nobis immissae, quibus pro peccatis nostris puniamur, et ad meliorem frugem revocemur, partim vero tamquam res, quibus in virtute ac sanctitate provehamur, consideranda sunt.

Observ. 3. Bonitas, Deum patrem in nos propensissimum exhibens, omnes gratitudinis, amoris spei, ac pietatis sensus in mente nostra excitat. Nam quidquid nos sumus, divinae bonitati in acceptis referimus. Deus suo bono bonus, in se continens omnia; nos autem ex ejus plenitudine accepimus, ejus voluntate vivimus, ejus donis ditescimus. Hinc nihil est, quod nos magis ad gratum animum Deo exhibendum, eumque redamandum permoveat, nilque, quod in necessitatibus nostris, atque in angustiis, periculis ac calamitatibus quibuscumque nos magis impellat ad fiduciam in Deo collocandam, simulque autem ad acquiescendum in ejus omnibus dispositionibus, quum sciamus, *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum esse, descendens a Patre luminum*[2]). — Non minus autem porro ad Deum imitandum nos stimulat, ut scilicet simus misericordes, sicut Pater noster misericors est; quum sentiamus, nulla re propius ad Deum nos accedere, quam benefa-

---

[1]) Deut. 32, 21—22. 41—42. Ps. 6, 2. Mich. 5, 14. Zach. 8, 2.

[2]) Jac. 1, 17.

ciendo, et tunc demum filios Dei effici, quando misericordiae et bonitatis divinae imaginem quandam in vita nostra expresserimus [1]). *Quia charitas ex Deo est. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est* [2]).

§. 22. 9. c. Liberrimus.

In illa autem benevolentissima ac beneficentissima voluntatis efficacia Deus, uti ab omni impedimento, ita et ab omni coactione, violentia ac necessitate, prorsus immunis est, seu est liberrimus.

Antequam tamen, in Deo esse voluntatem liberrimam, ostendamus: primum, quid sub libertate intelligendum sit, paucis exponendum est, ne ambiguitate vocis oratio nostra conflictetur.

Liberum communi et insita quasi humanae menti notione dicitur, quod sui juris est. Hinc definit Cicero ita libertatem, *ut sit potestas vivendi, ut velis* [3]). Liberum itaque omnem coactum, sive negativum sive positivum, non tantum externum, sed et internum respuit. Quo sensu liberum a spontaneo differt. Spontaneum, ἑκούσιον, enim potest cum necessitate seu impulsu interno esse conjunctum, quamvis violentia seu coactu externo careat. Sic parvuli nondum ratione utentes, vel etiam pecudes multa sponte faciunt, ad quae tamen impetu interno quodam feruntur, quem in potestate non habent. Liberum vero, αὐτεξούσιον seu ἐλεύθερον, necessitatem non minus quam violentiam excludit, et sibi contraria et opposita eligendi facultatem expeditam desiderat. Spontaneo ergo contrarium est violentum, non necessarium, libero utrumque. Unde libertas ea est proprietas, qua voluntas sine ullo impedimento atque sine ullo coactu, externo et interno, seu sine ulla violentia ac necessitate se ad efficaciam determinare potest. Sic quidem sumitur libertas sensu latiori. Sensu enim strictiori libertas est potestas secundum rationis dictamina ad agendum se per semetipsum determinandi. Sensu strictissimo autem est vis praeponderans constanter recte agendi. Quo sensu libertas a sanctitate et virtute non differt, atque etiam libertas Christiana adpellatur. De illa loquitur

---

[1]) Cf. Matth. 5, 44 s. Col. 3, 12—13.

[2]) 1. Joan. 4, 7.

[3]) *Parad. n. 5.*

Christus Dominus, ubi ait: *Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis*[1]). E contrario, qui sceleribus indulget, libertate hoc sensu destitutus seu *servus peccati* declaratur[2]). Propterea etiam religio Christiana a Jacobo *lex perfecta libertatis* vocatur[3]). In Deum itaque translata libertas illa est perfectio, qua ipse in sua efficacia ab omni impedimento atque omni violentia ac necessitate prorsus immunis, secundum suam sapientissimam cognitionem per semetipsum actuosus est, seu vult et agit, quia actuosus esse, seu velle et agere vult.

Libertas haec, quae solummodo ad efficaciam voluntatis divinae refertur, nequaquam autem ad actus illos internos, uti sunt ipsa exsistentia Dei, porro generatio Filii, nec non processio seu ἔκπεμψις Spiritus S., moralis adpellatur, atque a libertate metaphysica distinguitur, sub qua nihil aliud, quam independentia absoluta seu asseitas intelligitur, qua Deus nemini quidquam debet, et omnis suae vitae, efficaciaeque fontem in se ipso habet.

Libertatem moralem in Deo negavit teste Tertulliano Hermogenes, cui assentiunt Pantheistae antiquiores et recentiores omnes.

Deum absolute liberum, nullisque prorsus stimulis, quibus in sua efficacia alliciatur aut terreatur, obnoxium esse,

A. SS. Litterarum oracula praedicant. Cujusmodi sunt:

a. *Omnia quaecumque voluit, Dominus fecit in coelo, et in terra, in mari, et in omnibus abyssis*[4]). — *Haec omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult*[5]). — *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae*[6]). Quod enim ex consilio voluntatis operamur, non ex necessitate volumus. Cum igitur Deus omnia, quae operatur, ex consilio voluntatis suae operetur: non ex necessitate, sed liber-

1) Joan. 8, 36. Cf. 1. Petr. 2, 16.
2) Joan. 8, 34.
3) Jac. 1, 25.
4) Ps. 134, 6. Cf. Apoc. 4, 11.
5) 1. Cor. 12, 11.
6) Ephes. 1, 11.

tate vult, ita ut possit etiam ea non velle. Atque: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis* [1]). — Huc quoque pertinent:

b. illa loca, quibus Deus se paratum dicit, ut pro eo, ac homines agere voluerint, vicissim et ipse sit acturus, et consilium suum pro illorum voluntate moderaturus. Potest itaque Deus, uti sine ulla sui mutatione, ita cum absoluta libertate, sine ullo impedimento aut ullo coactu ad extra agere ac efficax esse. Praeclara est Ezechielis alternantis illius sententiae, judiciique significatio, qua se Deus obliturum pollicetur omnium scelerum, quae peccator commisit, si ipse resipuerit, et vicissim justi merita pro nihilo ducturum, si ab instituta probitate desciverit [2]).

c. Porro loca, ubi beneficia divina tamquam dona gratuita ac voluntaria describuntur, et ideo gratiae vocabulo censentur. Si enim Deus necessitate compulsus ageret: bona nobis ab eo collata, dona dici haud possent, nedum gratiae, seu dona gratuita ac voluntaria [3]). Dein

d. loca ea, quibus liberalitas, misericordia, et aliae virtutes divinae summis encomiis celebrantur, hominesque excitantur tum ad laudem ac gratiarum actionem Deo exhibendam, tum ad fiduciam in Deo collocandam, atque beneficia ab eo postulanda [4]). Quae omnia, libertatem in Deo adesse, ostendunt. Nam si beneficia illa, quae a Deo in nos derivantur, ex necessitate nobis obtingerent: nulla debita laus liberalitatis ac misericordiae, nulla gratitudo Deo rependenda, nihilque ab eo sperandum, nihilque petendum foret. Ad quid enim et nostrae ad Deum preces, et Dei ad nos exhortationes ac commonitiones, si fatali quadam necessitate bona vel mala immitteret?

B. Absolutam Dei libertatem quoque docet Traditio, alter religionis Christianae fons. Eam enim tradunt

---

[1]) Jac. 1, 18. Cf. 2. Reg. 24, 13. Job. 23, 13. Ps. 88, 18. 115, 3. Eccli. 41, 6. Prov. 21, 1. Dan. 4, 29. 32. Jer. 27, 5. 1. Cor. 1, 21. 27. Gal. 1, 4. Ephes. 1, 4—5. 9. 11. Rom. 8, 28. 9, 1—11. 36.

[2]) Ezech. 33, 11—19. Cf. Is. 38, 1 ss. Jer. 7, 1 ss. 18, 8 ss. Is. 1, 19. Jon. 3, 4 ss. 3. Reg. 21, 21 ss. etc.

[3]) Cf. Rom. 9, 10—23. 1. Cor. 12, 3 ss. Jac. 1, 17. Matth. 7, 11.

[4]) Cf. Ps. 102, 1 ss. 105, 1 ss. 144, 21. Sap. 12, 1 ss. Jer. 33, 11. — Ps. 144, 18—19. Matth. 7, 7—11. Luc. 11, 10—13. — Matth. 21, 22. Marc. 11, 24. 1. Joan. 3, 22. Ephes. 3, 20.

a. unanimi ore SS. Patres omnes. Sic scribit Theophilus Antioch.: *Dei potentia in eo spectatur, ut primum quidem res ex nihilo creet: deinde ad arbitrium creet*[1]). — Basilius veteres redarguit philosophos, qui mundum ex aeterno et necessario, non voluntate a Deo, sicut a corpore umbram, vel a luce splendorem, manasse crediderunt, ac Deum quidem causam illius esse confitebantur, sed causam sine voluntatis electione. Quem errorem Moysen refutare voluisse ac scripsisse: *In principio Deus fecit coelum, et terram;* ut hoc *faciendi* verbo demonstraret, Deum tamquam *artificem,* summa et vi et sapientia opus illud elaborasse et perpolivisse. Quae vox *artis* et *artificis* Dei libertatem in agendo maxime declarat. Nam nulla sine voluntaria electione ars, nullus artis usus esse potest[2]). — Epiphanius: *Est enim praepotens (Deus),* inquit, *et quod cumque libitum est, molitur, ita tamen, ut, quae divinitatem ipsius deceant, perpetuo faciat*[3]). — Macarius: *Tu (homo) propterea es ad imaginem et similitudinem Dei factus, quia, quemadmodum Deus sui juris est, et quod vult, facit: — sic quoque tu tui juris es*[4]). — Maximus Deum adpellat αὐτοξούσιον φύσει, i. e. naturâ liberum, *seu liberae potestatis*[5]). — Hieronymus: *Si Deus voluntarie, et non ex necessitate bonus est, debuit, hominem faciens, ad suam imaginem, et similitudinem facere, hoc est, ut et ipse voluntarie, et non ex necessitate bonus esset. Qui autem asserunt, ita eum debuisse fieri, ut malum recipere non posset, hoc dicunt: talis debuit fieri, qui necessitate bonus esset, et non voluntate. Quodsi talis fuisset effectus, qui bonum non voluntate, sed necessitate perficeret, non esset Deo similis: qui ideo bonus est, quia vult, non quia cogitur*[6]). — Auctor libri *de fide contra Manichaeos: Nullam necessitatem patitur Deus, neque necessitate facit, quod facit, sed summa et ineffabili voluntate ac potestate*[7]). — Et S. Augustinus: *Nulla necessitate, — sed sola bonitate fecit (Deus), quod factum est, id est, quia bonum est*[8]).

[1]) *Ad Autol. l. 2. c. 13.* Opp. Justin. p. 382. D.
[2]) *Hom. 1. in Hexaëm. n. 7.* Opp. T. 1. p. 7.
[3]) *Haer. 70. n. 7.* Opp. T. 1. p. 818. D.
[4]) *Hom. 15. n. 23.* In Gailand. *Bibl. PP.* T. 7. p. 58 s.
[5]) *Disp. c. Pyrrh.* In *Bibl. max. PP.* Lugd. T. 12. p. 497. C. D. et p. 499. A.
[6]) *Comm. in Ep. ad Philem. 14.* Opp. T. 7. c. 757.
[7]) *De fid. cont. Manich. c. 28.* Opp. Augustin. T. 8. app. c. 31.
[8]) *De civ. D. l. 11. c. 24.* Opp. T. 7. c. 291. Cf. Hippol. *Cont. haer.* Noët

b. Porro Ecclesiam absolutam Dei libertatem semper tradidisse atque tenuisse, patet jam ex eo, quoniam nunquam non dogmata de mundi per liberam Dei voluntatem creatione, conservatione ac gubernatione professa, et sanctitatem divinam, quae sine libertate nulla esset, venerata est.

C. Denique illud idem per rationem

b. ex ipsa divinitatis natura probare licet. Libertas enim in se spectata est perfectio absolute simplex, omnis defectus aut vitii expers, atque ideo Deo detrahi non potest, qui est perfectissimus, et a quo, quidquid boni in nobis est, defluit. Porro neque extra neque intra Deum quidquam datur, quo Deus in sua efficacia aut alliciatur, aut vero deterreatur. Non extra Deum, quoniam ipse est independens, et omnia, quaecumque exsistunt, vel exsistere possunt, ab ipso pendent. Non intra Deum, quia sensualitas, entibus finitis nonnisi propria, ex qua illa incitamenta et terricula oriri possent, in ipso locum haud obtinet. Nec non

b. ex operibus divinis, videlicet ex creatione, conservatione ac gubernatione mundi colligitur. Nam opera haec, utpote contingentia ac temporalia, nonnisi libere a Deo producta esse possunt; quod enim necessario est aut fit, aeternum quoque sit necesse est [1]).

Observ. 1. Libertati Dei absolutae minime obest ejus necessitas; quoniam haec ad Dei exsistentiam, illa vero ad divinae voluntatis efficaciam refertur. Nam quemadmodum homo, licet ex voluntate Creatoris exsistere debeat, nihilominus tamen liber est: ita etiam Deus, quamvis necessario exsistat, tamen et quidem necessario absoluta libertate vult atque agit [2]). — Neque etiam illud contra libertatem divinam obmoveri potest, quod Deus ἀναμάρτητος est, atque malum velle non potest; quum causa hujus non tam in defectu libertatis, quam potius in infinitate perfectionis sita sit; quaecumque enim Deus operatur, operatur, ut Ambrosius observat, *pro liberae voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio* [3]). Unde et Augustinus *beatam* hanc vocat *necessitatem, qua Deus injustus esse non potest* [4]).

---

n. 8. In Galland. *Bibl. PP.* T. 2. p. 459. — Ambros. *Hexaëm. l. 1. c. 5. n. 18 s.* Opp. T. 1 c. 9 s.

[1]) Cf. Ambros. *Hexaëm. l. 2. c. 2. n. 4.* Opp. T. 1. c. 24.

[2]) Cf. Thom. *Cont. Gent. l. 1. c. 28. n. 1.* Opp. T. 18. p. 28, 2. *Sent. d. 25. q. 1. art. 1. ad 3.* T. 10. p. 368 ss.

[3]) *De fid. 1. 2. c. 6. n. 48.* Opp. T. 2. c. 479.

[4]) *Oper. imperf. cont. Julian. l. 1. c. 100.* T. 10. c. 933.

Observ. 2. Praeter infinitam Dei sapientiam in ejus absoluta libertate et cum hac conjuncta sanctitate summa conspicitur ejusdem dignitas. Quapropter hac divina perfectione excitamur:

a. ut Deum summa veneratione prosequamur; atque

b. ut, quum ipsius imaginem praeferimus, quotidie magis ad filiorum Dei libertatem per ardens ac constans virtutis studium et nominatim per nostri abnegationem enitamur, spe autem vanae et perversae libertatis, quam homines mundani anhelant, quum sit propria carnis servitus, animum nunquam lactemus.

§. 23. 10. d. Sanctissimus.

Idem ipse tamen Deus, qui in sua efficacia absolute liber necessario cognoscitur, minime ideo ceu is, qui coeco quasi arbitrio agat, cogitandus, sed potius una tamquam infinite sanctus venerandus est.

Intelligitur autem sub sanctitate in homine nihil aliud, quam constans amor recti, et ex hoc amore procedens firmum propositum omnes actiones ad normam legis moralis seu voluntatis divinae componendi. Unde sanctitas in Deo, qui normam legis extra se nullam habet, sed ipse sibi est lex, est ex summo ac immutabili recti ac honesti amore absolute perfecta liberrimae voluntatis ejus cum sapientissima cognitione consensio, seu illa absoluta perfectio, qua Deus semetipsum tamquam summum bonum, et speciatim tamquam infinitam sapientiam infinite diligit, et omne id, quod cum illa convenit, propterea nunquam non quam maxime probat et vult, atque omnia, quae eidem repugnant, constanter ac absolute improbat ac aversatur.

Conspicitur itaque sanctitas divina primo in infinito amore, quo voluntas divina pro absoluta Dei perfectione necessario, non quidem necessitate coactionis ac violentiae, sed naturalis inclinationis, in omne bonum ac honestum ab ejus infinita sapientia cognitum fertur; et deinde in ejusdem liberrima ac immutabili βούλησι, dem absolut freien, unveränderlichen Wollen, omnis illius, quod pro sua perfectissima intelligentia tamquam bonum et honestum cognoscit, et quidem propterea, quia illud bonum ac honestum scit. Hinc sanctitas in Deo aeque necessaria ac liberrima est, ita tamen, ut summa illa in bonum naturalis propensio, seu amor honesti in Deo non prior liberrimâ voluntatis efficaciâ cogi-

tetur; sed quemadmodum Deus bonum ab aeterno diligit, ita illud ab aeterno liberrime vult, atque quemadmodum bonum liberrime ab aeterno vult, ita et ab aeterno illud diligit.

Ex quibus una colligitur, sanctitatem divinam a virtute humana, ut omnia attributa divina, essentiâ, *τῷ ὄντι*, differre. Sanctitas enim divina minime, ut virtus humana, in pugna adversus sensuum illecebras, et in studio perfectionis reponitur, sed est perfectio absoluta; in Deo enim nulla prorsus contentio, prout nullum absolute peccatum, dari potest, sed sibi est penitus constans ac immutabilis. Atque tandem, uti ab omni vi, ita et ab omnibus sensuum illecebris omnino est immunis, et liberrima ac purissima. Neque in Deo de debito aut officio quaeri potest, quum hoc tantum ad naturas intelligentes, a se invicem pendentes, aut alicui subjectas referatur, quae illud etiam negligere possint, Deus autem prorsus independens, supremus rerum omnium Dominus, atque essentialis ac infinita perfectio sit.

Deo summam competere sanctitatem, probamus:

A. Ex SS. Litteris, quarum una vox est, Deum esse sanctissimum. Et quidem

a. Deum expresse sanctum, rectum et justum per excellentiam, atque solum bonum seu perfectum adpellant, in quo nihil vitii sit, imo ne esse quidem possit. Hinc pertinent sequentia effata A. T.: *Deus fidelis, et absque iniquitate, justus, et rectus*[1]). — *Sancti estote, quia ego sanctus sum*[2]). — *Non est sanctus, ut est Dominus: neque enim alius est extra te*[3]). — *Sanctum, et terribile nomen ejus*[4]). — *Et clamabant (Seraphim) alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus* (i. e. summe bonus seu perfectus, et ideo summe venerandus), *Dominus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus*[5]). — Et ex N. T.: *Estote perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est*[6]). — *Unus est bonus*, i. e. unus vere ac absolute perfectus et sanctus[7]). — *Sed secundum*

---

1) Deut. 32, 4.

2) Lev. 11, 44. Cf. 19, 2. 20, 7. 26. 21, 8. Exod. 15, 11.

3) 1. Reg. 2, 2. Cf. 4. Reg. 19, 22,

4) Ps. 110, 9. Cf. 98, 3. 102, 1. 104, 3. 144, 21. Ezech. 20, 39. 39, 7.

5) Is. 6, 3. Cf. 1, 4. 5. 16. 10, 20. 12, 6. 20, 19. 23. 31, 1. 40, 25. 41, 16.

6) Matth. 5, 48.

7) Matth. 19, 17. Cf. Joan. 17, 11. 17. Apoc. 15, 4.

eum, qui vocavit vos, Sanctum: et ipse in omni conversatione sancti sitis: quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum [1]. — *Quoniam Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae*, i. e. Deus est absoluta moralis integritas, et vitiositas in eo est nulla [2]. — *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat*, i. e. Deus uti in se tentationi ad malum obnoxius non est, ita etiam ipse neminem tentat [3]. Qui potius est *pater luminum* (auctor omnium bonorum, sive naturae sive gratiae), *a quo descendit omne datum optimum, et omne donum perfectum* [4].

b. Ostendunt, omnia opera Dei perfecta, legemque veram ac sanctam. *Dei perfecta sunt opera, et omnes viae ejus judicia*, i. e. justae [5]. — *Justus Dominus in omnibus viis suis: et sanctus in omnibus operibus suis* [6]. — *Lex sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.* — *Lex Domini immaculata, convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis* [7]. — *Justitiae Domini rectae, laetificantes corda: praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos* [8]. — *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est* [9].

c. Id unice urgent, et voluntatem Dei esse declarant, ut homines vitae sanctimoniâ infucatâ eum sequantur; qui et propterea legem moralem non tantum cordibus illorum inscripserit, sed et modo extraordinario revelaverit, eosque gratia sua sanctificet. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit juxta te malignus: neque permanebunt injusti ante oculos tuos. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes*

---

1) 1. Petr. 1, 15—16.
2) 1. Joan. 1, 5. Cf. Joan. 8, 12.
3) Jac. 1, 13.
4) Jac. 1, 17. Cf. Ps. 75, 5.
5) Deut. 32, 4. Cf. Rom. 9, 14.
6) Ps. 144, 17. Cf. 76, 14. 97, 1. 2.
7) Rom. 7, 12.
8) Ps. 18, 8—9. Cf. Ps. 42, 3. Eccli. 34, 8.
9) Joan. 17, 17.

omnes, qui loquuntur mendacium [1]). — *Abominatio est Domino via impii: qui sequitur justitiam, diligitur ab eo* [2]). — *Mundi sunt oculi, ne videas malum: et respicere ad iniquitatem non poteris* [3]). — *Nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri: ut probetis, quae sit voluntas Dei, bona, et beneplacens, et perfecta* (quid bonum, Deo probatum et perfectum) [4]). — *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra* [5]). — *Cum enim Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis* [6]). — *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio* [7]). — *Ego Dominus, qui sanctifico vos* [8]). — *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus* [9]). — *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in eum* [10]). Huc pertinent quoque omnia loca, in quibus nobis amor Dei atque praemia sub una conditione sanctitatis promittuntur. — Verum ne opus quidem fuisset, haec omnia afferre testimonia, quum jam ipsa nobis divinitus facta revelatio, et ejusdem conservatio per Ecclesiam, in qua et per quam Christus Dominus salutem hominibus ipsius passione ac morte partam perficit, id ipsum quam clarissime ob oculos ponat.

B. Sanctitatem Dei porro infinitis fere elogiis celebrant SS. Patres, e quorum numero paucos laudasse sufficiat. Sic scri-

1) Ps. 5, 5—7. Cf. 14, 1 ss. 33, 12 ss. 44, 8. 17, 26 ss. 49, 16 ss.

2) Prov. 15, 9. Cf. 11, 20. Exod. 23, 7. Jos. 24, 19. Judith. 5, 21. Sap. 14, 9. Eccli. 12, 1 ss. 15, 20—22. Is. 1, 16 ss. 59, 2. Jer. 3, 12 ss. 7, 5 ss. Joël. 2, 12 ss. Zach. 1, 3 ss. Job. 31, 1 ss.

3) Hab. 1, 13.

4) Rom. 12, 2.

5) 1. Thess. 4, 3. Cf. Exod. 19, 6. Luc. 12, 4—5. 1. Cor. 3, 16—17. Ephes. 1, 4. 2, 10. 1. Tim. 2. 4. 1. Petr. 2, 9. 1, 14—16. 3, 8 ss.

6) Rom. 2, 14—15.

7) Hebr. 1, 1—2.

8) Lev. 20, 8. Cf. 21, 8. 22, 9. 32. Ezech. 20, 12. 2. Mach. 1, 23 s.

9) Joan. 1, 12. Cf. 17, 17.

10) Rom. 3, 22. Cf. 1. Cor. 6, 11. Ephes. 5, 25—27. 1. Thess. 5, 23. Tit. 3, 3—7. Hebr. 2, 11. 10, 14.

bit **Origenes:** *Scimus enim, illud „omnia"* (esse Deo possibilia) *non complecti ea, quae fieri posse repugnat et cogitari. Dicimus etiam Deum turpia non posse; alioqui Deus posset non esse Deus. Nam si quid turpe Deus facit, Deus non est* [1]. Quod alibi similitudine explicat. *Dicimus autem,* inquit, *nos, quemadmodum id, cujus natura dulcedine res aliae dulcescunt, illas non potest amaras facere, quod contra suam naturam esset; neque id potest obscurare, quod natum est ad illustrandum; ita nec Deum injuste facere posse. Haec enim potestas ejus divinitati contraria est, et illi omnipolentiae, quam ut Deus habet* [2]. — **Basilius:** *At neque malum a Deo generatum esse dicere fas est, propterea quod nullum contrarium a contrario gignatur. Neque enim vita mortem generat, neque tenebrae lucis principium sunt, neque morbus opifex est sanitatis* [3]. — **Gregorius Nyss.:** *Cum omnia autem possit Verbi electio, eam ad nihil mali habere propensionem: ad vitium enim propensio est aliena a divina natura, sed quidquid est bonum, hoc etiam velle. Potentem autem omnino etiam posse. Volentem autem non esse ejusmodi, ut non operetur, sed omne boni propositum deducit ad operationem* [4]. — **Dionysius Areop.:** *Haec itaque omnia (sanctitas, i. e. ab omni scelere libera, et omnino perfecta et omni ex parte immaculata puritas, dominatio, et deitas) de causa illa transcendentali absolute praedicanda sunt, addendumque, ipsam esse supraeminentem sanctitatem, atque dominationem, et regnum omnium supremum, simplicissimamque deitatem* [5]. — **Tertullianus:** *Bonus natura Deus solus. Qui enim quod est, sine initio habet, non institutione habet illud, sed natura* [6]. — **Ambrosius:** *Proprium ergo Dei est, ut bonus sit* [7]. — **Augustinus:** *Aliud dicit* (Catholica disciplina) *bonum, quod*

---

1) *Cont. Cels. l. 5. n. 23.* Opp. T. 1. p. 595. A.

2) *Cont. Cels. l. 3. n. 70.* Ib p. 494. A. Cf. *l. 5. n. 24.* p. 595 s. *Select. in Exod ad 15, 25.* T. 2. p. 124. E.

3) *Hom. 2. in Hexaëm. n. 4.* Opp. T. 1. p. 16. C.

4) *Or. cat. c. 1.* Opp. T. 3. p. 47.

5) *De div. nom. c. 12. §. 3.* coll. *§. 2.* Opp. T. 1. p. 866. Cf. *c. 2. §. 1.* p. 498 ss.

6) *Adv. Marcion. l. 2. c. 6.* Opp. V. 2. p. 184.

7) *Serm. 9. in Ps. 118. n. 15.* Opp. T. 1. c. 1083.

summe ac per se bonum est, et non participatione alicujus boni, sed propria natura, et essentia; aliud quod participando bonum et habendo; habet autem illo summo bono, ut bonum sit, in se tamen manente illo, nihilque amittente[1]). Et alibi: *Deus omnino peccare non potest, sicut negare seipsum non potest: homo autem potest peccare, et Deum negare; sed si nolit, non facit*[2]). — Atque Boëthius: *Deum rerum omnium principem, bonum esse, communis humanorum conceptio probat animorum. Nam cum Deo nil melius excogitari queat, id quo melius nihil est, bonum esse quis dubitet*[3])? Demum id ipsum

C. necessario postulat jam naturalis nostra ratio. Nam

a. cum Deus pro sua natura perfectissimus sit: non potest ipsi non competere quoque infinita sanctitas, quae omnem prorsus excludit nequitiam, ut infinitus calor nullam frigoris admittit particulam. Quemadmodum enim *τὸ εἶναι* repugnat *τῷ μὴ εἶναι*, et summe esse penitus a se rejicit non esse, sic Deus, cujus essentia est summum bonum esse, ne levissima quidem afflatur aura improbitatis aut peccati, quod non est nisi defectus, et non cadit nisi in entia ex nihilo facta ac mutationis capacia, minime autem in ens, quod prorsus mutari, et ideo etiam a natura sua, seu a se deficere nequit.

b. Porro qui hunc finem naturis ratione praeditis praefixit, ut virtutem tamquam summum bonum sectentur, et propterea animis earum legem moralem insculpsit, nec non libera voluntate eas instruxit: non potest non summe delectari unice eo, quod sanctum et moraliter perfectum est.

---

[1]) *De mor. Manich. l. 2. c. 4.* Opp. T. 1. c. 717 s. Cf. *De perfect. justit. hom. c. 14. n. 32.* T. 10. c. 182. *Serm. 29. c. 1. n. 1.* T. 5. c. 148 ss. *De spir. et litt. c. 31. n. 54.* T. 10. c. 116. B. *Enarr. ad Ps. 134. n. 3—4.* T. 4. c. 1493 s. n. 6. c. 1496. *De Trinit. l. 8. c. 3. n. 4.* T. 8. c. 867 s. *In Ps. 70. n. 6.* T. 4. c. 738. *In Ps. 117. n. 2.* c. 1272 s.

[2]) *Cont. Faust. l. 22. c. 22.* T. 8. c. 375. Cf. *De spir. et litt. c. 31. n. 54.* T. 10. c. 116. *De civ. D. l. 22. c. 25.* T. 7. c. 693. *l. 5. c. 9. n. 4.* c. 124. *Epist. 153. c. 2. n. 4. c. 5. n. 12.* T. 2. c. 525. 528.

[3]) *De consol. phil. l. 3. pros. 10.* p. 62. Cf. Clem. Alex. *Paedag. l. 1. c. 8.* Opp. T. 1. p. 265 s. — Cyrill. Alex. *Comm. in Joan. l. 5. c. 5.* Opp. T. 4. p. 530 s. Cf. *l. 1. c. 4.* p. 32. E. *De Trin. Dial. 1.* T. 5. P. 1. p. 393 ss. — Tit. Bostr. *Cont. Manich. l. 2. n. 5—6.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 5. p. 298. D. ss. — Didym. *De Spir. S. n. 6.* Ib. T. 6. p. 265 s.

Dei sanctissimam voluntatem autem absolute constantem ac immutabilem esse, ejusque affectiones minime variari posse, ex divina immutabilitate, nec non ex ipsa notione infinitae sanctitatis necessario consequitur, et in SS. Litteris variis testimoniis confirmatur. *Non est Deus,* ait Moyses, *quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur* [1]. — Psalmista: *Consilium Domini in aeternum manet: cogitationes cordis ejus in generatione et generationem* [2]. Et Apostolus: *Sine poenitentia sunt dona, et vocatio Dei* [3]. Nonnunquam quidem in SS. Litteris de poenitentia in Deo sermo est; ast hisce locutionibus nonnisi immutatam externam Dei erga homines mutatos agendi rationem exprimi, jam observatum est. Pro infinita sanctitate itaque Deus

a. amat semetipsum tamquam summum et infinitum Bonum, sibi clare ac comprehensive cognitum, amore infinito.

b. Amat omnes naturas creatas, utpote in se bonas, et perfectas perfectione essentiali, ac praecipue naturas rationales, ipsius imaginem referentes, et quidem quamlibet pro ratione boni, quod continet [4].

c. Mala naturae autem tantum eatenus positive vult, quatenus sunt propter bonum universi necessaria; atque quatenus iisdem nos propter peccata partim punimur, partim ad ordinem justitiae reducimur, aut vero in virtutis studio confirmamur ac proficimus [5].

d. Mala culpae tandem, seu peccata nullo prorsus modo positive vult, sed nonnisi permittit, ut creaturae rationali suam concedat libertatem [6]. Summa enim bonitas velle et amare non potest, quod nullam habet speciem boni, qualia sunt mala culpae sive peccata. Utitur tamen Deus his malis, quae non facit, ad bonum, quod facit.

Quidquid autem Deus amat extra se, amat propter semet-

---

1) Num. 23, 19. Cf. 1. Reg. 15, 29. Mal. 3, 6.

2) Ps. 32, 11.

3) Rom. 11, 29.

4) Sap. 11, 25. Matth. 6, 25—26. Luc. 12, 22—28. Cf. Matth. 16, 27. Act. 17, 31. Rom. 2, 6.

5) Cf. Amos. 3, 6. Is. 45, 7. Eccli. 11, 14. 39, 35. Augustin. *De Trinit. l. 3. c. 4. n. 9.* Opp. T. 8. c. 797.

6) Cf. Ps. 5, 5. Sap. 14, 9. Hab. 1, 13.

ipsum [1]), *in quantum* scilicet, ut ait Thomas, *condecet divinam bonitatem etiam alia ipsam participare* [2]).

Observ. 1. Loca, quae in SS. Litteris edisserere videntur, Deum peccatum velle aut praecipere [3]), vel vero in quibus cor hominum indurare dicitur [4]), nonnisi designant, Deum malum permittere, aut etiam gratiam suam ob hominis malitiam renitentem denegare [5]), vel de concursu Dei, quem generalem dicunt, ad malum poenae loquuntur [6]), vel vero tantum, quae futura sint, enuntiant [7]).

Observ. 2. Sanctitas divina, uti principium atque finis omnis religionis verae, ita et ejusdem summum est incitamentum. Etenim sanctitas Dei summa est ejus pulchritudo et decor ineffabilis ejus praestantissimae naturae, lux divinitatis intemerata, puritas et castimonia integerrimae voluntatis. Et hinc

a. nullum est post sapientiam infinitam Dei attributum, quod nos magis moveat ad reverentiam atque dilectionem Deo ex toto corde, et ex tota anima, et ex omnibus viribus exhibendam; nullumque

b. quod nos magis ad studium virtutis provocet. Nam Deo placere non possumus, nisi et ipsi pro viribus sanctitatem sectemur, diligentes justitiam, et odio habentes iniquitatem: *Deus enim charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* [8]); sed etiam effugere omnipotentis vindictam nequimus, *cui abominatio est via impii* [9]), *et qui odit omnes, qui operantur iniquitatem, et perdet omnes, qui loquuntur mendacium* [10]).

---

[1]) Cf. Prov. 16, 4. Ephes. 2, 7. 1. Joan. 3, 2. Augustin. *De doctr. Christ. l. 1. c. 31—32. n. 34—35.* T. 3. c. 15 s.

[2]) *1. q. 19. art. 1.* Opp. T. 20. p. 122. Cf. *art. 2.* p. 122 s.

[3]) Exod. 3, 22. 3. Reg. 22, 19—23. 2. Reg. 24, 1. 12, 11 s.

[4]) Exod. 4, 21. 9, 12. Jud. 9, 23. Is. 6, 9. 10. 29, 10. 63, 17. Matth. 6, 13. Rom. 1, 24. 26. 28. 9, 18. 2. Thess. 2, 10—13.

[5]) Ita Exod. 4, 21. 9, 12. 2. Reg. 12, 11 s. 24, 1. Is. 29, 10. 63, 17. Matth. 6, 13. Rom. 11, 24. 26. 28. 9, 18. 2. Thess. 2, 10—13. Coll. Exod. 7, 13. 22. 23. 8, 32. Deut. 10, 16. 1. Par. 24, 1. Jer. 5, 3. 9, 26. Ephes. 4, 18—19. Augustin. *Cont. Julian. l. 5. c. 3. n. 8.* T. 10. c. 631. *Coecitas cordis, quam solus removet Deus, et peccatum est, quo in Deum non creditur; et poena peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur; et causa peccati, cum mali aliquid coeci cordis errore committitur.* Cf. *Epist. 194. (105) ad Sixt. c. 3. n. 14.* T. 2. c. 719.

[6]) Sic 3. Reg. 22, 19—23. Jud. 9, 23.

[7]) Ita Exod. 3, 22. Is. 6, 9—10.

[8]) 1. Joan. 4, 16.

[9]) Prov. 15, 9.

[10]) Ps. 5, 7.

§. 24. 11. e. Veracissimus ac fidelissimus.

Ex sanctitate divina sequuntur, vel potius ad sanctitatem divinam pertinent summa Dei veracitas ac fides seu fidelitas; quarum illa nostrae fidei, haec vero spei fundamentum est, et ideo specialem mentionem merentur.

Sub veracitate, quae sinceritatem quoque includit, in Deo intelligimus perfectissimam consensionem eorum, quae Deus manifestat, cum ejus perfectissima intelligentia ac voluntate, seu illam absolutam perfectionem, qua, quaecumque Deus patefacit, cum ejus omniscia ac sapientissima cognitione, et cum ipsius sanctissimis consiliis omnimode conveniunt. Pro hoc itaque attributo Deus nil patefacit, nisi quod ipse verum cognoscit ac vult, adeoque quod sibi, rebusque extra se est convenientissimum, seu quod in se est verissimum. Per veracitatem a Deo omne mendacium ac falsum, omnisque illusio ac deceptio prorsus excluditur, atque omnia, tum quae docet ac praecipit, tum quae promittit ac minatur, absolute vera sunt.

Fidelitas autem in Deo est constans ac immutabilis ejus voluntas servandi promissa, seu est illud absolutum attributum, quo Deus, quidquid promisit aut minatus est, constanter ac exacte exequitur.

A. In SS. Litteris veracitatem Deo sequentia tribuunt loca: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit*[1]*?* — *Quia rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide,* i. e. quod Dominus dicit, verum est, et ipse in omnibus stat suis promissis[2]). In quo loco, quemadmodum in praecedenti, de fidelitate quoque Dei sermo est. — *Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum*[3]). — *Omnes viae* (leges) *suae veritas*[4]). — *Qui misit me,* ait Christus, *verax est*[5]). — Apo-

---

[1]) Num. 23, 19.
[2]) Ps. 32, 4.
[3]) Ps. 11, 7.
[4]) Ps. 118, 151.
[5]) Joan. 8, 26. Cf. 17, 17. 3, 33. 14, 6.

stolus: ***Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax*** [1]). — ***Quae (agnitio veritatis) secundum pietatem est in spem vitae aeternae*** (i. e. quae ad verum Dei cultum perducit, ex quo nobis speranda offertur vita aeterna), ***quam promisit, qui non mentitur Deus*** (ὁ ἀψευδὴς θεός) [2]). Et: ***Impossibile est mentiri Deo*** [3]). — Huc pertinent quoque loca omnia, quae adimpletionem vaticiniorum divinorum memoriae produnt.

Fidelitas autem Dei traditur praeter loca mox supra allata hisce divinis oraculis: ***Exsiccatum est foenum, et cecidit flos: verbum autem Domini nostri manet in aeternum*** [4]). — ***Ego Dominus, et non mutor*** [5]). — ***Fidelis est, qui vocavit vos, qui etiam faciet*** (praestabit promissa) [6]). — ***Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*** [7]). — ***Teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem, fidelis enim est, qui repromisit*** [8]). Id ipsum jurisjurandi formula: ***Vivo ego,*** qua Deus saepe sua dicta confirmat, jam significat. Utitur enim ea Deus, partim ut infirmitati nostrae se adcommodet, partim ut nos de propositi sui immutabilitate certiores efficiat, et spem, fiduciamque nostram augeat [9]); atque sensus ejusdem est: Quam certo exsisto ego, qui per me ac necessario exsisto, promissis meis stabo.

B. Idem, in acceptis revelationi divinae referens, semper tenuit ac docuit Ecclesia. Quod adeo certum est, ut singula SS. Patrum aut aliorum Traditionis divinae monumentorum testimonia afferre, superfluum fore censeamus [10]). Idque eo magis, quum

C. summa Dei veracitas ac summa ejus fides jam ex ejus infinita scientia ac sapientia, omnipotentia atque absoluta sancti-

---

1) Rom. 3, 4.

2) Tit. 1, 2.

3) Hebr. 6, 18. Cf. Exod. 34, 6. Ps. 118, 89. 90. 160. Rom. 15, 8. Apoc. 15, 3. 21, 5. 22, 6.

4) Is. 40, 8.

5) Mal. 3, 6.

6) 1. Thess. 5, 24.

7) 2. Tim. 2, 13.

8) Hebr. 10, 23. Cf. 3. Reg. 8, 56. Ps. 35, 6. 99, 5. 118, 89. Is. 10, 20. Rom. 3, 3. 1. Cor. 1, 9.

9) Hebr. 6, 18.

10) Cf. Herm. *Past. l. 2. mand. 3.* Coteler. *PP. apost.* Amstelod. 1724. V. 1. p. 86. — Origen. *Comm. in Gen. n. 7.* Opp. T. 2. p. 11. D. — Augustin. *De civ. D. l. 22. c. 25.* Opp. T. 7. c. 693. Etc.

tate necessario conficiatur. Nam si Deus tamquam omniscius ac sapientissimus verum quam adcuratissime cognoscit, et tamquam sanctissimus quam maxime verum dicere amat: certo quoque nunquam non nisi verum dicit ac manifestat. Insuper ipse fons ac principium omnis cognitionis veri in naturis creatis est, uti sol origo omnis luminis; et hinc ipsa absoluta veritas sit necesse est.

Porro si Deus ut omnipotens omnia, quaecumque promisit, aut comminatus est, effectu complere potest, atque ut infinite sanctus etiam complere vult: necessario ea adimplet ac exequitur, seu fidelis in suis promissis ac comminationibus est.

Observ. 1. Mendacium Jacobi, quo, matre suadente, benedictionem loco fratris sibi conciliavit[1]), et quae sunt similia, veracitati divinae haud obesse, per se intelligitur; quum Deus illa neque imperasse, neque tamquam recte facta approbasse dicatur; atque nonnisi ostendunt, Deum naevos hominum, quibus sua sapientissima consilia haud evertuntur, minime impedire, atque iisdem ad fines suos consequendos uti. Neque illud, quod Deus Abrahamum jusserit filium suum immolare, immolationem autem deinde haud concesserit, ejus veracitati adversatur. Postulaverat enim solummodo Deus ab Abrahamo, ut animum paratum filium unicum sibi sacrificandi palam ostenderet; unde antequam id praestitisset, Deus pro suo absoluto in vitam nostram dominio immolationem petiit; postquam autem animum promtum declaraverat, eamdem renuit.

Observ. 2. Ergo verax ac fidelis est Deus, ergo vera sunt ejus eloquia, firma ac inconcussa ejus promissa. Coelum et terra transibunt, verba autem ejus non praeteribunt.

Quapropter

a. firmiter veritati revelatae adhaereamus, atque omnem spem, quae *non confundit*[2]), in Deo collocemus; sed et minas Ipsius timeamus, scientes, *quoniam Deus non irridetur*[3]). Simul autem

b. Deum imitantes loquamur *veritatem unusquisque cum proximo suo*[4]), atque ab omni mendacio, simulatione, amphibolia et perfidia abstineamus. *Vae enim duplici corde, et scelestis labiis, — et peccatori terram ingredienti duabus viis*[5]).

---

1) Gen. 27, 1 ss.

2) Rom. 5, 5.

3) Gal. 6, 7. Cf. Rom. 2, 3.

4) Ephes. 4, 25.

5) Eccli. 2, 14. Cf. Ps. 14, 2—3. Is. 33, 15—16. Zach. 8, 16. 19. Prov. 12, 19. Matth. 5, 37.

§. 25. 12. f. Justissimus.

Cum sanctitate arctissime porro conjungitur, et ex illa necessario procedit infinita Dei justitia.

Accipitur autem hic loci vocabulum justitiae nequaquam sensu latiori, pro justitia videlicet universali seu absoluta, qua Deus in se justus est, et quae nihil aliud est nisi complexio omnium virtutum, atque a sanctitate haud distinguitur; sed sumitur sensu strictiori pro parte justitiae universalis, seu pro justitia relativa, qua Deus in ordine ad alios justus est, quaque naturis ratione praeditis sortem condignam attribuit.

Hinc justitia divina illa est perfectio absoluta, qua Deus bonis sortem bonam et malis sortem malam, et quidem utramque aequissima ratione distribuit, seu, quoniam amoena sors, quae cum probe factis jungitur, praemium, damnum vero, quod malefactis nectitur, poena dicitur, qua cuique praemium aut debitam poenam pro ejus merito rependit.

Justitia divina ergo, ab omni partium studio alienissima, non ad speciem externam judicat, sed totum entis rationalis pretium ad normam *ἰσονομίας* seu aequilibritatis perfectissimae adcommodate ponderat, et sortem illi congruentem, sive praemium sive poenam, assignat.

Quando justitia pro bene factis praemia decernit, remuneratoria, quando vero poenas pro sceleribus commissis confert, punitiva seu vindex aut ultrix adpellatur.

Justitiam in Deo, saltem vindicativam, inficiati sunt inter antiquos haereticos Marcionitae, tamquam Deo iniquam, quae cum ejus infinita bonitate conciliari nequeat [1]). Inter recentiores vero pariter eamdem impugnant Sociniani [2]) atque Arminiani [3]), quibuscum Naturalistae seu Deistae omnes faciunt, qui, ut dogma de satisfactione Christi convellant, docent, nullum esse in Deo attributum, quo ipse satisfactionem necessario pro peccatis exigat; si peccatum punit, hoc, ajunt, esse liberrimum ejus effectum, a quo possit quoque abstinere.

Verum utramque in Deo dari justitiam, tam remuneratoriam quam vindicem,

---

1) Cf. Tertullian. *Adv. Marcion. l. 2. c. 11—12.* Opp. V. 2. p. 190 s.

2) Cf. Socin. *Praelect. c. 16.*

3) Cf. Limborch. *Instit. Christ. l. 2. c. 12.*

A. docent clarissime SS. Litterae innumeris locis. Sic jam Abrahamus Deum his verbis alloquitur: *Absit a te, ut rem hanc facias, et occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius, non est hoc tuum: qui judicas omnem terram,* i. e. qui judex es sanctissimus omnis orbis [1]). In libro Job vero legitur: *Absit a Deo impietas, et ab omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis* [2]). In Psalmis: *Paravit in judicio thronum suum: et ipse judicabit orbem terrae in aequitate, judicabit populos in justitia* [3]). — *Justus es Domine: et rectum judicium tuum* [4]). — In Proverbiis: *Qui inspector est cordis, ipse intelligit, et servatorem animae tuae nihil fallit, reddetque homini* (tibi) *juxta opera tua* [5]). Apud Jeremiam: *Tu autem Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes, et corda, videam ultionem tuam ex eis* [6]). — Id ipsum tradit Scriptura N. T. Nam pari modo hic non tantum Deus *justus,* vel *judex justus* simpliciter in sensu absolute justi adpellatur [7]), sed et definite docetur, Deum, et quidem per Jesum Christum, Filium suum, mundum judicaturum, et cuique secundum ejus opera retributurum esse, ita ut quivis mercedem reportet eorum, quae corpore indutus sive recte sive male egerit. *Filius hominis,* ait Christus, *venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera ejus* [8]). — Paulus vero: *Secundum duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei* (colligis tibi poenam, eo tempore tibi referendam, quo justum Dei judicium manifestum reddetur). *Qui reddet unicuique secundum opera ejus* [9]). — *Tribulatio, et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judaei primum, et Graeci: gloria autem, et honor, et pax omni operanti*

---

1) Gen. 18, 25.

2) Job. 34, 10—11.

3) Ps. 9, 8.

4) Ps. 118, 137. Cf. 17, 25. 37, 1 ss. 47, 11. 73, 7 s. 35, 7. 128, 4. Tob. 3, 2.

5) Prov. 24, 12. Cf. Eccles. 12, 14. Sap. 12, 15.

6) Jer. 11, 20. Cf. Dan. 9, 14.

7) Joan. 17, 25. Apoc. 16, 5—8.

8) Matth. 16, 27. Cf. 5, 12. 6, 29 s. 11, 22—24. 25, 31—46. Luc. 12, 47—48. 19, 16—26. Joan. 5, 22. 27. 30.

9) Rom. 2, 5—6. Cf. 1, 18. 3, 5—6.

bonum, Judaeo primum, et Graeco: non enim est acceptio personarum apud Deum[1]). — *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit,* i. e. quae corpore indutus egit, *sive bonum, sive malum*[2]).— *Quae seminaverit homo, haec et metet. Quoniam qui seminat in carne sua* (seu carni suae, i. e. opera sua facit in obsequium carnalis concupiscentiae suae), *de carne sua metet corruptionem* (miseriam et interitum): *qui autem seminat in spiritu* (spiritualia operatur), *de spiritu metet vitam aeternam*[3]). Atque: *Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*[4]). — Accedunt facta illa, quibus Deus justitiam suam, tam vindicem quam remuneratoriam, modo extraordinario manifestare voluit. Sufficiat hic meminisse primorum parentum[5]), diluvii universalis[6]), excidii Sodomorum et Gomorrhae[7]), historiae populi Israëlitici[8]), et inprimis acerbissimae passionis ac mortis Christi, Dei-hominis. Unde enim tanta Dei in unigenitum Filium severitas, tantus rigor nisi ex necessitate justitiae, quae plenam ab eo satisfactionem exigebat pro peccatis, non quidem suis, sed nostris, pro quibus vadem ac sponsorem se exhibuit?

Porro diserte quoque in S. Scriptura nominatim traditur, Deum, quum justitiam exerceat, personam haud respicere, *non enim est*, ut ait Apostolus, *personarum acceptio apud Deum*[9]); *qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus*[10]); ne minima quidem opera, sive bona sive mala, sine mercede vel poena sinere, ita ut *quicumque dederit uni ex minimis istis*

1) Rom. 2, 9—11.

2) 2. Cor. 5, 10.

3) Gal. 6, 8.

4) 2. Cor. 9, 6. Cf. Act. 17, 31. Ephes. 6, 8. 1. Thess. 4, 6. 2. Thess. 1, 4 ss. 2. Tim. 4, 8. Hebr. 6, 10. 10, 30 s. 12, 23. 1. Joan. 4, 17.

5) Gen. 2, 17. 3, 14—19.

6) Gen. 6, 6—7, 24.

7) Gen. 18, 20—19, 26.

8) Cf. Deut. 28, 1 ss.

9) Col. 3, 25. Cf. Gal. 2, 6.

10) 1. Petr. 1, 17. Cf. Deut. 10, 17—18. Eccli. 35, 16. Sap. 6, 8. 2. Par. 19, 17.

(discipulis Domini) *calicem aquae frigidae, non perdat mercedem suam*[1]), verum etiam de omni verbo otioso *reddant rationem in die judicii*[2]); et hanc utramque secundum internum operum nostrorum pretium, quod a fine et intentione inprimis pendeat, assignare; quapropter nos admonet Apostolus: *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique a Deo*[3]).

B. Idem Ecclesia semper docuit ac tenuit, ut jam ex dogmate judicii tam particularis quam universalis colligitur; quod posterius in omnibus Symbolis expressum conspicitur. *Inde venturus est judicare vivos et mortuos*, habet Symbolum Apostolicum et Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum. Athanasianum autem: *Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem, et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum.* SS. Patres vero non tantum doctrinam Ecclesiae de justitia divina in scriptis suis proponunt, sed et contra Marcionitas statuentes, ultricem Dei justitiam cum ejus bonitate ac misericordia componi ac conciliari non posse, utramque inter se mire consentire, atque in ipsa etiam punitione Dei bonitatem commendari, ostendunt[4]).

C. Nec non id ipsum per rationem naturalem tam ex sanctitate Dei atque ejus sapientia, quam ex morali nostra conscientia colligere licet. Nam

a. Deus tamquam infinite sanctus omne bonum etiam in creaturis summe diligere, atque omnem iniquitatem summo odio habere debet; et ideo ipse probitati et vitiositati eamdem sortem impertiri, aut felicitatem et miseriam sine ullo respectu ad moralem singulorum entium rationalium dignitatem distribuere nullo

---

1) Matth. 10, 42.

2) Matth. 12, 36.

3) 1. Cor. 4, 5.

4) Cf. Tertullian. *Adv. Marcion. l. 2. c. 13.* Opp. V. 2. p. 192 s. — Origen. *De princ. l. 2. c. 5.* Opp. T. 1. p. 86 ss. — Chrysostom. *Hom. 3. in Epist. ad Philem. n. 3.* Opp. T. 11. p. 789 s. *Hom. 26. in Ep. ad Rom. n. 6.* T. 9. p. 710. A. E. s. — Augustin. *De lib. arbitr. l. 3. c. 15. n. 42—44.* T. 1. c. 627 s.

modo potest; sed ordinem moralem statuere ipsum oportet, ita ut justitiae aliquando, finita scilicet nostra probatione, felicitas, eaque illius gradui respondens obtingat, peccatum autem poena, et quidem pariter ejus vitiositati conveniens maneat. Porro Deus qua sapientissimus legem moralem, quam nobis, naturis ad virtutem ac felicitatem destinatis, tulit, ut illa auctoritate necessaria polleat, promissione praemii et comminatione poenae necessario sancire, qua fidelissimus autem iis, quae promisit ac minatus est, exitum dare debet. Tum

b. conscientia nostra absolute enuntiat, studium honesti praemio dignum esse, atque peccatum poenam mereri. Hinc ille timor, quo quisque inter peccandum ultricem cujusdam Numinis manum pertimescit, atque coeca illa verbera, quibus peccator torquetur post admissum scelus, etiam latens et incognitum, ita ut nemo improbus in hac vita vera beatitate fruatur; siquidem malefactorum conscientia, cum moerore ac poenitentia saepissime conjuncta, ubique eum persequitur, et illius bona splendidissima haud raro contaminat et perdit. Unde autem hoc, nisi ex intima ac firma persuasione ultricis Dei justitiae? Quin imo jam eo, quoniam bonos bene, et malos male afficit conscientia, a Deo nobis indita, ut ejus vices gerat, ipsum legis moralis arbitrum ac vindicem arguit.

Observ. 1. Praeter justitiam hanc distributivam adhuc de justitia legislatoria in Deo loquuntur, qua ipse creaturis rationalibus leges convenientes, atque omnibus easdem fert. Attamen justitia haec aperte nil aliud est, quam sanctissima Dei voluntas ad entia rationalia relata; quapropter specialem ejus mentionem injicere, haud necessarium esse duximus.

Observ. 2. Justitiam commutativam inter Deum et hominem non dari, manifestum est. Cum enim justitia commutativa, qua unum pro alio redditur, in aequalitate rei datae et acceptae sita sit, homoque nihil proprium habeat, quod Deo dare possit; siquidem quaecumque bona sunt nostra opera, ut docet Augustinus[1]), abs Deo nobis sunt, et ideo ejus magis quam nostra sunt: consequens est, inter Deum et hominem dari non posse justitiam illam. Quin imo, si stricte loqui velimus, etiam justitia distributiva, quatenus ad praemia elargienda refertur, in Deo assumi haud

---

[1]) *In Ps. 137. n. 17.* Opp. T. 4. c. 1533. Cf. Rom. 11, 35. — Conc. Trident. *Sess. 6. c. 16.* — S. Thom. *1. q. 21. art. 1.* Opp. T. 20. p. 137.

potest, eo nimirum sensu, ac si homo, in se consideratus, jus absolutum ad praemium habeat, et Deus ex rigore justitiae ipsi illud reddere teneatur. Nam licet nos absolute obstringamur ad poenas peccatorum nostrorum luendas; quoniam tamen omne creaturae meritum ab aliquo gratuito Dei dono initium sumit, et Deus naturis creatis nullam rem debet; atque cum universim ejusmodi jus ad praemium ex solo opere derivari haud queat: praemia a Deo proprie nonnisi eatenus exspectare possumus, quatenus pro sua infinita benignitate nos ad felicitatem condere, et hanc nobis per revelationem promittere voluit; ita ut causa proxima praemiorum sperandorum sit quidem justitia propter factum promissum, remota autem ac propria infinita Dei benignitas.

Observ. 3. Discrepantia inter moralem dignitatem atque sortem externam, quae non raro his in terris deprehenditur, justitiae divinae minime adversari, non difficulter intelligitur. Etenim status vitae praesentis status probationis est, in quo minime nostro consummato bono fruamur, sed ad illud tendamus et praeparemur; et ideo Deus in hacce vita, salvâ suâ justitiâ, tam bonis ad exercitationem virtutis et abstergendas humanae virtutis maculas immittere molestias, quam malos patienter ferre, et peccata quasi dissimulare propter poenitentiam, aut vero, ut bona, quae in eis reperit, non sine praemio relinquat, iis bona terrena quaedam et caduca impertiri potest, quos in altera vita justitiae severitatem praevidet experturos.

Observ. 4. Eo, quod Deus infinite justus est, quam maxime excitamur ad peccata vitanda, ne iram Dei adversus nos provocemus, *horrendum* enim *est, incidere in manus Dei viventis*[1]), atque ad virtutem sectandam, et inprimis ad afflictiones et oppressiones injustas patienter perferendas, *ut digni habeamur in regno Dei, pro quo et patiamur; si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui tribulant, et nobis, qui tribulamur, requiem*[2]). Quoniam tamen justitia divina manifestabitur in die judicii, et mala, quibus his in terris premimur, licet quoad genus humanum, et etiam nonnunquam quoad singulos poenae divinae sint[3]), non tamen semper[4]): ex sorte sinistra neminem iniquitatis insimulemus, sed potius ab omni petulanti judicio abstineamus[5]); *Domini enim est ultio, et ipse retribuet in tempore*[6]).

1) Hebr. 10, 31. Cf. 12, 29. Deut. 4, 24. 32, 35. Ps. 93, 1. 7, 13 s. 2, 12—13. 109, 5—6.

2) 2. Thess. 1, 6—7.

3) Cf. Luc. 15, 15 s. 19, 41 ss. Joan. 5, 14.

4) Cf. Luc. 13, 1 ss. Joan. 9, 1 ss. 1. Cor. 4, 9 ss. Hebr. 12, 6.

5) Deut. 32, 45. Jer. 50, 15.

6) Cf. Matth. 7, 1. Luc. 6, 36. Rom. 2, 1 ss. 1. Cor. 4,5.

§. 26. 13. Quoad statum internum Deus est: a. Sibi sufficientissimus.

Ex attributis, quae Deo inesse hucusque ostendimus, sponte sua alia adhuc necessario consequuntur, ejusque quasi statum internum conficiunt. Etenim quum Deus omnes perfectiones sine limite ac fine in se contineat, atque omnes res creatae, quidquid perfectionis habent, ejus participatione seu communicatione habeant; et ideo ipse sit bonitas ipsa et fons bonorum omnium, seu Bonum summum, Bonum ipsum: Deus sibi sufficientissimus, summa majestate conspicuus ac supremus rerum omnium Dominus, et beatissimus sit necesse est.

Deum sibi esse sufficientissimum ac nulla prorsus re extra se indigere, docent

A. disertis verbis SS. Litterae, quae tradunt, statui divino neque per probe neque per male facta quidquam posse addi vel derogari. *Si peccaveris,* ait auctor libri Job, *quid ei nocebis? et si multiplicatae fuerint iniquitates tuae, quid facies contra eum? Porro, si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet*[1])? Et Apostolus definite scribit: *Nec indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia*[2]).

B. Eadem est quoque SS. Patrum seu Ecclesiae doctrina. Nam ubique, ut vidimus supra, tradunt, Deum perfectissimum, et quidem per se ac necessario, quo nihil melius excogitari possit, seu, ut ait Boëthius, *summi perfectique boni esse plenissimum*[3]), atque minime necessitate adactum, sed sola bonitate ductum mundum hunc condidisse ac conservare, non ut rebus fruatur, sed tantum utatur, id est, non ut inde aliquod emolumentum aut aliquid felicitatis percipiat, sed potius, ut cum illis suam perfectionem ac beatitudinem participet. *Quomodo ergo,* ait Augustinus, *diligit? Ut nobis utatur, an ut fruatur? Sed si fruitur, eget bono nostro, quod nemo sanus dixerit. Omne enim bonum nostrum vel ipse, vel ab ipso est. Cui autem obscurum vel dubium est, non egere lucem rerum harum*

[1]) Job. 35, 6.

[2]) Act. 17, 25.

[3]) *De consol. philos. l. 3. pros. 10.* p. 62.

nilore, quas ipsa illustraverit? — *Non ergo fruitur nobis, sed utitur*[1]. Similia habent reliqui[2]; quorum omnium loco solus adhuc audiatur Joannes Damascenus, qui scribit: *Increatum, et sine principio, et immortale, infinitum, aeternum, materia vacans, bonum, ὀpifex, justum, illuminans, immutabile, impatibile, incircumscriptum, incomprehensum, indefinitum, incorporeum, non limitatum, invisibile, cogitatu majus, nullius egens, merum jus sui et liberum arbitrium, omnium dominans; vivificans, omnipotens, infinitae potentiae, sanctificare* (τὸ ἁγιαστικὸν), *ac communicatu esse* (μεταδοτικὸν, zum Mittheilen geneigt), *omnia continere ac conservare, omnibusque providere. Haec omnia similia suapte natura habet, non aliunde sumta; sed ipsa rebus a se conditis pro cujusque capacitate bonum omne impertit*[3].

C. Ast nec opus est hisce testimoniis, quum idem ex infinita Dei perfectione per ipsam rationem necessario colligatur. Nam cum Deus tamquam ens infinite perfectum ac summum bonum omnia, quaecunque esse possunt, bona, eaque in infinito gradu possideat, et omnia alia bona finita nonnisi per ipsum sint: ipse nulla prorsus re indiget, neque ulla indigere potest.

§. 27. 14. b. Summa majestate conspicuus, atque rerum omnium Dominus.

Simili modo docent SS. Litterae, summam Deo ob infinitam ejus perfectionem competere dignitatem, seu summam ei esse majestatem ac gloriam. Ad hanc enim mente agnoscendam, atque verbo ac opere profitendam ubique nos admonent et excitant. *Afferte Domino gloriam*, clamat Psalmista, *et honorem, afferte gloriam nomini ejus.* — *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit*[4]. Atque Apostolus scribit: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*[5]. Quin imo

[1]) *De doctr. Christ. l. 1. c. 31. n. 34.* Opp. T. 3. P. 1. c. 15 s.

[2]) Cf. Tertullian. *Adv. Marcion. l. 2. c. 16.* Opp. V. 2. p. 195. — Tatian. *Cont. Graec. n. 4.* Opp. Justin. p. 260. — Athenag. *Legat. pro Christian. n. 16.* Ib. p. 310. C. Et al. s. cc.

[3]) *De fid. orthod. l. 1. c. ult.* Opp. T. 1. p. 152. Cf. *l. 1. c. 8.* p. 131 s.

[4]) Ps. 28, 2—3. Cf. Ps. 148, 149, 150, Is. 6, 1 ss. Ezech. 1, 3 ss. Dan. 3, 24 ss. 7, 9 s. Habac. 3, 1 ss.

[5]) 1. Cor. 10, 31. Cf. Col. 3, 17.

tota oeconomia tum A. tum N. T. huc tendit, ut majestas Dei ab hominibus agnoscatur, atque gloria ejus externa in terris promoveatur.

Nec non porro SS. Litterae Deo supremum ac illimitatum dominium in res creatas, seu perfectissimam facultatem de iisdem disponendi, ac earum actiones ad certos fines dirigendi attribuunt. Appellatur enim ipse in S. Scriptura *Deus deorum, et Dominus dominantium* [1]), *Dominus saeculi* [2]), *Dominus κατ' ἐξοχήν* [3]), *Rex magnus* [4]), *Rex regum* [5]), *Rex saeculorum* [6]); coelum autem et terra, eorumque plenitudo sunt ex doctrina ejusdem opus Dei, ejusque peculium [7]). Atque Paulus diserte scribit: *Deus, qui fecit mundum, et omnia, quae in eo sunt, hic coeli et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia* [8]). Et iterum: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam* [9])? Sensus est, Deo perfectissimum jus ac dominium in homines, et ideo etiam in res caeteras omnes competere; quum omnia ab ipso ex nihilo facta sint, ita ut nullum exsistat ens, cui rationem reddere teneatur, cur has potius res produxerit quam alias, atque liberrima ejus voluntate constitutum esse hunc rerum ordinem, ita ut nemini integrum sit, alium potius quam hunc requirere.

Et sane quis denegare aut non agnoscere posset summam Dei majestatem? quum ipse sit perfectissimus, immutabilis, aeternus, immensus, omniscius, sapientissimus, omnipotens, benignissimus ac sanctissimus; et quum cum hac infinita perfectione ejus infinita quoque dignitas seu majestas necessario conjuncta sit, ut ab illa avelli aut separari prorsus nequeat. Quis porro

1) Deut. 10, 17.
2) Sap. 13, 9.
3) Tob. 13, 10. Mal. 1, 6.
4) Ps. 94, 3. Matth. 5, 35.
5) 2. Machab. 13, 4. 1. Tim. 6, 15. Apoc. 19, 16.
6) Tob. 13, 6. 1. Tim. 1, 17. Cf. Ps. 65, 7.
7) Act. 17, 24—25.
8) Rom. 9, 20—21.
9) Rom. 9, 20—21.

posset supremum Dei in res dominium haud admittere? quum Deus, isque solus ac unicus sit necessarius, omnes autem res aliae, quaecunque extra Deum exsistunt, contingentes sint, quae nonnisi ejus voluntate exsistunt, nonnisi ejus vitae participatione vivunt, atque ab illo prorsus pendent, ita ut ipse plenam ac absolutam potestatem de iis disponendi necessario possideat ac habeat.

Observ. 1. Summa Dei dignitas seu majestas, quatenus in operibus divinis comparet, et praecipue quatenus a naturis intelligentibus agnoscitur ac colitur, dicitur gloria divina, eaque externa, in cujus oppositione deinde divina majestas etiam gloria Dei interna adpellatur. Quo sensu ait Propheta: *Plena est omnis terra gloria ejus* [1]). Et Psalmista: *Et benedictum nomen majestatis ejus in aeternum:et replebitur majestate* (gloria) *ejus omnis terra: fiat, fiat* [2]).

Observ. 2. Quod si autem Deus summa majestate est conspicuus, supremusque rerum omnium Dominus:

a. summam ei exhibeamus reverentiam, pudeatque nos, quum alia non aestimentur ac amentur, nisi quia bona sunt, non revereri ac amare ipsum summum Bonum, unde bona sunt; atque

b. nos ipsi humillime subjiciamus, eidemque semper ad obediendum intenti simus, et in nullius hominis gratiam faciamus, quod Deus vetat, aut omittamus, quod Deus praecipit, monente Apostolo: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* [3]).

§. 28. 15. c. Beatissimus.

Tandem quoniam infinite perfectus, etiam infinite beatus Deus est.

Intelligitur autem sub beatitudine in Deo ea absoluta ejus conditio, qua ipse se tamquam summum Bonum, seu perfectissimum per se absolute ac perfectissime cognoscit, sibique summe ac necessario complacet et acquiescit.

Deum beatissimum esse, nemo haereticorum unquam negavit aut in dubium vocavit, sed omnes omnino, quicumque Christiano censebantur nomine, prouti et Judaei antea, per revelationem divinam edocti, professi sunt. Etenim infinitam Dei beatitudinem

A. docent clarissime SS. Litterae. Sic Apostolus Deum

1) Is. 6, 3. Cf. Exod. 24, 16—17.

2) Ps. 71, 19.

3) Act. 5, 29.

vocat beatum κατ' ἐξοχὴν [1]), τὸν μακάριον, i. e. solum vere ac necessario beatum, qui sit ipsa beatitudo, omnisque beatitatis largitor. Atque iterum scribit: *Beatus, ὁ μακάριος, et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem* [2]).

B. Haec est quoque unanimis doctrina SS. Patrum, quorum testimonia tamen hic in medium proferre superfluum foret. Unicus sufficiat ex graecis Gregorius Nyss., et ex latinis Augustinus. Hic ait: *Neque beatae vitae vocabulum ita contrahimus ad quasdam significationis angustias, ut solum Deum dicamus beatum: qui tamen ita vere beatus est, ut major beatitudo esse non possit: in cujus comparatione, quod Angeli beati sunt, sua quadam summa beatitudine, quanta in Angelis esse potest, quid aut quantum est* [3])? Prior autem scribit: *Quod vere beatum habendum sit, ipsum divinum Numen est. Nam quicquid id tandem esse ponamus: beatitudo est illa immortalis et incorrupta vita, ineffabile pariter et inanimadversibile atque inexcogitabile bonum, inenarrabilis inexplicabilisque pulchritudo, a se ipsa profecta, a se ipsa data, et gratia, et sapientia, et potentia: vera lux: fons omnis bonitatis: rebus universis praesidens ac superimposita potestas: sola amabilis, semper eodem modo sese habens, perpetua exultatio: sempiterna laetitia: de qua si quis dicat omnia, quae possit, nihil dicit eorum, quae rei dignitas postulat ac requirit* [4]).

C. Sed et ratio id ipsum necessario statuit. Etenim Deus tamquam ens perfectissimum ac necessarium vi intellectus infiniti, omnia perfectissime cognoscit, atque vi voluntatis infinitae omnia perfectissime vult, et sine ullo prorsus impedimento perficit, idque omne per se et a se, ita ut nulla omnino ab ipso perfectio absit, sed omnia prorsus bona in illo tamquam fonte suo reperiantur, nullusque metus aliquid eorum amittendi, nullaque efficientiae impeditio adsit, et ideo ipse vera et absoluta vita sit. Hujusce autem status ornatissimi non potest non Deus esse sibi perfectissime simul conscius, atque hinc etiam non potest non in se quam maxime acquiescere, sibique placere.

---

1) 1. Tim. 1, 11.
2) 1. Tim. 6, 15—16.
3) *De civ. D. l. 11. c. 11.* Opp. T. 7. 281 s.
4) *De beatit. Or. 1.* Opp. ed. Par. 1638. T. 1. p. 764.

Observ. 1. Quomodo loca illa S. Scripturae, in quibus Deo poenitentia, ira, et aliae ejusmodi affectiones attribuuntur, quae solummodo relationem ipsius ad ejus opera, et nominatim ad entia intelligentia, vel potius horum ad ipsum exprimunt, interpretanda sint, jam dictum est. Non turbari autem Deum eo, quod multi hominum voluntatem divinam haud adimpleant, per se intelligitur. Nam in iis, quae ad salutem nostram pertinent, Deus nil vult, quod homo non vult, ita ut, quemadmodum pariter observatum est, voluntate sua vera et propria nunquam frustretur.

Observ. 2. Deus vere beatus, quia vere perfectus est. Quapropter felicitatem nostram non in fluxis bonis terrestribus, sed in cognitione vera atque vita sancta, et per hancce cum Deo unione quaeramus; fugiamusque quae nos a Deo, qui sine fine beatus etiam nostra beatitudo est, abducunt, nostramque cum Domino gloriae conjunctionem impediunt. Quo magis terrenis voluptatibus renuntiamus, corque nostrum evacuamus, eo magis voluptatibus vere coelestibus jam hisce in terris affluit. *Quid enim mihi est in coelo? et a te* (separatus) *quid volui super terram? Defecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in aeternum* [1].

[1]) Ps. 72, 25—26.

SECTIO III.

De vita Dei absoluta, seu de Deo triuno.

§. 29. Transitio.

Quemadmodum Deus quoad exsistentiam suam absolute necessarius, et ideo infinite est perfectus: ita quoque quoad τὸ πνευματικὸν seu vitam suam, h. e. quoad cognitionem et voluntatem, βούλησιν, pariter absoluta necessitate ac infinita perfectione praeditus sit necesse est. Prout ergo Deus perfectissimam, per se subsistentem, suique consciam exsistentiam, sic etiam intelligentiam, nec non dilectionem infinite perfectam, per se subsistentem, cum sui conscientia conjunctam possidet, seu tum quoad exsistentiam, tum quoad intelligentiam, tum quoad voluntatem αὐτεξούσιος, per se exsistens seu subsistens, atque ideo sui necessario conscius est.

Licet itaque, ut vidimus, unus nonnisi sit Deus, unica nonnisi sit divina natura ac substantia: haec tamen una, eademque natura et substantia in tribus suppositis seu personis subsistit, indivisis quidem, attamen a se realiter distinctis. Adpellatur doctrina haec, quae Deum triunum esse statuit, seu tres esse divinas personas unius, ejusdemque non specie, sed numero substantiae divinae, mysterium SS. Trinitatis; quum illam soli revelationi in acceptis referamus, ratioque naturalis per se ipsam nunquam ad ejus cognitionem pervenisset, licet in eam, postquam per revelationem divinam nobis innotuit, adcuratius inquirere et ejus profunda quasi scrutari queat, quod et nunquam non tentavit. Unde et nos, quemadmodum disciplinam nostram alioquin decet, ut ubique, ita etiam hic, mysterium nostrum prae omnibus e fontibus revelationis propriis probabimus, et deinde principaliora tentamina illud explicandi et per se ipsum, h. e. ex idea Dei demonstrandi adjiciemus.

§. 30. Momentum doctrinae.

Doctrina, quam modo tractaturi sumus, gravissimi est ponderis, quin imo primum ac summum religionis Christianae caput [1]). Etenim

[1]) Cf. Athanas. *Or. 1. cont. Arian. n. 18.* Opp. T. 1. P. 1. p. 422. E.

1. attinet ipsa, ut praecedens, ad Deum ipsum, summum Bonum, atque ejus inscrutabilem naturam nobis adcuratius ob oculos ponit, et quis Deus triunus sit, cui nomen in Baptismo dedimus, obsequiumque spopondimus, exponit.

2. Doctrinae huic doctrina de nostra redemtione, justificatione ac aeterna salute superstruitur, ita ut hoc uno fundamento stet structura catholicae religionis, et a Judaeorum et Gentilium religione utrimque disjungatur, sitque uti fidei, ita et virtutis ac solatii principium. Quapropter et S. Augustinus, de mysterio SS. Trinitatis scribens: *Nec periculosius*, ait, *alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur* [1]). Hinc autem

3. doctrina illa quoque infensissimos quovis tempore nacta est adversarios, ita ut nullum aliud unquam dogma tam forti, tamque repetito impetu impugnatum, atque ex omni parte exploratum, tentatumque fuerit. Sciebant enim omnes, quibus religio Christiana exosa erat, negato illo mysterio, religionis Christianae fundamentum subverti. Unde quo majori conatu ac industria dogma nostrum ab adversariis oppugnatur, eo impensius nobis defendendum est.

§. 31. Conspectus.

Cum mysterium SS. Trinitatis in eo consistat, quod nihil plane perfectionis naturalis in uno trium, Patre, Filio aut Spiritu S. adsit, quod non et in duobus aliis reperiatur, sed Pater, Filius et Spiritus S. una, eademque aeterna ac immensa natura sint, et ideo consubstantiales sensu quam maxime proprio, idcirco tamen Pater non sit Filius, nec Pater aut Filius sit Spiritus S., sed Pater et Filius et Spiritus S. sint personae a se invicem realiter distinctae; idque eatenus, quatenus una ab altera accipiat originem, seu una ab altera procedat, videlicet Pater aeternus ab ipsa aeternitate generet Filium, Deum eumdem verum de se vero Deo, Pater item et Filius, tamquam unum principium, ab omni aeternitate emittant (ἐκπέμπωσιν) seu spirent Spiritum S., Deum iterum eumdem aeternum de se Deo aeterno, ita ut generatio Filii et processio Spiritus S. prorsus eadem ratione sint divinitatis propriae ac ipsa divinitas: tractatus praesens commode in tres dispesci potest titulos; quorum

1. ostendit, Patrem et Filium et Spiritum S. esse unum, eumdemque Deum, seu sibi consubstantiales.

[1]) *De Trinit. l. 1. c. 3. n. 5.* Opp. T. 8. c. 752.

2. Patrem, Filium et Spiritum S. esse personas realiter distinctas, demonstrat; atque

3. processiones divinas exponit.

Titulus I.

Pater et Filius et Spiritus S. sunt unus, idemque Deus verus.

Articulus I.

De Patre vero Deo.

§. 32. Pater Deus.

Nullus est inter Dei veri ac vivi cultores, qui Patris divinitatem, saltem directe impugnaverit, quamvis omnes, qui Filio naturam divinam detraxerunt, eo ipso quoque Deum Patrem sensu proprio esse negarunt. Hinc paucis absolvere possumus primum hunc fidei nostrae de SS. Trinitate articulum.

A. In SS. Litteris Deus triplici respectu Pater adpellatur, et quidem primo in relatione ad universum genus humanum et singulos homines, tamquam eorum Creator, Conservator ac Rector; deinde in relatione ad justos, utpote gratiâ divinâ regeneratos et filios Dei adoptivos, atque hinc etiam ad populum Judaicum et Christianum, utpote speciali ac extraordinario modo ad justitiam ac sanctitatem vocatum; atque tum in relatione ad Jesum Christum, Filium suum unicum, naturalem ac proprium. Sed quocumque demum respectu de Patre, sive generis humani, sive electorum, sive Jesu Christi, in SS. Litteris sermo est: ubique Pater divinae naturae plene particeps, seu verus Deus describitur. Deus enim est,

1. qui Pater hominum universim cognominatur. Sic certo sub Patre nostro nemo alius quam Deus verus ac vivus intelligendus est, quando Christus nobis, ut oremus, praecipit: *Pater noster, qui es in coelis: etc.* [1]). Item ubi ait:

---

[1]) Matth. 6, 4 ss.

Diligite inimicos vestros, — ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est [1]; et iterum: *Pater, qui videt in abscondito* (eleemosynam tuam), *reddet tibi* [2]. Nec non quando Apostolus: *Unus,* inquit, *Deus, et Pater omnium, qui est super omnes* (ἐπὶ πάντων), *per omnia, et in omnibus nobis* [3]. Et sic multis aliis in locis [4]. Deus est

2. porro, qui Pater justorum, populi Israël atque Christiani adpellatur. Deum esse Patrem justorum generatim, docet Apostolus, scribens: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba (Pater)* [5]. Patrem Christianorum, ipse Salvator, quum ait ad discipulos: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra, et glorificent patrem vestrum, qui in coelis est* [6]. Atque populi Israëlitici, Moyses, istum his verbis affatus: *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit te, et creavit te* [7]? Tandem Deus pariter est,

3. qui Christi Domini sensu longe sublimiori, proprio ac vero, Pater dicitur. Ex ingenti numero S. Scripturae locorum praecipue laudari merentur verba Christi ad matrem suam et Josephum dicta: *Nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse* [8]? De templo aperte hic Jesus loquitur, quod domus Dei vivi erat, et ideo Patrem suum, in oppositione matris atque nutritii, expresse Deum verum adpellat. Porro illud: *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum* [9]. Nec non verba ista, quibus dignitatem suam divinam adversus Pharisaeos tuetur: *Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est* [10]. Ob quae verba Pharisaei Jesum lapidare voluerunt. Hinc et Christus

---

1) Matth. 5, 44 s.
2) Matth. 6, 4.
3) Ephes. 4, 6.
4) Cf. Matth. 7, 11. Act. 1, 4. 17, 29. 1. Cor. 1, 3. 8, 6. Col. 1, 3. etc.
5) Rom. 8, 15. Cf. Gal. 4, 6. Joan. 1, 12.
6) Matth. 5, 16. Cf. 48.
7) Deut. 32, 6. Cf. Exod. 4, 32 s. Is. 63, 16. Jer. 3, 19. 31, 9. 20. Malach. 1, 6.
8) Luc. 2, 49.
9) Joan. 20, 17.
10) Joan. 8, 54.

ad Patrem preces dirigit [1]), porro eum in coelis esse [2]), omnia disponere [3]), habere vitam in se ipso, et dedisse quoque Filio, habere vitam in semetipso [4]), ei omnia esse possibilia [5]), ab eo sibi omnia tradita esse [6]), omnemque trahi debere, qui vult venire ad se [7]), atque illum ab hominibus in spiritu ac veritate adorandum esse [8]), docet [9]). — Simili modo Apostolis vocabula Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi synonyma sunt. *Uno ore honorificetis*, ait Paulus, *Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi* [10]). — Petrus: *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam nos regeneravit in spem vivam* [11]). Atque Joannes: *Hic est Antichristus, qui negat Patrem, et Filium. Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet, qui confitetur Filium, et Patrem habet* [12]). Quibus veritas nostra religionis Christianae propria et essentialis declaratur.

B. Patrem Deum verum esse, porro fides universalis Ecclesiae profitetur, et eum διαφερόντως, cum excellentia quadam, Deum adpellat. *Credo*, habet Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, *in Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae. Et in Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo,—consubstantialem Patri*. Accedunt precum publicarum invocationes et clausulae vetustissimae: *Omnipotens, sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi,—qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus S. Deus per omnia saecula saeculorum.*

1) Joan. 8, 59. Cf. 10, 15. 30. Matth. 11, 27. Luc. 10, 22.

2) Matth. 11, 25 ss. 26, 39. Marc. 14, 36. Luc. 10, 21 s. 22, 42. 23, 34. 46. Joan. 17, 1 ss.

3) Matth. 7, 21. 12, 50. 10, 32. 16, 17. 18, 10.

4) Joan. 5, 26.

5) Matth. 20, 23—24.

6) Matth. 28, 18. Luc. 10, 22.

7) Joan. 6, 44 s.

8) Joan. 4, 23 s.

9) Cf. Matth. 16, 16. 26, 63. Marc. 14, 61. Joan. 1, 14. 5, 17. 36. 37. 3, 16—18. 35. 5, 17. 18. 36. 37. 6, 32. 37. 39. 8, 16. 28. 10, 25. 29. 12, 26. 27. 14, 2. 11. 13. 16. 20—21. 24. 15, 8. 9. 15. 23. 16, 15. 28. 17, 5. 11. 21. 24.

10) Rom. 15, 6. Cf. 8, 3. 22. 2. Cor. 1, 3. 11, 31. Ephes. 1, 3. 17. 3, 14. Gal. 4, 4. Hebr. 1, 2. 7, 28.

11) 1. Petr. 1, 3.

12) 1. Joan. 2, 22. 23. Cf. 1, 3. 4, 15. Joan. 1. 1.

Articulus II.

De Filio vero Deo, Patri consubstantiali.

§. 33. Ingressio.

Primi, qui divinitatem Filii negarunt, erant Gnostici, Nazaraei et Ebionitae. Quorum priores plerique, Jesum Christum aeonem esse, docuerunt; Nazaraei ipsum Dei Filium quidem altioris originis, attamen nequaquam verum Deum; Ebionitae vero nonnisi Prophetam et Legatum divinum, caeterum naturali modo a Josepho et Maria progenitum, habebant [1]).

Antitrinitarii, uti Praxeas, Noëtus, Theodotus, Artemon atque Paulus Samosatenus, non tam divinitatem Filii, τοῦ Λόγου, quam ejus personalem subsistentiam impugnarunt, illum merum attributum divinum habentes, et ideo, Christum vel Deum Patrem hominem factum, vel vero purum dumtaxat hominem fuisse, statuentes; quapropter eorum error, uti Ebionitarum, non tam praesenti, quam potius doctrinae de tribus in divina substantia personis opponitur.

Veri ac proprii doctrinae nostrae hostes, qui directe divinitatem Filii, ejusque cum Patre consubstantialitatem aggressi sunt, erant Ariani, saeculo IV. orti. Qui tamen, ut omnes haeretici, sibi minime constiterunt. Alii enim contendebant, Λόγον creaturam esse, et in tempore factum, (κτίσμα καὶ ποίημα), simulque per omnia Deo Patri dissimilem, ἀνόμοιον, unde Anomaei seu Ariani rigidi, vel etiam a suis ducibus, Aëtio et Eunomio, Aëtiani et Eunomiani dicti. Alii autem Λόγῳ quidem divinitatem tribuerunt, sed inferioris dignitatis, et diversam ab ea, quam habet Pater, atque propterea Filium Patri ὁμοιούσιον, similem in externis quibusdam naturae divinae lineamentis asserentes, Semiariani ideo, quod asperitatem dogmatis Ariani aliquo modo emolliirent ac temperarent, adpellati. Alii tandem ab Acacio, Caesariensi Episcopo, capite suo, Acaciani nuncupati, Filium neque ὁμοιούσιον neque ἀνόμοιον dixerunt, sed ὅμοιον, similem, non quidem essentiâ, sed voluntate, seu ad eum modum, quo effigies suo πρωτοτύπῳ similis est. Ast in quamcumque demum partem propensae erant singulae Arianorum sectae: in hoc tamen omnes conveniebant, ut Filium seu Λόγον ὁμοούσιον, consubstantialem Patri, negarent.

---

[1]) Cf. Klein, *Hist. eccl.* Graec. 1828. T. 1. p. 166 ss.

Sociniani et recentiores Rationalistae biblici, qui post Catharos, multos Anabaptistas et alios singulos, ut Joannem Valdez et Bernardinum Occhinum, Matthaeum Gribaldum, Michaëlem Servetum et Valentinum Gentilem, errores antiquorum Antitrinitariorum resuscitarunt, directe pariter dumtaxat divinitatem Christi, verum eo ipso simul saltem indirecte divinitatem Filii impugnarunt, contendentes, Christum vêrum, non tamen vulgarem, sed divinum esse hominem, qui ad salutem hominum procurandam destinatus, gloria miraculorum exornatus, officium sibi demandatum adcurate impleverit, et idcirco post mortem, quam martyr pro sua doctrina obierit, suscitatus, et ad summam dignitatem evectus, a nobis pro Deo colendus sit: Patrem, Filium et Spiritum S. vero non personas, sed tantum diversa esse attributa divina, statuentes [1]). Unde et hi solummodo catenus huc pertinent, quatenus nobis loca S. Scripturae, quibus divinitas Filii, realiter a Patre distincti, probatur, e manibus extorquere conantur.

Contra hosce ergo errores probamus dogma Ecclesiae Catholicae solemniter definitum, *Λόγον*, qui inde ab aeterno apud Patrem exsistens, in tempore homo factus, Jesus Christus est, adeoque et hunc Jesum Filium Dei esse, non quidem sensu morali, quo fideles ac justi quoque filii Dei adpellantur [2]), neque sensu politico, quo vices Dei in terris gerentes ejus filii cognominantur [3]), sed sensu quam maxime proprio ac naturali seu physico, qui unius, ejusdemque prorsus ac individuae cum Patre sit naturae et substantiae, sive Patri consubstantialem, unumque cum Patre Deum verum.

In evincendo dogmate nostro ita versabimur, ut prius effata Christi, deinde testimonia Apostolorum, tum Traditionis documenta, loca SS. Patrum ac decreta Conciliorum in medium proferamus, atque ipsum testimonium nominis Christiani hostium adjiciamus, ubique ad objectiones ab adversariis motas attendentes.

§. 34. A. Testimonia S. Scripturae.

a. Effata Jesu.

Christus Dominus in SS. Litteris non tantum excellentior Moyse [4]), major summo Sacerdote antiqui Testamenti [5]), nec

[1]) Cf. *Biblioth. Fratr. Polon.* T. 1. P. 1. p. 781. T. 2. p. 489 s.

[2]) Cf. Gen. 6, 2. Deut. 14, 1. Jer. 31, 20. Matth. 5, 9. 45. Joan. 1, 12. Rom. 8, 14 s. 1. Joan. 3, 1.

[3]) Cf. Ps. 81, 6.

[4]) Hebr. 3, 1 ss.

[5]) Hebr. 4, 14—16. 5, 1—10. 7, 11—28.

non melior ipsis Angelis [1]) declaratur; sed etiam tum ipse, tum Apostoli clarissime docent, illum unius, ejusdemque prorsus esse cum Patre naturae ac substantiae. Et quidem Christus, disputans cum Judaeis in porticu Salomonis, ait: *Oves meae vocem meam audiunt: et ego cognosco eas, et sequuntur me: et ego vitam aeternam do eis: et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est* (vel potius juxta textum graecum: *qui dedit mihi illas, major est omnibus,* ὃς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐστί): *et nemo potest rapere* (eas) *de manu Patris mei. Ego, et Pater unum sumus,* ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν [2]). Quo loco aperte ita argumentatur Christus: Discipuli mei, quibus felicitatem aeternam largiturus sum (quod nonnisi Dei est), mihi tam parum quam Patri eripi possunt; quum, quemadmodum Pater est omnipotens, ita et ego omnipotens sim; ego enim et Pater unum sumus. Ad unitatem itaque suam cum Patre, quam affirmat, tamquam causam ejusdem cum Patre potentiae provocat; hujus autem causa manifeste nonnisi unitas substantiae, minime vero sola voluntatis consensio seu unitas moralis esse potest. Quare et Judaei verba Jesu de unitate substantiali intelligunt, et eum propterea blasphemiae accusant, atque lapidibus obruere volunt; quia, ut ajunt, homo cum sit, faciat se ipsum Deum [3]). Si vero Christus ulterius sermonem prosequens: *Nonne,* inquit, *scriptum est in lege vestra: quia Ego dixi, dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi scriptura: quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum* [4])? sententiam suam minime retractat aut mitigat, sed potius, a minori ad majus, ut ajunt, argumentans, magis confirmat. Sensus enim verborum istorum alius non est, quam: Si in Scriptura, quae tamen mentiri non potest, homines nihil divini habentes, ad quos sermo Dei pertinet, verba Psalmi scilicet, seu adversus quos dirigitur Dei comminatio, judices videlicet, tantum propter auctoritatem a Deo acceptam, utpote Dei vices gerentes, dii adpellantur: multo magis ego, qui a Patre, quem Deum vestrum colitis, Salvator

---

1) Hebr. 1, 4.
2) Joan. 10, 27—30.
3) v. 33.
4) vv. 34—36.

generis humani, velut Deus-homo, designatus, et propterea in mundum missus sum, sine ulla blasphemia Filius Dei vocari possum. Quapropter et alterius disserens ad miracula a se patrata tamquam certissimam effati sui confirmationem provocat, his verbis: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: etsi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre,* i. e. ut intelligatis, verum esse, quod asserui, me et Patrem unum esse [1]). Quod haud necessarium fuisset, si se tantum tamquam Propheta et Legatus divinus simili sensu, ac judices dii et filii excelsi dicti sunt, Filium Dei adpellasset. Id Judaei bene senserunt, Jesum denuo comprehendere studentes, ita ut ipse per fugam eorum insidiis se subducere cogeretur [2]).

b. Alia occasione, postquam scilicet ad piscinam aegrotum, qui triginta octo annos languerat, sabbato sanaverat, Judaeos, sibi ideo insidiantes, his affatus est verbis: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Propterea ergo magis quaerebant eum Judaei interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo. Respondit* (allocutus est illos) *itaque Jesus, et dixit eis: Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam* (quod scilicet sanctitati adversum esset), *nisi quod viderit Patrem facientem,* (i. e. nisi quod facit Pater, utpote qua Deus cum Patre unum, et qua homo ei perfecte subditus): *quaecumque enim* (vero) *ille fecerit, haec et Filius similiter facit. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat* (communicat) *ei, quae ipse facit: et majora his demonstrabit* (substantiam divinam videlicet cum eo communicando) *ei opera, ut vos miremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat. Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Pa-*

---

[1]) vv. 37—38.

[2]) Sic exponunt locum hunc: Athanasius *Or. 3. cont. Arian. n. 5—6.* Opp. T. 1. P. 1. p. 554 s. *Or. 4. n. 2.* p. 619. et al. s. — Basil. *Adv. Eunom. l. 1. n. 25.* Opp. T. 1. p. 236. A. B. *l. 4. n. 2.* p. 282. D. E. — Gregor. Naz. *Or. 49.* T. 1. c. 659—660. — Gregor. Nyss. *Cont. Eunom. l. 1.* Opp. Par. 1615. T. 2. p. 7. D. E. — Chrysostom. *Hom. 61. in Joan. n. 2.* Opp. T. 8. p. 363. *Hom. 39. in Joan. n. 4.* p. 232. B. C. — Hilar. *De Trinit. l. 7. n. 15 ss.* T. 2. c. 186 ss.

trem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum. — Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: et qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit et Filio habere vitam in semetipso: et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis (i. e. Messias, Deus-homo) *est*[1]). Quibus verbis Jesus se non tantum Filium Patris adpellat[2]), sed et α) sibi eamdem cum Patre tribuit dignitatem, asseverans, se, uti Patrem, pleno dominio, legi sabbati haud adstricto, mundum conservare ac regere; β) se esse impeccabilem, uti Patrem, ita ut quod contrarium sit sanctitati, perficere prorsus non possit; γ) porro, se, sicut Patrem, esse omnipotentem, qui pro sua voluntate miracula patrare, atque mortuos resuscitare queat[3]); δ) sibi judicium universorum hominum ac Angelorum esse demandatum, quod eum scrutatorem renum ac cordium seu omniscium arguit; ε) sibi eumdem cultum cum Patre tribuendum[4]); atque tandem ζ) se per semetipsum exsistere, seu esse ens a se, ens necessarium[5]). Quae omnia manifeste nonnisi Deo competunt, et hic enuntiata eo majoris sunt ponderis, quoniam Christus Dominus ea in medium protulit, ad sententiam suam, qua se Filium Dei longe alio sensu esse asseruerat, quam quo magistratus, aut etiam homines pii filii Dei dici possunt, magis confirmandam, et quasi demonstrandam, postquam Judaeos ideo offensos esse viderat; quos propterea porro ad testimonium Joannis[6]), deinde iterum ad miracula a se patrata[7]), tum ad manifestationem ad Jordanem factam[8]), denique ad vaticinia A. T. de se edita ablegat[9]).

---

1) Joan. 5, 17—27.
2) Cf. Joan. 8, 27. Matth. 10, 32. 12, 50.
3) Cf. Joan. 6, 39. 11, 25.
4) Cf. Matth. 4, 10.
5) Cf. Joan. 8, 24.
6) vv. 32. 33.
7) v. 36.
8) v. 37.
9) vv. 39. 45—47. Cf. Epiphan. *Haer. 62. n. 4.* Opp. T. 1. p. 516. — Cyrill. Alex. *Thes. Assert. 32.* Opp. T. 5. P. 1. p. 321 *s. De Trinit. Dial. 2.* Ib. p. 437. — Hilar. *De Trinit. l. 7. n. 15—21.* Opp. T. 2. c. 186—192. — Fulgent. Rusp. *Cont. Arian.* Opp. p. 60. — Augustin. *Tract. 17. n. 16.* Opp. T. 3. P. 2. c. 429.

c. Perfectam porro cum Patre aequalitatem, atque eapropter etiam, quum nonnisi unus sit Deus, absolutam identitatem edisserit Christus, ubi ad Philippum ait: *Qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est* [1])? Et ad discipulos: *Omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (Spiritus S.) [2]). Atque alia occasione: *Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* [3]). Hinc se Filium Dei unigenitum adpellat [4]), qui Abrahamo praeexstiterit [5]), *a Patre exiverit* [6]), atque *descenderit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo* [7]); vitae suae dominum declarat: *Nemo tollit eam* (vitam) *a me: sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* [8]); miracula ex propria potestate non tantum se patrare, docet [9]), sed et aliis eadem patrandi potestatem dat [10]), seque per Spiritum Sanctum Apostolis ad futurum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi pollicetur [11]); legem novam fert [12]), et se auctorem omnis verae Dei cognitionis atque vitae spiritualis esse testatur: *Ego sum via, et veritas, et vita;*

---

1) Joan. 14, 9—10. Cf. Chrysost. *Hom. 74. in Joan. n. 1.* Opp. T. 8. p. 435. — Athanas. *Cont. Arian. Or. 4. n. 17.* Opp. T. 1. p. 629. etc. — Cyrill. Alex. *Thes. Assert. 10. 12. 17.* Opp. T. 5. P. 1. p. 79. E. p. 107 s. 112. A. 180. D. *In Joan. l. 1. c. 3.* T. 4. p. 27. A. — Augustin. *Tr. in Joan. 48. n. 10.* Opp. T. 3. P. 1. c. 618. *Tr. 70. n. 3.* c. 684 s.

2) Joan. 16, 15. Cf. Matth. 28, 18. 11, 27. Joan. 17, 10.— Cyrill. Alex. *Thes. Assert. 9.* T. 5. P. 1. p. 70. E. *In Joan. l. 1. c. 3.* T. 4. p. 27. — Augustin. *Serm. 135. n. 3.* Opp. T. 5. c. 656. E. *Cont. Maximin. l. 3. c. 14. n. 7.* T. 8. c. 706. *c. 19. n. 3.* c. 721.

3) Matth. 11, 27. Cf. Joan. 6, 46.

4) Joan. 3, 16. 18.

5) Joan. 8, 58.

6) Joan. 16, 27. 28.

7) Joan. 3, 13.

8) Joan. 10, 18. Cf. 2, 19.

9) Joan. 5, 21. Cf. 11, 25. 2, 11. 1, 14. Matth. 8, 8 ss.

10) Matth. 10, 1. Luc. 10, 17 ss. Act. 9, 34. 16, 18.

11) Matth. 28, 20. Joan. 15, 26. 16, 7.

12) Matth. 11, 29. 28, 19 ss. Joan. 15, 12. 14, 15. 21.

nemo venit ad Patrem, nisi per me[1]); peccata remittit[2]), potestatemque hanc sibi competere patrato miraculo probat[3]); se esse scrutatorem renum et cordium[4]), mortuos resuscitaturum[5]), judicem mundi futurum[6]), ut supra jam monstravimus, atque bonis vitam aeternam largiturum[7]), asseverat; preces ad se fusas se exauditurum esse[8]), promittit; hincque in se, uti in Deum Patrem, credendum[9]); in se, ut in Patre, fiduciam collocandam, atque se, ut Patrem, diligendum esse, postulat[10]). Quae omnia aperte Christus Dominus, nisi revera Deus sit, de se sine blasphemia edisserere atque sibi vindicare minime potuisset.

d. Denique sententiam hancce Christus jurejurando, quin imo ipsâ vitâ suâ datâ confirmat. Adjuratus enim a Principe Sacerdotum, numme sit Christus, *Filius Dei*, ait illi: *Tu dixisti*, seu, ut habet Marcus: *Ego sum*. Quibus auditis summus Sacerdos scidit vestimenta sua, atque ait: *Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis*[11]). Hic Christum Dominum sensu quam maxime proprio Filium se dixisse, nullum potest subesse dubium; in illo sensu enim eum Princeps Sacerdotum interrogaverat; atque se-

---

1) Joan. 14, 9. Cf. 8, 12. 1. Joan. 1, 2.
2) Matth. 9, 2 ss. Marc. 2, 5. Luc. 7, 48.
3) Matth. 9, 2 ss. Marc. 2, 5. Luc. 7, 48.
4) Apoc. 2, 23. Cf. Ps. 7, 10. Jer. 17, 9—10.
5) Joan. 6, 40. Cf. Cyrill. Alex. *In Joan. l. 4.* Opp. T. 4. p. 341.
6) Joan. 5, 22. 27. Matth. 28, 19 ss.
7) Joan. 14, 2 s. 10, 28. 11, 25.
8) Joan. 14, 13. 14.
9) Joan. 3, 15. 18. 36. 6, 19. 40. 47. 9, 35. 38. 11, 25. Cf. Paschas. *De Spir. S. Praef. Bibl. PP. max.* Lugd. T. 8. p. 807. — Gregor. Naz. *Or. 36.* Opp. T. 1. p. 519. A. — Augustin. *Tr. 29. in Joan. n. 6.* Opp. T. 3. P. 2. c. 515. qui scribit: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem ille misit. Ut credatis in eum; non ut credatis ei. Sed si creditis in eum, creditis ei: non autem continuo, qui credit ei, credit in eum. Nam et daemones credebant ei, et non credebant in eum. Rursus etiam de Apostolis ipsius possumus dicere: Credimus Paulo, sed non credimus in Paulum: Credimus Petro, sed non credimus in Petrum. — Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et ejus membris incorporari.*
10) Joan. 14, 21—24.
11) Matth. 26, 63—66. Cf. Marc. 14, 61—64. Luc. 22, 70—71. Joan. 19, 7.

cus ipse neque morte dignus declarari potuisset, neque se illa dignum etiam declarari permisisset.

Aut ergo statuendum, Christum verum Dei Filium, et ideo cum Patre unum, seu ipsi esse consubstantialem, aut vero, eum veteratorem pessimum ac impudentissimum, qui in ipsam legem divinam peccavit vehementius, quam ullus ante ipsum, et Deum, qui adeo honorem, sibi debitum, sibimet vindicat, impune legem suam migrari permisisse, imo mendacium impudentissimum miraculis quoque comprobasse.

§. 35. b. Testimonia SS. Apostolorum.

α. Petri et Thomae.

Inter testimonia Apostolorum pro divinitate Filii Dei primum locum occupat solennis professio Principis Apostolorum, Jesum Messiam esse promissum, atque verum Dei vivi Filium, utpote ab ipso Christo Domino diserte comprobata, et pro speciali Dei revelatione declarata, ita ut quodammodo ejus ipsius effatum censeri mereatur.

Postquam enim Apostoli ad quaestionem Jesu sibi propositam, quemnam homines eum haberent, significaverant, ab aliis ipsum Eliam, ab aliis Jeremiam aut unum ex Prophetis censeri, atque Christus Dominus iterum interrogat: *Vos autem quem me esse dicitis?* profitetur Petrus: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Ad quae Christus: *Beatus es,* inquit, *Simon Bar-Jona: quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est*[1]). Petrus hic itaque Jesum in oppositione Prophetarum Filium Dei adpellat; Christus autem disertis verbis affirmat, illum, quae professus est, non per se esse assecutum, sed ei ex speciali Dei suggestione accidisse. Unde verbum illud: *Filius Dei vivi,* minime sensu improprio, quo Prophetae, quibus Christus opponitur, item filii Dei adpellantur, et quo sensu ceu filius Dei sine singulari Dei inspiratione aut revelatione a Petro, prouti a reliquis hominibus, facile poterat cognosci, sed sensu eminentissimo et maxime proprio accipiendum est[2]).

Eodem autem loco cum professione Petri habenda est professio A. Thomae, quae pariter a Christo Domino probari meruit.

Quum scilicet Jesus a mortuis resurrexisset, et discipulis magno gaudio recreatis adparuisset: Thomas, qui abfuerat,

---

[1]) Matth. 16, 14—17.

[2]) Cf. Joan. 6, 69—70.

illis, resurrectionem Domini sibi nuntiantibus, credere noluit, nisi ipse clavorum vestigia viderit, digitumque his immiserit, et manum ejus lateri admoverit. Salvator autem benignissimus post octo dies denuo discipulis, una cum Thomâ congregatis, clausis januis adparet, et ad illum conversus: *Infer*, ait, *digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum: et noli esse incredulus, sed fidelis.* Quibus auditis confusus, *respondit Thomas, et dixit ei*, εἶπεν αὐτῷ: *Dominus meus, et Deus meus*, ὁ κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου, scilicet σὺ εἶ[1]). Verba itaque non sunt admirantis, per exclamationem prolata, sed enuntiantis. Quod adparet jam ex articulo adjecto, et praecipue inde cognoscitur, quoniam Evangelista definite, verba illa ad Christum facta esse, narrat. Si vero verba haec ad Christum referuntur: ipse iisdem aperte Dominus ac Deus verus significatur, quum alium, quam verum Thomas ignoraverit. Salvator autem tantum abest, ut Apostolum ejus divinitatem palam profitentem corrigat, sed potius, quod professus fuerat, approbat, et eum tardius, quam decebat, ita credidisse docet, beatosque fore, qui non itidem, ut ille, ipso viso demum crediderint, affirmat[2]).

§. 36. β. Joannis.

Quamvis vero Petri professio atque professio Thomae inter testimonia Apostolorum pro divinitate Filii primum sibi eatenus vindicet locum, quatenus utraque tamquam effatum Christi ipsius immediatum spectari debet: praecipuus tamen inter Apostolos divinitatis Jesu testis et assertor sine dubio est discipulus ille, quem diligebat Jesus, Joannes Evangelista, qui dogma nostrum consulto contra ejusdem adversarios jam primis Ecclesiae saeculis ortos, et speciatim contra Cerinthum adstruit, atque in Evangelio suo exarando, nullum alium sibi praefixit finem, quam illud ipsum dogma ostendendi, ut credamus, *quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes, vitam habeamus in nomine ejus*[3]).

Ex innumeris autem testimoniis, vel potius loco totius Evangelii Joannis, quod hic exscribendum esset, solummodo initium illius adferimus, quod ita se habet: *In principio erat*

---

1) Joan. 20, 19—29.
2) v. 29. Cf. Athanas. *Cont. Arian. Or. 2. n. 23.* Opp. T. 1. P. 1. p. 491. E. — Cyrill. Alex. *In Joan. l. 12. c. 1.* Opp. T. 4. p. 1109.
3) Joan. 20, 31.

Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. — *Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν. — *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiae, et veritatis,* δόξαν ὡς μονογενοῦς, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, hominibus scilicet afferendae [1]). Sub *Verbo* seu *Λόγῳ* Apostolus neminem alium, quam Filium Dei intelligit, qui inde ab aeterno apud Patrem exsistens, unius, ejusdemque divinae naturae ac substantiae cum Patre socius, in tempore homo factus, Christus Jesus est, Deus-homo. Nam ad neminem alium, quam ad Christum referri possunt verba illa: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae, et veritatis.* Insuper ait Evangelista, Joannem B., qui de Christo testatus est, testimonium *de illo (Verbo)* perhibuisse [2]); atque tum mox inferius *Verbum* incarnatum expresse Jesum Christum adpellat [3]), quam appellationem exin per totum Evangelium retinet.

Quare Evangelista Filium Dei *Λόγον* adpellaverit, inter Theologos non constat. Alii enim nomen hoc depromtum esse ex V. T. statuunt, videlicet ex loco illo: *Verbo Domini coeli firmati sunt: et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* [4]). Alii illud ex phrasi Chaldaica, quum Paraphrastae Chaldaici pro *Jehova* semper *verbum Jehovae* ponant, repetunt. Alii mutuatum esse ex philosophia Platonica, vel potius ex scriptis Philonis, placitis illius philosophiae addicti, qui simili aliquo sensu vocabulo *Λόγος* utatur, contendunt. Alii vocabulum istud ex Gnosticorum placitis deducunt, qui aeonum miram admiserint multitudinem, inter quos praestantior fuerit *Λόγος*, sub quo deinde, Christiani effecti, Christum intellexerint, ita ut Joannes vocabulum retinuerit, demonstraverit autem, *Λόγον* Christum non esse Gnosticorum aeonem qualemcumque demum, sed verum Deum. Alii putant, *Λόγος*, vocabulum abstractum, esse positum pro concreto λεγόμενος in sensu τοῦ ἐπαγγελλόμενος, seu ἐρχόμενος, promissus, quo sensu דָּבָר et λόγος apud

1) Joan. 1, 1. 3. 14.
2) v. 15.
3) v. 17.
4) Ps. 32, 6.

LXX haud raro occurrat. Alii rursus autumant, abstractum *Λόγος* adhiberi ab Apostolo pro concreto *λέγων τὰ τοῦ Θεοῦ*, *doctrina* seu *veritas*, pro doctore veritatis [1]). Alii illud inde derivant, quod *Λόγος* ad Patrem, uti ratio seu cognitio ad mentem, referatur [2]). Alii tandem hanc denominationem derivandam esse censent ex ipsa revelatione; quum nimirum Joannes in Apocalypsi narret, sibi Christum Dominum in visione, quam habuerat, cum nomine hocce fronti inscripto adparuisse [3])

Quidquid autem sit, et undecumque demum Joannes hanc adpellationem repetierit: id certum est, eum de *Λόγῳ* talia praedicare, quae in neminem alium, quam Deum verum cadunt. Etenim:

1. cum dicit, *Λόγον ἐν ἀρχῇ* exstitisse, ejus aeternitatem adstruit. Nam *ἀρχὴ* hic loci nonnisi pro serie orationis contexta aut sonat initium aeternitatis, modo humano conceptum, quo sensu dicitur, Deus *a principio* exsistere [4]), et Messiae egressus esse *ab initio, a diebus aeternitatis* [5]), et tunc *ἐν ἀρχῇ* idem est ac *ab aeterno;* aut vero significat *ἀρχῇ* initium rerum creandarum, quo sensu sumitur in loco illo, ubi Sapientia divina loquens ita inducitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret, a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret* [6]). In posteriori casu *ἐν ἀρχῇ* ergo valet idem ac hebraicum בְּרֵאשִׁית, quo inchoatur liber Geneseos, nempe in principio, cum creanda essent coelum et terra, sive ante constitutionem mundi; qua phrasi autem in SS. Litteris constanter id ipsum, scilicet *ab aeterno* exprimitur; quando quidem ante mundum conditum, seu ante tempus inchoatum nil nisi aeternitas exstitit. Quaecumque itaque harum ambarum explicandi rationum eligatur: sensus semper idem est, nimirum *Λόγον* inde ab aeterno exsti-

---

1) Cf. Clem. Alex. *Strom. l. 2. c. 4.* Opp. T. 1. p. 434 ss. — Origen. *In Joan. l. 1. n. 42.* Opp. T. 4. p. 43. 45 s.

2) Cf. Clem. Alex. *Paedag. l. 1. c. 12—13.* T. 1. p. 156 ss. — Origen. *In Joan. l. 1. n. 42.* T. 4. p. 46 s. *Adv. Cels. l. 5. n. 39.* T. 1. p. 608. *l. 6. n. 71.* p. 686. E.

3) Apoc. 19, 12—13.

4) Hab. 1, 12. Js. 43, 13.

5) Mich. 5, 2.

6) Prov. 8, 22—23.

tisse. — Sensus autem, quem verbo ἐν ἀρχῇ Sociniani subjiciunt, ac si videlicet Evangelista de initio praedicati Evangelii loquatur, frigidus est, atque cum orationis contextu manifeste pugnat. Evangelista enim a creatione mundi exorditur, deinde Verbi in mundo adparitionem commemorat, et tum demum ad enarrandum munus Messianum coeptum transit; ut taceamus, Jesum, uti saltem ipsum sibi Sociniani cogitant, initio praedicati Evangelii apud homines fuisse, Apostolum vero scribere, *in initio* Verbum fuisse apud Deum.

2. Porro diserte *Λόγον* Deum adpellat Evangelista. Nam *Λόγον* in tertio commate versiculi primi subjectum orationis esse, dubium esse non potest; quum in tota hac Evangelii περικοπῇ de *Λόγῳ* sermo sit. Praeterea si non *Λόγος*, sed θεὸς subjectum esset: sequeretur, Deum Patrem esse *Λόγον*, hunc enim sub voce ὁ θεὸς in praecedentibus aperte Joannes intelligit; a quo tamen expresse *Λόγον* discernere vult, quum ipsum apud Deum, τὸν θεὸν, fuisse, et illum, non autem hunc hominem factum esse, doceat. Praeponit autem Apostolus in commate nostro praedicatum subjecto, quoniam de hoc singulare aliquid enuntiare voluit, et insuper forsan, ut. quemadmodum in praecedentibus et subsequentibus commatibus facit, eodem vocabulo sententiam sequentem inchoet, quo praecedentem finiverat. — Sociniani quidem vocabulum θεὸς converterunt in θεοῦ, verum contra auctoritatem omnium codicum, omnium versionum, atque omnium SS. Patrum, qui textum hunc citant. Alii mutarunt interpunctionem, ponentes punctum post ἦν, quasi dicere voluisset Apostolus: *Λόγος* erat apud Deum, et Deus exstitit. Ast immutatio haec tentatur pariter contra auctoritatem omnium versionum et SS. Patrum. Insuper illâ admissâ, sensus prodit frigidissimus ac vere intolerabilis. Quomodo enim potuisset Apostolus primum adfirmare, Deum exstitisse, postquam dixerat, *Λόγον* apud Deum fuisse? Neque obstat, quominus de vera divinitate τοῦ *Λόγου* cogitemus, vocabulum θεὸς hic positum esse sine articulo. Nam cum Evangelista voce θεὸς in prioribus commatibus semel, iterumque utatur ad veram divinitatem denotandam, verosimile non est, illum eodem quasi halitu idem vocabulum et proprie et improprie sumsisse. Accedit, in illa ipsa nostra περικοπῇ idem vocabulum sine articulo ter de Deo Patre adhiberi. *Fuit homo missus a Deo, παρὰ θεοῦ* [1]*; dedit eis potestatem filios*

[1] v. 6.

Dei, τέκνα θεοῦ, fieri [1]*; qui — ex Deo, ἐκ θεοῦ, nati sunt* [2]. E contrario θεὸς cum articulo de falsis diis quoque occurrit [3]. Posuit autem θεὸς de Verbo in nostro commate sine articulo, ne ipsum commisceatur cum Patre, qui ὁ θεός in praecedentibus adpellatur. Ergo *Λόγος* ex mente Apostoli est Deus, et quidem ille ipse *Λόγος*, qui erat ab aeterno apud Deum, seu *Λόγος* est Deus, et Deus apud Deum, atque utrumque aeterne.

Quanta sit totius hujus versus vis contra haeresin Arianam, nec non Sabellianam, adcurate colligit Isidorus Pelusiota, qui scribit: *Ex appellatione Filii eamdem essentiam: ex Verbo generationem perpessionis expertem: ex eo porro, quod fuerit in principio eamdem aeternitatem: denique ex eo, quod fuerit apud Deum, conjunctionem cum Patre: ex eo vero, quod Deus sit, dignitatem atque excellentiam ipsius discentes. Ex unoquoque autem nomine removentes inconveniens et indecorum, — verbi gratia, a Filii nomine id, quod est recentius sive posterius, a Verbi appellatione id, quod nullam habet subsistentiam, Deum aeternum, consubstantialem absque perpessione, et extra tempus ex Patre progressum agnoscamus et adoremus* [4].

3. Tum cum Apostolus ulterius de *Λόγῳ* praedicet, omnia per ipsum facta esse et sine ipso factum esse nihil, quod factum sit, i. e. omnia, quaecumque extra Deum exstent, per ipsum creata esse, ita ut prorsus nil exsistat, quod per ipsum conditum non sit: omnipotentiam et asseitatem ipsi adscribit. Nam si *Λόγος* Creator est universi omnipotens, et si non datur ens exsistens creatum, quod non per ipsum sit creatum, increatus, adeoque ens a se sit necesse est [5]. — Expositioni verborum nostrorum a Socinianis tentatae de creatione my-

[1] v. 12.

[2] v. 13.

[3] Cf. Act. 7, 43. 2. Cor. 4, 4. Gal. 4, 8.

[4] *L. 4. epist. 141.* p. 329. c. 1.

[5] Cf. Augustin. *De Trinit. l. 1. c. 6. n. 9.* Opp. T. 8. c. 754. *Tr. 1. in Joan. n. 11—12.* T. 3. P. 2. c. 293 s. — Athanas. *Cont. Arian. Or. 2. n. 5.* Opp. T. 1. P. 1. p. 473. D. *Epist. 3. ad Serap. n. 4.* T. 1. P. 2. p. 693 s. — Gregor Nyss. *Cont. Eunom. l. 1.* Opp. Par. 1615. T. 2. p. 33. A. B. — Cyrill. Alex. *Thes. Assert. 15.* Opp. T. 5. P. 1. p. 169. D. — Gelas. *Comm. act. Conf. Nic. l. 2. c. 17.* In Mansi *Coll. Con.* T. 2. c. 835 ss.

stica, seu hominum morali per Evangelii doctrinam a Christo allatam emendatione, jam ipsa phrasis: *πάντα δι αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν*, nec non sequentia obstant, ubi Apostolus, idem repetens, ait: *Et mundus per ipsum factus est, καὶ ὁ κόσμος δι αὐτοῦ ἐγένετο, et mundus eum non cognovit* [1]). Nam si verba priora de morali mundi reformatione acciperentur: etiam haec eodem sensu sumi deberent; quod tamen quominus fiat, aperte prohibet posterior pars commatis: *Et mundus eum non cognovit;* nam his verbis tollerentur mox praecedentibus adstructa [2]). — Neque obmoveri potest, *Λόγον* causam tantum instrumentalem mundi conditi a Joanne declarari, quum dicat *δι' αὐτοῦ*, non *ἀπ'* vel *ἐξ αὐτοῦ*. Etenim falsum est, *διά* nunquam causam principalem designare, quum non raro de Deo Patre, ultimo rerum omnium fonte, occurrat, et tamquam *συνώνυμον* cum *ἐκ* et *ἀπο* adhibeatur [3]).

4. Denique Joannes *Λόγον* Filium Dei unigenitum pronuntiat. Verba enim: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός*, necessario hoc sensu sumi debent: Vidimus gloriam ejus, quae erat ejus tamquam unigeniti Patris, i. e. quae est unigeniti propria [4]), nequaquam vero sensu isto: quae erat similis gloriae unigeniti Dei filii; quoniam tum Joannes similitudinem ex re prorsus incognita duceret, dum tamen omnis similitudo pro sua natura notior re explicanda necessario esse debet. Quodsi autem *Λόγος* unigenitus Dei filius a Joanne declaratur: necessario verus ac naturalis Dei Filius, et ideo unius ac ejusdem individuae cum Patre naturae et essentiae est.

Quapropter et Joannes porro de *Λόγῳ* ac Christo enuntiat, ipsum esse Deum, qui animam suam pro nobis posuerit [5]):

---

1) v. 10.

2) Cf. Chrysostom. *Hom. 5. in Joan. n. 1.* Opp. T. 8. p. 34 s. *Hom. 8. n. 1.* p. 48. — Athanas. *Cont Arian. Or. 2. n. 5.* Cpp. T. 1. P. 1. p. 473. *Epist. 3. ad Serap. n. 4.* T. 1. p. 2. p. 693 s. — Cyrill. Alex. *Thes. Assert. 32.* Opp. T. 5. P. 1. p. 313. et al. s. — Hilar. *De Trinit. l. 4. n. 16 ss.* Opp. T. 2. c. 83 ss. Versiones antiquae omnes pari modo utrumque versiculum de physica mundi creatione interpretantur. Cf. Walton, *SS. Bibl. Polyglotta.* T. 5. p. 309.

3) Cf. 1. Cor. 1, 9. *Fidelis Deus, per quem, δι' οὗ, vocati estis.* Rom. 11, 36. *Ὅτι ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ — τὰ πάντα.* Gal. 1, 1. Gen. 4, 1. Prov. 8, 15. Joan. 3, 6. coll. c. 1. Joan. 3, 9.

4) Cf. Matth. 14, 5. *Ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον.*

5) 1. Joan. 3, 16. Cf. Act. 20, 28.

— Dei unigenitum Filium, *qui est in sinu Patris* [1], et quem *misit Deus in mundum* [2], verum Dei filium [3], eapropter, qui neget Filium, nec habere Patrem, qui confiteatur Filium et Patrem habere [4], seu, qui in Filium non credat, vitam non habere [5], qui vero in eum credat, habere vitam in nomine ejus [6]; — Filium nonnisi Deum nosse [7]; — *τοῦ Λόγοῦ* esse mundum proprium [8], ipsumque Dominum dominorum, Regem regum [9], qui nullius egeat [10]; — eum esse auctorem vitae, in quo *vita erat*, i. e. qui fons vitae entium omnium finitorum est [11], et ideo etiam auctorem vitae verae spiritualis [12], seu pro peccatis nostris atque totius mundi propitiationem [13], veritatis doctorem ac originem [14], et gratiae, qua fimus Dei filii, largitorem [15]; — atque Sanctum et verum [16], *qui est principium naturae Dei* [17], judex hominum [18], ac vindicat sanguinem interfectorum propter verbum Dei [19], et vita aeterna, *quae erat apud Patrem, et adparuit*

---

1) Joan. 1, 18. Cf. 3. 16. 18. — Cyrill. Alex. *In Joan. l. 1. c. 2.* Opp. T. 4. p. 16. *c. 10.* p. 105. *l. 2. c. 8.* p. 229. *De Trinit. Dial. 5.* T. 5. P. 1. p. 573. *Dial.* 2. p. 436 s. 458. *Dial. 3.* p. 461 s. — Athanas. *Cont. Arian. Or. 2. n. 62.* Opp. T. 1. P. 1. p. 530. *Or. 4. n. 26.* — Basil. *De fid. Hom. 6. n. 2.* Opp. T. 2. p. 739. c. 2. D. — Augustin. *Cont. serm. 6. Arian. c. 36. n. 34.* Opp. T. 8. c. 646 *s. Cont. Maxim. l. 2. c. 6.* Ib. c. 694 s. — Hilar. *De Trinit. l. 6. n. 8 ss.* Opp. T. 2. c. 136 ss.

2) 1. Joan. 4, 9. Cf. 4, 15. 11, 27.

3) 1. Joan. 5, 20. Cf. Joan. 20, 31. 1. Joan. 3, 8.

4) 1. Joan. 2, 23. Cf. Joan. 3, 36. 1. Joan. 5, 5. 9—13. 4, 15. etc.

5) 1. Joan. 1, 18.

6) Joan. 20, 31. Cf. 3, 16.

7) Joan. 1, 18.

8) Joan. 1, 11.

9) Apoc. 17, 11. 19, 16.

10) Apoc. 3, 7.

11) Joan. 1, 4.

12) Joan. 1, 4. 5. Cf. 14, 6. 8, 12.

13) 1. Joan. 5, 6. Cf. 1, 5. 3, 19.

14) 1. Joan. 5, 6.

15) Joan. 1, 12. 14. 16. 17.

16) Apoc. 3, 7. Cf. 19, 11. 1. Joan. 2, 1. 3, 3. 5.

17) Apoc. 3, 14.

18) Apoc. 1, 18. 14, 7. 14.

19) Apoc. 6, 10.

nobis [1]). Porro visum sic loquentem inducit: *Ego sum primus, et novissimus, et vivus, et fui mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum* [2]); et iterum: *Ego sum scrutans renes, et corda, qui dabit unicuique secundum opera sua* [3]); atque enim omnibus adorandum esse docet, utpote agnum exsistentem, *qui dignus est accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, etc.* [4]).

§. 37. γ. Pauli. ℵ. Philipp. 2, 5—11.

Sed ne quis nobis objiciat, Joannem, uti jam Julianus olim criminatus est, ex nimia, qua in magistrum ducebatur, veneratione ei divinitatem attribuisse, ea quoque, quae Paulus de Christo docet, in medium proferenda sunt. Primo citamus epistolam ad Philippenses, in qua inter alia Apostolus scribit: *Hoc sentite in vobis* (idem sensus vobis insit, ac), *quod et in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, ὃς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, τὸ εἶναι ἴσα θεῷ: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, μορφὴν δούλου λαβών,* (exinanivit semetipsum non deponendo divinitatem, sed assumendo humanitatem, sub cujus indumento veluti obscurata et exinanita externa specie est divinitas), *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, πᾶν γόνυ κάμψῃ, coelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*, i. e. habet gloriam eamdem cum Patre. Admonet Apostolus in loco nostro fideles, ut modesti sint, atque aliorum potius commoda, quam sua procurent, quemadmodum Jesus Christus, qui quum verus sit Deus, non cupide sua majestate utendum esse existimaverit, instar ferarum rapacium, rapinam quam firmissime retinentium, sed ab illa abstinuit, nostro scilicet rem concipiendi modo, quo pariter de sole oriente et occidente loquimur, ad statum naturae humanae se deprimens, et factus obediens Patri usque ad perpes-

[1]) 1. Joan. 1, 2.
[2]) Apoc. 1, 17. 18. Cf. 21, 6. 22, 13. 2, 8.
[3]) Apoc. 2, 23.
[4]) Apoc. 5, 8 ss.

sionem mortis. Propterea et mortis exantlatis laboribus Patrem Christo tamquam homini summam contulisse dignitatem, ut ipsum omnes naturae intelligentes cultu divino prosequantur, eum tamquam verum Deum agnoscentes. Clarissime itaque Apostolus hic divinitatem in Jesu Christo, eumque consubstantialem Patri praedicat. Etenim 1) Paulus ait, Christum Jesum ἐν μορφῇ Θεοῦ exstitisse; μορφή vero de essentia seu natura etiam apud auctores profanos occurrit, in eodem significatu ac οὐσία vel φύσις [1]), nunquam autem vernaculum Gestalt in sensu speciei vel similitudinis significat; atque in nostro loco insuper opponitur sequenti: μορφὴν δούλου λαβών, quod sine dubio veram humanam naturam Christi indicat, et hinc etiam oppositum μορφὴ Θεοῦ nil, quam naturam divinam significare potest [2]). 2) Porro dicit, Christum rapinam [3]) non arbitratum esse, esse se aequalem Deo, τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, sicque perfectam ejus cum Patre aequalitatem edisserit. Nam verba illa tantum de similitudine accipi item propter oppositum: ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, prorsus non possunt; quum his manifeste, Christum verum hominem factum esse, non homini similem, affirmetur. 3. Tandem tradit Apostolus, Christo, et quidem una quatenus homo est, cultum divinum esse exhibendum, ipsumque tamquam Patri omnino aequalem, ab omni natura agnoscendum. Phrasin γόνυ κάμπτειν nonnisi de adoratione stricti nominis accipiendam esse, docet ipse Paulus, in epistola ad Romanos scribens: *Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu; et omnis lingua confitebitur Deo,* i. e. me verum Deum profitebitur [4]). Quodsi vero Christo cultus divinus prae-

---

[1]) Cf. Jos. Flav. *Cont. Appion. l.* 2. *c.* 22. Opp. T. 2. p. 485. — Epiphan. *Ancor. n.* 67. Opp. T. 2. p. 71. — Conc. Constantinop. III. *Act.* 2. Mansi, *Coll. Conc.* T. 11. c. 219. E. Cf. Suicer. *Thes. eccl.* s. v. μορφή.

[2]) Cf. Tertull. *Adv. Marcion. l.* 5. *c.* 20. Opp. V. 2. p. 401. — Hilar. *Ad Constant. n.* 19. Opp. T. 2. c. 577. B. etc. — Victor. *Adv. Arian. l.* 1. *n.* 4. 21 *ss.* In Galland. *Biblioth. PP.* T. 8. p. 155. 159 s. — Augustin. *Cont. Faust. l.* 3. *c.* 6. Opp. T. 8. c. 192. *Cont. Maxim. l.* 1. *c.* 5. Ib. c. 681 s.

[3]) Ἁρπαγμός idem prorsus ac ἅρπαγμα significare, ostendit cl. Aug. Tholuck. in *disputatione Christologica de l. Paul. ad Phil.* 2, 6—9. Hal. 1848.

[4]) Rom. 14, 11. Cf. 11, 4. Is. 45, 24. Esth. 3, 2. Matth. 4, 9—10. Gregor. Nyss. *Cont. Eunom. Or.* 1. Opp. Par. 1615. T. 2. p. 9. D. *Or.* 5. p. 181 s.

standus est: ipse persona divina, et propterea unius, ejusdemque cum Patre naturae socius sit necesse est [1]).

§. 38. ב. Rom. 9, 3—5. et Tit. 2, 11—13.

Alter locus, in quo Paulus item divinitatem Jesu Christi clare docet, invenitur in ejus epistola ad Romanos, ubi Apostolus summa tristitia affectus ob pervicaciam Judaeorum, qua nomen Christo dare renuebant, haec habet: *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israëlitae, quorum adoptio est filiorum, et gloria* (dignitas), *et testamentum* (foedus), *et legislatio, et obsequium* (cultus divinus), *et promissa: quorum patres* (Patriarchae), *et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Amen* [2]). Inter praerogativas ergo populi Israëlitici, fratrum suorum, quas enumerat, principalem illam Paulus habet, Christum Dominum, qui sit super omnia Deus, aeternum venerandus, secundum carnem ex ipsis originem ducere, et sic Christum Deum, rerum creatarum Dominum ac cultu divino prosequendum esse, docet. Verba ultima: ὁ ὢν etc. revera ad Christum, non vero forsan ad Deum Patrem pertinere, jam 1. inde colligitur, quoniam illud: *ex quibus est Christus secundum carnem*, necessario aliquod exigit additamentum, quod conditionem quamdam carnali origini oppositam exprimat, quamque solummodo in verbis illis deprehendimus. 2. Porro si verba illa non ad Christum, sed ad Deum Patrem referrentur: necessario doxologiam continerent; quod tamen quominus assumatur, obstat affectus Apostoli, qui, se in tristitia, eaque summa versari, testatur, in immediate praecedentibus scribens: *Quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo* [3]). Tristitiae autem deprecatio, aut etiam quietis animi ac patien-

---

1) Cf. Theophylact. ad. h. l. Opp. T. 2. p. 437 *ss.* — Chrysostom. *Hom. 7. in Epist. ad Philipp. n. 1—4.* Opp. T. 11. p. 244—251.

2) Rom. 9, 3—5. Θεὸς genuinum esse, testantur omnes codices, versio Arabica, Syriaca, Aethiopica, Persica (Cons. Walton. *Polyglott.* T. 5. p. 308 *s.*) et SS. Patres, ut Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Athanasius, Gregorius Nyss., Mar. Victorinus, Hilarius, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus, etc. Cf. Bullus, *Defens. fid. Nic.* p. 78.

3) V. 2.

tiae affirmatio, non autem laus convenit. 3. Dein doxologiae adversatur ipse quoque usus loquendi. Nam in omnibus doxologiis, quae frequenter in N. ac V. F. occurrunt, nunquam dicitur: *θεὸς εὐλογητὸς*, sed constanti ac fixo usu loquendi, quemadmodum et in vernaculo dicimus: Gott Lob! et nunquam: Lob Gott! ad imitationem Hebraici: בָּרוּךְ אֱלֹהִים, *εὐλογητὸς ὁ θεὸς* adhibetur [1]). Insuper 4. si Apostolus verba illa ad Christum referre noluisset: certo adjecta particula *δὲ* aut simili lectores attentos reddere non omisisset, quemadmodum et alias facere solet. Quod si autem verba illa: *ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας*, tamquam praedicatum ad Christum referenda sunt, unde ingratus Judaeorum animus, Salvatorem ad se pertinentem respuentium, praecipue pateat: non potuit Apostolus uti verbis significantioribus ad veram, summamque Christi divinitatem designandam [2]).

Adfinis loco huic est locus epistolae ad Titum, in quo pari modo Paulus Jesum Christum Deum adpellat, qui judicaturus sit orbem. Cujus loci verba haec sunt: *Servos* (hortare) *dominis suis subditos esse, in omnibus placentes* (placere studentes), *non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent* (commendent) *in omnibus. Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et saecularia desideria: sobrie, et juste, et pie*

---

[1]) Cf. 2. Cor. 1, 3. Ephes. 1, 3. 1. Petr. 1, 3. Luc. 1, 28. 42. 68. Ps. 17, 47. 27, 6. 30, 22. 40, 14. 65, 20. 67, 20. 71, 18. 19. 88, 53. 105, 48. 123, 6. 134, 21. 143, 1. Zach. 11, 5.

[2]) Cf. Iren. *Adv. Haer. l. 3. c. 16. n. 3.* p. 205. c. 1. — Origen. *Comment. in Ep. ad Rom. l. 7. n. 13.* Opp. T. 4. p. 612. — Syn. Antiochen. I. *Epist. ad Paul. Samosat.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 1. c. 1034. — Athanas. *Or. 4. n. 1.* Opp. T. 1. P. 1. p. 617. et al. — Gregor. Nyss. *Cont. Eunom. l. 10.* Opp. Par. 1615. T. 2. p. 265. C. — Cyrill. Alex. *Thesaur. Assert. 17.* Opp. T. 5. P. 1. p. 181. C. — Chrysostom. *Hom. 16. in Epist. ad Rom. n. 1—3.* Opp. T. 9. p. 603 ss. — Tertull. *Adv. Prax. n. 13.* Opp. V. 2. p. 418. — Novatian. *De Trinit. c. 13. et 30.* Galland. *Bibl. PP.* T. 3. p. 296. c. 1. C. et 313. c. 1. A. — Cyprian. *Testim. adv. Jud. l. 2.* Opp. V. 2. p. 222 ss. — Hilar. *De Trinit. n. 37.* Opp. T. 2. c. 240. — Ambros. *De Spir. S. l. 1. c. 3. n. 46.* Opp. T. 2. c. 609. *De fid. L. 1. c. 11. n. 68.* Ib. c. 457. — Hieron. *Ep. ad Algas. q. 9.* Opp. T. 1. c. 878. — Augustin. *De Trinit. l. 2. c. 13. n. 23.* Opp. T. 8. c. 785. E. *Cont. Faust. l. 3. c. 6.* Ib. c. 192. et al.

vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem, et adventum magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν I. X. [1]). Licet enim de verbis prioribus dubitari possit, num illa ad Christum, an vero ad Deum Patrem referenda sint, quum Deus universim, ut ita dicamus, spectatus in A. T. saepius Salvator adpelletur: nullum tamen dubium praesto esse potest, verba ultima: *τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν*, ad Christum pertinere; quum ἡ ἐπιφάνεια τῆς δόξης, quae hic de Deo praedicatur, ubique nonnisi adventum Christi Domini ad judicium significet[2]), et insuper utrique vocabulo θεοῦ et σωτῆρος duntaxat unus articulus sit appositus [3]).

§. 39. 3. Hebr. 1, 1—14. et Col. 1, 15—20. 2, 9.

Quartum argumentum ex epistolis Paulinis pro divinitate Filii seu Jesu Christi nobis exhibet caput primum epistolae ad Hebraeos, quod ita se habet: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula, δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν: qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus, ὅς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, portansque omnia verbo virtutis suae, φέρων τε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, (per se) purgationem peccatorum faciens, δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, sedet ad dexteram majestatis in excelsis: tanto melior Angelis effectus* (tanto magis prae Angelis honoratus), *quanto differentius nomen prae illis haereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te, υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε* [4])? *Et rursum: Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium* [5])? *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei, καὶ προςκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ. Et ad Angelos* (de Angelis)

---

[1]) Tit. 2, 9—13.

[2]) Cf. 1. Tim. 6, 14. 1. Thess. 3, 13. 2. Thess. 2, 8.

[3]) Cf. Athanas. *De comm. essent. P. et F. et Sp. S. n. 27.* Opp. T. 2. p. 16. — Cyrill. Alex. *Thesaur. Assert.* 32. T. 5. P. 1. p. 298. D.

[4]) Cf. Ps. 2, 7.

[5]) Cf. 2. Reg. 7, 14.

quidem dicit (Scriptura): *Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis*[1]. *Ad filium autem: Thronus tuus Deus in saeculum saeculi: virga aequitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis prae participibus tuis*[2]. *Et: Tu in principio Domine terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent: et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*[3]. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis*[4]?

Cui loco ob similitudinem sequentia duo loca epistolae ad Colossenses adjungi possunt: *Qui (Filius) est imago Dei invisibilis*, ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου, *primogenitus omnis creaturae* (i. e. ante omnem creaturam genitus, seu supra omnes creaturas eminens): *quoniam in ipso condita sunt universa*, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα, *in coelis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, et in ipso creata sunt*, τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται: *et ipse est ante omnes*, καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων, *et omnia in ipso constant*, καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε. *Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt*[5]. Et: *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς[6].

---

[1]) Cf. Ps. 103, 4.
[2]) Cf. Ps. 44, 7. 8.
[3]) Cf. Ps. 101, 26—28.
[4]) Hebr. 1, 1—14.
[5]) Col. 1, 15—20.
[6]) Ib. 2, 9.

Quibus tradit Apostolus:

1. Christum esse verum Dei filium. Nam non tantum eum in oppositione Moysis, quem fidelem famulum Dei quidem, non autem filium dicit [1]), Prophetarum et Angelorum, qui ipsum adorare jubentur, adeoque sensu eminentiori Filium Dei adpellat, sed et diserte docet, ipsum a Patre genitum esse, quum verbum יְלִדְתִּיךָ, quod per: *ἐγὼ γεγέννηκά σε*, exprimitur, alium sensum, quam: *ego te genui*, aut *tamquam a me genitum ostendi*, non admittat.

2. Esse Christum ejusdem cum Patre essentiae ac naturae, Deum verum. Dicit enim magnus Apostolus, a. illum esse *ἀπαύγασμα τῆς δόξης*, scilicet *τοῦ θεοῦ πατρὸς*, et *χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ*, seu, ut habet in epistola ad Colossenses, *εἰκόνα τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου*. Jam *ἀπαύγασμα* candorem, lucem emissam significat, quae cum luce emittente aperte unius, ejusdemque est naturae; unde, quum Filius dicatur splendor gloriae seu majestatis divinae, quae a natura una et individua, utpote simplicissima, non est diversa: ejusdem cum Patre essentiae seu naturae sit necesse est. Id ipsum autem pariter per verba: *χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως* et *εἰκὼν τοῦ θεοῦ* indicatur. Nam *χαρακτὴρ* proprie significat notam incisam, porro signum, quo una res ab altera distinguitur, deinde vero, ut etiam *εἰκὼν*, imaginem, in omnibus partibus perfecte exprimentem ac repraesentantem *τὸ ἀρχέτυπον*, illique congruentem, et hinc utraque vox etiam *τῇ σκιᾷ* opponitur. Unde ipse auctor epistolae ad Hebraeos scribit: ***Umbram, σκιὰν, habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem, τὴν εἰκόνα, rerum*** [2]). In hocce vero sensu vocabulum *χαρακτὴρ* accipiendum esse, alterum *συνώνυμον* enuntiationis membrum, porro argumentum totius pericopae, nec non adjectum: *τῆς ὑποστάσεως*, postulat; secus enim, si Apostolus verbis illis imaginem Dei substantialem, ipsam essentiam divinam referentem, indicare haud voluisset: non intelligeretur,

---

[1]) Hebr. 3, 5—6.

[2]) Hebr. 10, 1. Cf. Gregor. Naz. *Or. 36.* Opp. T. c. 523 s. — Athanas. *Cont. Arian. Or. 1. n. 20—21.* Opp. T. 1. P. 1. p. 424 s. — Cyrill. Alex. *Thesaur. Ass. 32.* Opp. T. 5. P. 1. p. 301. *In Joan. l. 2.* T. 4. p. 230. — Ambros. *De fid. l. 1. c. 7. n. 48—50.* Opp. T. 2. c. 453. — Hilar. *De Trinit. l. 11. n. 5.* Opp. T. 2. c. 377. *De Syn. s. de fid. Orient. n. 12—13.* Ib. c. 467.

quid additâ voce hac significare voluerit. Ita quoque non potest esse dubium, vocem *εἰκὼν* in loco epistolae ad Colossenses citato, eodem, et non alio sensu sumendam esse, quum hujus, Christum scilicet imaginem Dei invisibilis esse, statim causa ista addatur, in ipso condita esse universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, quod nonnisi ipsius divinitatis esse potest; quemadmodum et alibi gloriam, *τὴν δόξην*, Christo adscribit, quia est *imago Dei, εἰκὼν τοῦ Θεοῦ*[1]. — b. Deinde ait Doctor gentium, *in Christo inhabitare omnem plenitudinem divinitatis, πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος*, i. e. non portionem aliquam, sed totam divinitatem, et quidem *corporaliter, σωματικῶς*, leibhaftig, i. e. non *σχετικῶς, ἀλλ' οὐσιωδῶς*, ut scribit Oecumenius, seu *τῷ ὄντι*, wirklich, ganz eigentlich. Haec est enim loquendi ratio Pauli, qui statim inferius veritatem religionis Christianae in oppositione umbrarum antiqui Testamenti *corpus, τὸ σῶμα*, adpellat[2]. Quapropter et in mox praecedentibus dixerat, in Christo Jesu esse omnes thesauros sapientiae et scientiae absconditos, seu reconditos[3]. — c. Tum vocat Paulus Christum definite Deum ac Dominum sensu eminentissimo, atque, aeternum ac immutabilem esse, aperte praedicat. Ad Christum enim verba Psalmi refert: *Thronus tuus Deus in saeculum saeculi, etc.* Et iterum: *Tu in principio Domine terram fundasti, etc.*[4]. *Ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent: et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.*

---

[1] 2. Cor. 4, 4. Cf. Gregor. Naz. *Or.* 36. Opp. T. 1. c. 523 *s*. Qui scribit: *Imago (Dei mihi dici videtur), ut ejusdem cum Patre substantiae, et quia ex illo est, ut exemplar suum imitando referat. Quamquam hic imago exemplar suum expressius refert. Illic enim rei vivae ac motu praeditae mortua et motus expers imago est: hic autem vivi exemplaris viva quoque est effigies, multoque minus a Patre differens, quam Seth ab Adamo, filiusque omnis a parente suo. Hujusmodi namque simplicium rerum natura est, ut non partim inter se similes sint, partim dissimiles, sed totae totas repraesentent, eaedemque potius sint quam similes.* — Augustin. *L. 83. quaest. q. 74.* Opp. T. 6. c. 66. *Retract. l. 1. c.* 26. T. 1. c. 39. *Qui (Unigenitus) tantummodo imago est, non ad imaginem.*

[2] Col. 2, 17.

[3] Col. 2, 3. Cf. Hug, Einleitung in die BB. des N. B. 2. Th. p. 294.

[4] Cf. Luc. 1, 76. Hebr. 8, 2. Matth. 5, 33. 21, 42. Marc. 5, 19. Act. 1, 24.

3. Christum causam, *τὸ ἀρχέτυπον* et finem rerum omnium finitarum esse, per quem et propter quem omnia condita sint et conserventur, quique nos Deo reconciliet. Creationem tribuit Christo Paulus verbis: *Per quem* (Filium) *fecit et saecula*, *τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν*, i. e. res in saeculo seu tempore exsistentes[1]). Porro scribens: *Tu in principio terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt coeli.* Nec non quum ait: *Quoniam in ipso condita sunt universa*, *ἐκτίσθη τὰ πάντα*, — *omnia per ipsum, et in ipso*, *δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτον*, i. e. propter eum, *creata sunt*, *ἔκτισται.* Quominus de morali mundi reformatione per Christum facta cogitemus, vocabulum *πάντα*, quod diserte omnibus omnino rebus creatis, sive coelestibus sive terrestribus, explicatur, nec non verbum *κτίζειν* nude sine ullo additamento, quo ad illam significationem restringeretur, positum nos prohibet[2]). Conservationem verbis: *Portans omnia verbo virtutis suae*, *φέρων τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ.* Atque: *Omnia in ipso constant*, *τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε.* Utraque autem, tam creatio quam conservatio, ad actiones divinas pertinet[3]), quemadmodum et gratiae divinae reconciliatio, quam Christo Apostolus attribuit verbis: *Purgationemque peccatorum faciens*, *δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν*[4]). Et hinc, quatenus est verus Deus, rerum omnium Dominus ac finis.

4. Christo etiam tamquam homini competere summam dignitatem, supremumque in res creatas dominium. Quapropter ipse haeres universorum constitutus, porro sedere ad dexteram majestatis in excelsis, in oppositione Angelorum ministrantium, atque primogenitus omnis creaturae, principium ac primogenitus ex mortuis, in omnibus primatum tenens dicitur, et ei summum cultum exhibendum esse docetur.

Hisce quam maxime congruunt, quae alibi in epistolis Paulinis de Jesu Christo occurrunt. Quando nimirum Apostolus relate ad Christum Deum Patrem sensu eminenti adpellat, et Christum Jesum eodem sensu Filium Dei, Fi-

---

1) Cf. Hebr. 11, 3. *Fide intelligimus, aptata esse saecula verbo Dei: ut ex invisibilibus visibilia fierent.*

2) Cf. Apoc. 4, 11.

3) Cf. Sap. 11, 26.

4) Cf. Cyrill. Alex. *Thes. Assert. 13.* Opp. T. 5. P. 1. p. 139.

lium Dei proprium aut Filium Dei perfectum in aeternum vocat[1]; ipsum esse, ait, *heri, et hodie*, ipsum *et in saecula*[2]: eum Dominum gloriae perhibet[3], *propter quem omnia, per quem omnia, et nos in illum*[4]; qui sit *Dominus vivorum et mortuorum*[5]: qui sit *sanctus, segregatus a peccatoribus*[6], nostraeque salutis ac sanctitatis auctor[7], et ideo Evangelium praedicantibus assistat, omnibusque necessariam gratiam largiatur[8], noster autem et judex exsistat, ante cujus *tribunal nos omnes manifestari oportet*[9]; in quem itaque credendum[10], sperandum[11], et qui ab omnibus, et quidem super omnia sit diligendus, ita ut nos a charitate Christi neque tribulatio, neque angustia, neque fames, neque nuditas, neque periculum, neque persecutio, neque gladius, neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia separet[12]; cujus nomen propterea a fidelibus invocetur[13]: a quo, uti a Deo Patre, nobis *gratia et pax* contingat[14], cuique tribuenda sit *gloria in saecula saeculorum*[15]. Quae omnia totidem sunt tam aperta ac luculenta divinitatis Filii seu Jesu Christi documenta, ut nonnisi ab iis, qui in meridiana luce coecutire malunt, rejici queant.

---

[1]) 2. Cor. 11, 31. Gal. 4, 4. Rom. 1, 3. 4. 4, 8. 8, 32. 1. Cor. 1, 9. 15, 28. Gal. 2, 20. Col. 1, 13. Hebr. 4, 14. 5, 8. 7, 28. 10, 29.

[2]) Hebr. 13, 8.

[3]) 1. Cor. 2, 8.

[4]) Hebr. 2, 10. 1. Cor. 8, 6.

[5]) Rom. 14, 9. 1. Cor. 15, 17.

[6]) 2. Cor. 5, 21. Hebr. 4, 15. 7, 26.

[7]) 1. Cor. 1. 2. Cf. Rom. 10, 12. 13. Gen. 4, 26. Jer. 10, 25.

[8]) 2. Tim. 4, 7. Ephes. 2, 21. 22. 3, 17. 2. Thess. 2, 15 s. 1. Thess. 3, 11. 12.

[9]) 2. Cor. 5, 10. Rom. 14, 10. Act. 17, 31.

[10]) Act. 20, 21.

[11]) 1. Tim. 1, 1. Col. 1, 27. Rom. 15, 12.

[12]) 1. Cor. 16, 22. Rom. 8, 35 ss.

[13]) Hebr. 2, 10. 11.

[14]) Rom. 1, 7. 16, 20. 16, 24. 1. Cor. 1, 3. 16, 23. 2. Cor. 1, 2. 13, 13. Gal. 1, 3. 6, 18. Ephes. 1, 2. 6, 23. Phil. 1, 2. 4, 23. Col. 1, 3. 1. Thess. 1, 1. 5, 28. 2. Thess. 1, 2. 1. Tim. 1, 2. 4, 22. 2. Tim. 4, 18. Hebr. 13, 21.

[15]) 2. Tim. 4, 18. Hebr. 13, 21.

§. 40. δ. Apostolorum universim.

Nec non Apostoli cuncti in illa oratione, qua ante electionem Matthiae Christi Domini opem implorant, ipsius divinitatem palam fatentur, quum ajunt: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum, etc.* [1]); nam illum non tantum Dominum cum excellentia adpellant, quo nomine Judaei nonnisi Jehovam insignire consueverant [2]), sed et scrutatorem cordium esse dicunt, qui secundum SS. Litteras solummodo omniscius Deus est [3]).

Deinde, ut Joannes et Paulus, ita et reliqui discipuli Domini ubique, Jesum Filium Dei sensu eminenti esse tradunt, adeo, ut fides haec, *Filium Dei esse Jesum Christum,* primum, ut ita dicamus, Ecclesiae Symbolum sit [4]); qui in terram *desursum, de coelo* venerit, et *super omnes* sit, ut Joannes B. loquitur [5]), *omniumque Dominus,* ut ait Petrus [6]): atque qui omnia sciat, hominumque cogitationes videat [7]). Porro eum sanctum ac justum κατ' ἐξοχήν vocant [8]), atque *auctorem vitae* perhibent, *in quo oporteat nos salvos fieri* [9]); qui sit *in dextera Dei deglutiens mortem, ut vitae aeternae haeredes efficeremur* [10]), atque *constitutus a Deo judex vivorum et mortuorum* [11]). In Christi nomine denique miracula patrant [12]), ipsi morientes se commendant [13]), eumque esse docent, cui debeatur *gloria, et imperium in saecula saeculorum* [14]).

---

1) Act. 1, 24 s.
2) Cf. Luc. 1, 76.
3) Cf. Act. 15, 8.
4) Cf. Act. 8, 35—38. 16, 31. 1. Petr. 1, 8—9.
5) Joan. 3, 31.
6) Act. 10, 36.
7) Joan. 16, 30. Matth. 9, 4. Cf. 12, 25. Marc. 2, 8. Luc. 6, 8. 9, 47. Joan. 2, 24 s. 13, 11. 1, 47—50. 4, 17—18.
8) Act. 3, 14. 7, 52. 1. Petr. 2, 22. 1, 19.
9) Act. 4, 12.
10) 1. Petr. 3, 22.
11) Act. 10, 42.
12) Act. 3, 6. 7. 12 ss. 4, 10.
13) Act. 7, 58 s.
14) 1. Petr. 4, 11.

Observ. 1. Verum licet Filius Dei seu Jesus Christus unius sit naturae ac substantiae cum Patre, atque aeque ac Pater Deus vivus et verus: potest tamen Deus Pater, quoniam Filius et Spiritus S. ab ipso procedunt, atque cum illo unum sunt, solus una loco Filii et Spiritus S. poni, praecipue ubi non relatio Patris ad Filium aut Spiritum S., sed Dei ad res creatas respicitur, vel vero hic falsis diis opponitur. Quo sensu Christus Patrem solum Deum verum dicit, quum ait: *Haec est vita aeterna: Ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum*, i. e. id ad veram salutem homines ducit, ut credant, non multos deos, sed te Patrem, mecum et Spiritu S. unum, solum esse verum Deum, et simul agnoscant, quem misisti, me Filium tuum, hominem factum, Messiam promissum, Redemtorem mundi[1]. Itaque verbis illis multitudinem substantiarum divinarum, nequaquam autem trinitatem divinarum personarum, aut suam et Spiritus S. divinitatem negat. — Simili sensu Paulus, unum esse Deum Patrem, ait, dum scribit: *Nobis tamen unus est Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum: et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum*[2]. Nam etiam hic dictio: *εἷς Θεός*, ad Deum, quatenus Gentilium opponitur diis, nequaquam autem quatenus opponitur Filio et Spiritui S., refertur, hoc sensu: Nobis tantum unus est Deus, qui est Pater, cum Filio et Spiritu S. unum Numen, a quo omnia originem suam repetunt. Loquitur enim Paulus diserte in mox praecedentibus de iis, qui apud Gentiles dii et domini habebantur. *Nam etsi*, inquit, *sunt, qui dicantur dii, sive in coelo, sive in terra, siquidem sunt dii multi, et domini multi*[3]. Porro si verba illa merito plus premerentur, atque Patrem in iisdem Filio opponi contenderetur: inde quoque eodem prorsus jure statuendum foret, Patrem non esse Dominum, quum eadem omnino ratione illis, uti Pater unus Deus, ita et Christus solus declaretur Dominus; quod tamen nemo sanus affirmare ausus fuerit. Sicut ergo Paulus, cum Christum unum ait esse Dominum, non negat domi-

---

[1]) Cf. Athanas. *Or. 3. cont. Arian. n. 3.* Opp. T. 1. P. 1. p. 558. — Epiphan. *Haer. 69. n. 32.* Opp. T. 1. p. 755. *Ancor. n. 2.* T. 2. p. 7. — Gregor. Naz. *Or. 36.* Opp. T. 1. c. 519. — Basil. *Cont. Eunom. l. 4. in Joan. 17, 3.* Opp. T. 1. p. 294. — Cyrill. Alex. *Thes. Assert. 27.* Opp. T. 4. P. 1. p. 247. — Ambros. *De fid. l. 5. c. 1. n. 18—20.* Opp. T. 2. c. 554. — Hilar. *De Trinit. l. 9. n. 28 ss.* Opp. T. 2. c. 279 ss. — Augustin. *Cont. serm. Arian. c. 1.* Opp. T. 8. c. 625. *Cont. Maximin. l. 2. c. 15. n. 4.* Ib. c. 711 s.

[2]) 1. Cor. 8, 6.

[3]) V. 5.

nium Patris, ita cum Patrem unum dicit Deum, non inficiatur divinitatem Filii; sed quemadmodum Jesus, ita et Paulus, Patrem solum Deum adpellat, non quod excludantur Filius et Spiritus S., sed quia Pater est fons et origo totius divinitatis, a quo procedunt Filius et Spiritus S., ipse autem a nullo. Videtur autem Apostolus ideo paulo obscurius ac tectius summum et ab omni communi fide alienissimum dogma Christianae religionis attigisse, ne cum Deum ac Deum, Dominum ac Dominum audirent Corinthii, polytheismo assueti, plures esse deos suspicarentur [1]). Quae causa quoque est, quare Apostoli passim inprimis adlaborent, ut discipulis suis ante omnia de Christo Legato divino ac promisso Messia persuadeant [2]), lac iis praebentes, donec in fide magis confirmati escae ac cibo solido recipiendo essent idonei [3]). — Eo minorem difficultatem parere possunt verba ejusdem Apostoli: *Unus Deus, et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis* [4]). Nec non illa: *Soli sapienti Deo, — honor, et gloria.* Nam in utroque loco manifeste de Deo, quem Apostolus ob creationem, curamque providam ac paternam in nos beneficentiam Patrem vocat, quoad substantiam sermo est [5]). — Simili modo interpretanda sunt illa loca, ubi Deus solus adorandus [6]), Deus unus diligendus [7]) praedicatur.

2. Porro Christus non tantum Deus, sed et simul homo est; et propterea de ipso non tantum divina, sed et humana memoriae in SS. Litteris produntur, quin haec ejus divinae naturae obesse queant; eodem fere modo, quo homo idem et mortalis dicitur et immortalis. — Inde sequentia loca, et similia lucem acquirunt: *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me,* i. e. non est mea, quatenus sum homo, pro quo duntaxat me habetis, adeoque mere humana, et a doctrina Patris diversa, sed eidem plane consentiens, imo eadem omnino [8]). — *Verumtamen non sicut ego volo* (qua homo), *sed sicut tu* [9]). — *Qui credit in me, non credit in me* (hominem, quem me merum esse mundus opinatur), *sed in*

---

[1]) Cf. Chrysostom. *Hom. 10. in 1. Cor. (8, 5—6). n. 3.* Opp. T. 10. p. 173.

[2]) Cf. Act. 2, 14 ss. 4, 8 ss. 5, 29 ss. 10, 34 ss. 17, 13.

[3]) Cf. 1. Cor. 3, 2.

[4]) Ephes. 4, 6.

[5]) Rom. 16, 27.

[6]) Matth. 4, 10. Joan. 4, 23 s.

[7]) Marc. 12, 29 s.

[8]) Joan. 7, 16—18.

[9]) Matth. 26, 39.

eum, qui misit me, a quo procedens in mundum veni, cujusque qua homo Legatus sum [1]). — Eodem prorsus sensu quoque dicit Jesus, se non a se ipso venisse [2]), suam voluntatem [3]), et suam gloriam non quaerere [4]); atque item ait: *Pater major me est*, scilicet respectu gloriae, quatenus ego sum homo [5]). *Sedere ad dexteram, vel sinistram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*, i. e. non est humanae potestatis ac libidinis, ut vos arbitramini, sed sapientiae divinae, omnia disponentis [6]). *De die autem illo, vel hora nemo scit*, scientia scilicet hominibus communicanda, *neque Angeli in coelo, neque Filius*, quatenus qua homo est Legatus divinus, quum illa soli Patri quasi sit reservata [7]). Quo sensu etiam Apostoli verba Salvatoris accipere debebant, quum partim scirent, eum omnia nosse, partim quia de adventu suo ita disseruerat, ut advertere ipsi necessario deberent, etiam temporis momentum ejusdem ei prorsus non esse incognitum [8]). — Simili ratione porro intelligenda sunt quaedam dicta Apostolorum, ut illud Pauli: *Humiliavit semetipsum, factus obediens*, tamquam homo, *usque ad mortem, mortem autem crucis* [9]). Et: *Caput Christi*, tamquam hominis, *Deus* [10]). Nec non loca illa, ubi Christus Jesus *homo*, et quidem cum excellentia, i. e. homo ille perfectus, qui simul Deus est, et qua talis Mediatoris nostri partes et functiones secundum naturam humanam obit [11]); et ubi preces ad Patrem fudisse, videlicet tamquam homo, seu, ut ait Paulus, *in diebus carnis suae*, commemoratur [12]). — Huc quoque pertinent verba Christi ad juvenem, ipsum Magistrum bonum salutantem, dicta: *Quid me dicis*, quem scilicet merum hominem habes, *bonum? Nemo bonus nisi unus Deus.* Aut ergo me bonum

---

[1]) Joan. 12, 44.
[2]) Joan. 7, 28.
[3]) Joan. 5, 30.
[4]) Joan. 8, 50.
[5]) Joan. 14, 28.
[6]) Matth. 20, 23.
[7]) Marc. 13, 32.
[8]) Cf. Matth. 24, 27 ss. Luc. 21, 25 ss.
[9]) Philipp. 2, 8.
[10]) 1. Cor. 11, 3. Cf. 1. Cor. 3, 23.
[11]) Act. 2, 22. 17, 31. Rom. 5, 15. 1. Cor. 15, 21. 1. Tim. 2, 5. Cf. Dionys. Alex. *Epist. cont. Paul. Samos. Resp. ad. q. 7.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 1. c. 1070 ss.
[12]) Matth. 24, 26. 39. 42. 44. Luc. 22, 41 s. 23, 46. Joan. 17, 1 ss. 11, 42. Hebr. 5, 7.

ne adpelles, aut vero Deum confitere [1]). Nec non locus epistolae prioris ad Corinthios: *Omnia subjecta sunt ei* (Christo), *sine dubio praeter eum, qui subjecit ei omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia: tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* [2]). Quibus Apostolus significat, Ecclesiam hisce in terris, licet Christus pro ea mortuus sit, et post resurrectionem suam veiut primitias mortuorum semet Patri obtulerit, nondum esse consummatam ac perfectam, atque a morte ac insidiis diaboli tutam; et ideo adhuc porro gubernatione Christi Domini, qui caput ejus est ac Rex, indigere, huncque etiam posthac munus suum Messianum sustinere; in futura autem universali resurrectione Christum Ecclesiam sanctam, omnino et penitus gloriosam, morte prorsus destructâ, Deo exhibiturum, ita ut Deus integrum Ecclesiae triumphantis corpus possideat, et ab eo possideatur. Loquitur itaque Paulus solummodo de fine muneris Messiani, quatenus constat in munere Christi apud Patrem intercedendi, et Ecclesiam in terris gubernandi, quod in fine saeculorum, genere humano finem suum consecuto, etiam finietur.

3. Tandem de Christo etiam ad nostrum cogitandi modum dici possunt, et revera dicuntur, quae de eo, in se considerato, minime proferri possent, simili ratione, quemadmodum e. g. Deus in Genesi Abrahamum alloquens hisce verbis inducitur: *Nunc cognovi, quoniam times Deum* [3]); et prout nos externa phaenomena, non pro eorum veritate, sed ad speciem, qua nobis repraesentantur, passim describere solemus. Ita interpretanda sunt omnia loca, in quibus legitur, Christum qua Dei Filium semetipsum exinanivisse, semetipsum humiliasse [4]), a Patre missum esse [5]), mandatum a Patre accepisse [6]), Patrem omnia in manu ejus dedisse [7]), et omnia ei demonstrare [8]), illum scilicet generando, et per generationem ipsi naturam divinam, et cum hac omnem scientiam et potentiam communicando, et ejusmodi; etsi haec etiam ad Jesum, quatenus tamquam homo Legatus divinus est, referri possunt [9]).

---

1) Marc. 10, 18. Matth. 19, 17. Luc. 18, 19. Cf. Augustin. *Cont. Maximin. l. 2. c. 22. n. 5.* Opp. T. 8. c. 731. — Ambros. *De fid. l. 2. c. 1. n. 16—19.* Opp. T. 2. c. 474.

2) Cor. 15, 27—28.

3) Gen. 22, 2.

4) Philipp. 2, 7.

5) Joan. 3, 17.

6) Joan. 10, 18.

7) Joan. 3, 35.

8) Joan. 5, 20.

9) Cf. Joan. 11, 42. 17, 3. etc.

4. Prorsus nullam difficultatem autem pariunt verba, quibus Mariam Magdalenam affatus est Dominus: *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum* [1]). Nam Christus non eadem ratione Patrem coelestem Patrem et Deum suum ac discipulorum adpellat, alioquin dicere debuisset: *Patrem et Deum nostrum;* sed sensus hujus effati nullus alius est, quam: Ascendo ad eum, qui summa benevolentia et infinito amore me, et etiam vos complectitur.

§. 41. B. Testimonia ex Traditione petita.

Quae fuerit Christi et Apostolorum doctrina, quis S. Scripturae sensus, quod ad sacra dogmata attinet, tuto colligimus, prae omnibus ex primis Ecclesiae Christianae Magistris, qui Christi et Apostolorum aetati propiores, vel auditores fuerunt discipulorum Christi Domini, vel instituti ab his, qui doctrinam coelestem ex ore Apostolorum hauserant. Atqui

a. si veteres illos divinae doctrinae testes audimus: de vera Christi divinitate dubitare non sinimur; tam multa, tamque perspicua ipsi reliquere illius veritatis documenta. In medium autem dumtaxat proferimus testimonia SS. Patrum, qui vixerunt ante Concilium Nicaenum I.; nam fidem in Dei Filium Patri consubstantialem inde ab hacce Synodo in Ecclesia semper viguisse, ne ipsi adversarii quidem inficiantur. Inter hos jam auctor epistolae, cui nomen Barnabae est inscriptum, Christum *Dei Filium, verum Deum, Patri coaeternum* praedicat, *qui in carne apparuit, ut nos servaret a peccatis* [2]). — Hermas per similitudinem de duabus in Christo naturis, divina nempe et humana, disserit, atque de ipso ait: *Nomen Filii Dei magnum est et immensum, et totus ab eo sustentatur orbis* [3]). — Clemens Romanus, Pauli socius in Apostolatu, tertius a B. Petro Romae Pontifex († a. 101), scribit, oportere nos sentire de Christo *tamquam de Deo, ac de judice vivorum et mortuorum* [4]), ipsumque *Sceptrum majestatis Dei* esse dicit [5]). — Ignatius, Joannis A. discipulus et Episcopus Antio-

[1]) Joan. 20, 17.
[2]) *N. 5—7.* Coteler. *PP. apost.* Amstel. 1724. V. 1. p. 15 ss.
[3]) *L. 3. Simil. 9. n. 2. 12. 14.* Ib. p. 115. 118. 119.
[4]) *2. Cor. n. 1.* Ib. V. 1. p. 185.
[5]) *1. Cor. n. 16.* Ib. p. 156.

chenus, († a. 107), scribit in epistola ad Ephesios: *Medicus autem unus est, et carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus, seu factus et non factus, in homine exsistens Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo, primum passibilis et tunc impassibilis, Jesus Christus Dominus noster*[1]. — *Deus enim noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria, juxta dispensationem Dei, ex semine Davidis, Spiritu autem S.*[2]. — In epistola ad Magnesianos: *Unus Deus est, qui se ipsum manifestavit per Jesum Christum Filium suum, qui est Verbum ipsius aeternum, non a silentio* (ex nihilo) *progrediens*[3]. — In epistola ad Romanos: *Deus noster Jesus Christus in Patre exsistens*[4]. — In epistola ad Smyrnaeos: *Glorifico Jesum Christum Deum, qui tanta vos sapientia donavit*[5]. — Et in epistola ad Polycarpum: *Opto vos valere semper in Deo nostro Jesu Christo*[6]. — Polycarpus, Ignatii discipulus et Episcopus Smyrnensis († 167), in oratione dicta, antequam rogo imponeretur, ait: *Domine Deus omnipotens, Pater dilecti ac benedicti Filii tui Jesu Christi, — de omnibus laudo te, glorifico te, cum sempiterno et coelesti Jesu Christo, dilecto tuo Filio; cum quo tibi et Spiritui S. gloria, et nunc et in futura saecula. Amen*[7]. — Ecclesia Smyrnensis: *Ignari* (Judaei,) *quod nec Christum unquam derelinquere poterimus, qui pro salute omnium, qui in toto mundo salvi fient, passus est; inculpatus, pro peccatoribus; nec alium quemquam colere. Illum siquidem, utpote Filium Dei, adoramus: martyres vero tamquam Domini discipulos et imitatores, merito diligimus, propter illorum erga suum regem ac magistrum benevolentiam eximiam*[8]. Et epistolam finientes: *Valere vos optamus, fratres, ac incedere in evangelico sermone Jesu Christi; cum quo gloria Deo et Patri, et Spiritui S., ob sanctorum electorum salutem; quemadmodum*

---

1) *N. 7.* Ib. V. 2. p. 13.
2) *N. 18.* p. 15 *s.*
3) *N. 8.* p. 19. Cf. *n. 6. 7. 13.* p. 19. 21.
4) *N. 3.* p. 27. Cf. *n. 6.* p. 28 *s.*
5) *N. 1.* p. 33.
6) *N. 8.* p. 42.
7) *Epist. Eccles. Smyrn. de martyr. S. Polycarp. n. 14.* Ib. p. 200 *s.* Cf. *n. 9.* p. 198. *n. 20 s.* p. 203.
8) *N. 17.* Ib. p. 202.

martyrium pertulit beatus Polycarpus; ad cujus vestigia contingat, ut in regno Jesu Christi inveniamur[1]). — Justinus M. a. c. 103. natus, et 167. mortuus, e philosopho Christianus factus, qui sacram doctrinam non temere, sed post longas veritatis disquisitiones, annum agens circiter trigesimum, imbibit, atque et ore et scripto adversus Judaeos et Ethnicos defendit: *Qui (Filius) cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est. Ac prius quidem Mosi ac caeteris Prophetis in specie ignis et imagine incorporea visus est: nunc autem vestri imperii temporibus* (ad Antoninum Pium loquitur) *ex virgine homo factus secundum Patris voluntatem, pro eorum salute, qui illi credunt, et pro nihilo haberi et pati sustinuit, ut mortuus ac resurgens mortem vinceret*[2]). — Et: *Quis igitur sanae mentis homo non fateatur, atheos nequaquam nos esse, qui opificem hujusce universitatis colimus. — Nostrum autem — doctorem, natum ad hoc munus Jesum Christum ac sub Pontio Pilato — crucifixum, veri Dei Filium esse edocti, ipsumque secundo loco, Spiritum autem propheticum tertio habentes ordine, non sine ratione a nobis coli demonstrabimus*[3]). — Alibi: *Ejus (Dei) autem Filius, qui solus proprie Filius dicitur, Verbum, antequam mundus crearetur, quod et una cum eo aderat, et genitum est, cum per illud initio omnia condidit et ornavit*[4]). — Atque in dialogo cum Tryphone Jud.: *Trypho: Quod ais praeexstitisse Deum ante saecula hunc Christum, ac deinde etiam nasci hominem factum sustinuisse, nec hominem ex hominibus esse; id non solum ab opinione abhorrens mihi videtur, sed etiam stultum. Ad haec ego: Scio, inquam, hanc doctrinam ab opinione abhorrentem videri, praesertim vestri generis hominibus, qui quae Dei sunt, nec intelligere nec facere unquam voluistis, sed quae magistrorum vestrorum, quemadmodum ipse Deus clamat. Sed tamen, Trypho, nequaquam irritum et infectum erit, quod demonstravi, hunc esse Christum Dei, si demonstrare non possim* (vobis Judaeis ex testimoniis A. F.), *illum etiam praeexstitisse Filium Creatoris universorum, Deum exsistentem, et hominem ex Virgine genitum esse. Sed cum omnino demonstratum*

---

1) *N. 22.* p. 204.
2) *Apol. I. n. 63.* Opp. p. 84. C.
3) *Ib. n. 13.* p. 51.
4) *Apol. II. n. 6.* p. 96. Cf. *n. 13.* p. 101. C.

sit, hunc esse Christum Dei, qualiscumque sit (ex dictis hucusque); *si minus demonstravero, praeexstitisse, et hominem perpessionibus nostris obnoxium, et carnem habentem nasci, secundum Patris voluntatem sustinuisse; in hoc tantum aequum fuerit, me errasse dicere, nequaquam autem negare, eum Christum esse, etiamsi homo ex hominibus videatur, nec quidquam amplius demonstretur, nisi eum electione consecutum esse, ut Christus esset. Sunt enim quidam, amici* (ὦ φίλοι), *ex genere nostro* (haeretici videlicet, quos nostros adpellat, eos Judaeis et Paganis opponens), *qui eum Christum esse confitentur, quamvis hominem ex hominibus genitum pronuntient; quibus ego non assentior, nec assentirer, si maxima pars, quae mecum consentit, idem diceret: neque enim humanis doctrinis jussi sumus ab ipso Christo credere, sed iis, quae a beatis Prophetis praedicata et ab ipso tradita*[1]). — Et postquam id multis ostenderat[2]), concludit: *Ac Christum quidem Dominum et Deum, Dei Filium esse, et virtute prius apparuisse ut virum et angelum, et in gloria ignis, velut in rubo et in judicio de Sodomis facto, jam pluribus demonstratum est*[3]). Et interjectis aliquot iterum argumentis, ex A. F. depromtis: *Et cum haec dixissem, addidi: Intelligitis, auditores, siquidem animum advertitis, Scripturam declarare, progeniem ex Patre ante omnes omnino res creatas genitam esse. Porro genitum a gignente alium numero esse, quilibet fatebitur*[4]). — Athenagoras, e philosopho ethnico Christianus († c. a. 180.), in *Apologia*, seu *Legatione pro Christianis*, intra a. 177 et 180. scripta, quam Marco Aurelio obtulit et Lucio Aurelio Commodo, jam in regni partem assumpto: *Satis igitur demonstratum a me est, atheos nos non esse, qui unum ingenitum et aeternum tenemus Deum, invisibilem et impassibilem, qui nec capi aut comprehendi potest, qui sola mente et ratione cognoscitur, ac luce et pulchritudine, et spiritu et potentia non enarrabili circumdatus est, a quo denique omnia per ipsius Verbum et creata et ornata sunt, et conservantur. Agnoscimus enim et Dei Filium. Nec quisquam ridiculum existimet, suum Deo esse Filium.*

---

1) *N. 48.* p. 150—152.
2) *N. 49—127.* p. 152—233.
3) *N. 128.* p. 233.
4) *N. 129.* p. 235. Cf. *Epist. ad Diognet. n. 7—8.* Ib. p. 249—251.

Neque enim ut poëtae fabulantur, qui nihilo meliores hominibus inducunt deos, ita de Deo et Patre aut de Filio sentimus. Sed est Filius Dei Verbum (Λόγος) *Patris in idea et operatione; ab eo enim et per eum facta omnia, cum Pater et Filius unum sint. Cum autem Pater sit in Filio, et Filius in Patre, unitate et virtute spiritus, mens et Verbum Patris et Filius Dei. Quod si vobis pro summa vestra intelligentia inquirere subeat, quid sibi velit Filius: dicam breviter, primam esse Patris progeniem, non quod factus sit, ab aeterno enim Deus habebat in se ipso Verbum* (Λόγον), *utpote ab aeterno rationalis* (λογικὸς), *sed quod prodierit, ut omnium materialium rerum — idea et actus, ἰδέα, τὲ ἐνέργεια,* (i. e. ἀρχέτυπον et conditor) *foret. — Atque ipsum illum Spiritum, qui in Prophetis operatur, effluentiam Dei esse dicimus, emanantem et redeuntem, veluti radium solis. Quis igitur non miretur, cum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem, et Filium Deum et Spiritum S. asserunt, ac eorum et in unione potentiam* (δύναμιν, i. e. substantiam) *et in ordine distinctionem demonstrant*[1]). — Tatianus, Justini auditor et sectator, qui postea tamen ab Ecclesia discessit, († a. 175.) in *Oratione ad Graecos,* ante lapsum confecta: *Deus erat in principio: principium autem Verbi potentiam esse accepimus. Universorum enim Dominus, quatenus quidem mundus nondum erat creatus, solus erat; quatenus autem ipse potentia omnis, et eorum, quae videntur et non videntur, hypostasis sive sustentatio erat; omnia cum eo per rationalem potentiam sustentabat ipsum etiam illud Verbum* (Λόγος), *quod erat in eo. Voluntate autem simplicitatis ejus prosilit Verbum: Verbum autem non in vacuum progressum, fit opus primogenitum Patris. Hoc scimus esse mundi principium. Natum est autem per communicationem, non per abscissionem: nam quod abscissum est, a primo separatur. Quod autem per communicationem progreditur, voluntariam administrationem suscipiens, id eum non imminuit, ex quo desumtum est. Quemadmodum enim ex una face multi ignes accenduntur, nec tamen primae facis, ob plures accensas faces, lux imminuitur: sic Verbum ex Patris potentia prodiens, genitorem Verbi expertem non fecit*[2]). Et: *Non disipimus, o*

---

[1]) *N. 10.* Ib. p. 304 s. Cf. *n. 4, 12. 18. 24.* p. 300. D. 397. 312 s. 322.

[2]) *N. 5.* Ib. p. 261 s.

Graeci, nec nugas praedicamus, Deum sub hominis forma natum nuntiantes[1]). — Theophilus Antioch., e pagano Christianus, in pontificalem Antiochiae Sedem a. 168. evectus, († c. a. 186): *Habens Deus suum ipsius Verbum in propriis visceribus insitum, genuit illud cum sua Sapientia, proferens ante omnia. Hoc Verbo usus est administro operum suorum, et per illud omnia condidit. Vocatur principium, eo quod principatum habeat et dominatum eorum omnium, quae per ipsum creata sunt. Hic igitur cum sit Spiritus Dei et principium et sapientia et virtus Altissimi, descendebat in Prophetas, ac per eos de mundi creatione et caeteris rebus loquebatur; nondum enim erant Prophetae, cum mundus crearetur, sed tantum Sapientia Dei, quae est in eo, ac Sanctum Verbum ejus, quod ei semper adest*[2]). — Atque: *Sol imago Dei est, luna hominis. Et quemadmodum sol longe praestat luna, potestate et gloria, sic Deus longe praestantior humanitate. Et quemadmodum sol plenus semper manet, nec unquam minuitur, sic Deus semper perfectus manet ac plenus omni virtute, intelligentia, sapientia, immortalitate et omnibus bonis. Luna vero singulis mensibus minuitur et quodammodo interit, hominis similitudinem exhibens: deinde renascitur et crescit in exemplum futurae resurrectionis. Similiter tres illi dies, qui ante luminaria fuerunt, imago sunt Trinitatis, Dei, ejus Verbi, ejusque Sapientiae, quartus vero imago hominis, luce indigentis, ut sint Deus, Verbum, Sapientia, homo*[3]). — Irenaeus, ex Asia minori oriundus, Polycarpi discipulus, Presbyter et postea Praesul Ecclesiae Lugdunensis, († a. 203): *Ecclesia, tametsi per universum orbem usque ad extremos fines terrae dispersa, fidem eam ab Apostolis eorumque discipulis acceptam, quae est in unum Deum, Patrem omnipotentem, — et in unum Jesum Christum Filium Dei, nostrae salutis causa incarnatum, et in Spiritum S., qui per Prophetas Dei dispensationes et adventus praedicavit, et ortum ex Virgine, et passionem, et resurrectionem a mortuis, et cum carne in coelos ascensum dilecti Domini nostri Jesu Christi, et e coelo in gloria Patris adventum ipsius ad instauranda omnia, et a morte ad vitam revocandam omnem mortalium omnium carnem,*

---

1) *N. 21.* p. 278. Cf. *n. 7.* p. 263.

2) *Ad Autol. l. 2. n. 10.* Ib. p. 378 s.

3) *L. 2. n. 15.* p. 384 s.

ut Christo Jesu Domino nostro, et Deo, et Salvatori, et Regi, de benigna Patris invisibilis voluntate, omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et inferorum, et omnis lingua ei confiteatur, atque ipse justam de omnibus sententiam ferat, spiritualia videlicet nequitiae, et Angelos transgressores, quique perfide defecerant, impiosque item homines, et injustos, et flagitiosos, et blasphemos in ignem aeternum mittens; justis contra, et pietate praeditis, quique ipsius praecepta servaverunt, atque in ipsius charitate, partim jam inde ab initio, partim ex poenitentia persliterunt, vitam donet, atque incorruptibilitatem largiatur, gloriamque sempiternam afferat. Acceptam, inquam, hanc praedicationem ac fidem — Ecclesia — summo studio et cura — conservat[1]). Qui locus memoratu dignissimus est, quoniam Symbolum fidei Ecclesiae universalis saeculi secundi continet. Simili autem ratione S. Praesul etiam alibi per totum suum adversus haereses exaratum opus divinitatem Filii adserit, atque contra adversarios demonstrat, eumque modo *Dominum* ac *Deum*, uti Pater Dominus ac Deus est[2]), modo *exsistentem in principio ac semper apud Patrem*[3]), vel *Patri coëxsistentem*[4]), modo *Filium Dei, qui Deus est*[5]), porro *immensum Patrem in Filio mensuratum, mensuram enim Patris Filium, quoniam capit eum*[6]), aut qui *proprie Deus, ac Dominus, ac Rex aeternus, et Unigenitus, et Verbum incarnatum praedicatur et a Prophetis omnibus, et Apostolis, et ab ipso Spiritu S.*[7]), *per quem facta sunt omnia*[8]), quique *vere homo et vere Deus* exsistat[9]), et sic porro, dicit ac ostendit. — Hippolytus, Irenaei discipulus, Episcopus, ut fertur, et ob praeclaram fidei confes-

---

1) *Cont. haer. l. 1. c. 10. n. 1.* p. 48 *s.*

2) *L. 3. c. 6.* p. 180 *s.*

3) *L. 3. c. 18. n.* 1. p. 209. Cf. *l. 4. c. 14. n. 1.* p. 243. *l. 4. c. 20. n. 1. 3.* p. 253. *n. 7.* p. 255.

4) *L. 2. c. 30. n. 9.* p. 163. Cf. *c. 25. n. 3.* p. 153.

5) *L. 3. c. 20. n. 4.* p. 214.

6) *L. 4. c. 4. n. 2.* p. 231.

7) *L. 3. c. 19. n. 2.* p. 212.

8) *L. 3. c. 18. n. 1.* p. 209. Cf. *c. 11. n. 1.* p. 188. *c. 8. n. 3.* p. 183. *l. 4. c. 20. n. 1.* p. 253. *l. 2. c. 2. n. 5.* p. 118.

9) *L. 3. c. 9. n. 2—3.* p. 184 *s. c. 4. n. 2.* p. 178. *c. 16. n. 2.* p. 204. *l. 4. c. 9. n. 2.* p. 238. *l. 4. c. 33. n. 7.* p. 271. *l. 5. c. 1. n. 1.* p. 292.

sionem Martyr († c. a. 235.): *Qualem igitur Filium suum Deus per carnem misit, nisi Verbum, quod a principio scilicet Filium vocavit, quia futurum erat, ut ortum caperet. — Nec enim Verbum per se et sine carne, perfectus Filius erat, cum tamen esset perfectum Verbum, Unigenitus. Neque caro per se sine Verbo subsistere poterat, quia in Verbo habebat* σύστασιν (das Bestehen), *id est, in Verbo subsistebat*[1]). Et: *Deus Verbum e coelis descendit in Mariam sanctam Virginem, ut ex ea incarnatus sumta anima humana, rationis inquam participe, factus omnia, quaecumque homo est, excepto peccato. — Sicut ergo praedicatum est, sic praesens se ipsum manifestum fecit, ex Virgine et Spiritu S. novus homo factus: habens coeleste, quod paternum erat, tamquam Verbum; terrenum vero, tamquam ex vetere Adam per Virginem incarnatus. — Non enim per fictionem aut mutationem, sed vere factus est homo*[2]). Atque alibi ait, *Deum immensum simul et circumscriptum hominem existentem et intellectum utriusque perfecte perfectionem habentem*[3]). — Clemens Alexandrinus, ex ethnico philosopho Christianus, Pantaeni discipulus ac in schola Alexandrina successor, Presbyter pro re Christiana assidue laborans: *Noster autem paedagogus sanctus Deus Jesus, qui est lux omnis humani generis, Verbum*[4]). — *Nihil odio habet Deus: sed neque Verbum: utrumque* (uterque) *enim unum est* (ἓν γὰρ ἄμφω), *nempe Deus*[5]). — *Qui est universorum Deus, unus solus est, bonus, justus, opifex, Filius in Patre, cui gloria in saecula saeculorum. Amen*[6]). — Alibi dicit: *Perfectissima autem et sanctissima, et maxime principalis, et quae maxime imperat, et est maxime regia, et longe beneficentissima, est natura Filii, quae est soli omnipotenti propinquissima* (utpote quae est in ipso Patre). *Haec est maxima excellentia, quae omnia ordinat ex voluntate Patris, et optime gubernat*

---

1) *Cont. Noët. n. 15.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 2. p. 463. Cf. *7. 8. 11. 12. 14.* p. 458 ss. *Serm. in Elcan. et Ann.* Ib. p. 496.

2) *Ib. c. 17.* p. 463 s. Cf. *Demonstr. de Christ. et Antichr.* p. 417—442.

3) *Cont. Beron. et Helicon.* p. 466. Ap. Anastas. *Collect.* Ib. T. 13. p. 79.

4) *Paedag. l. 1. c. 7.* Opp. T. 1. p. 131. Cf. *c. 11.* p. 155 s.

5) *Ib. c. 8.* p. 135. Cf. *c. 9.* p. 142 ss. *c. 2—6.* p. 99 ss. *l. 3. c. 12.* p. 302 ss.

6) *Ib. c. 8.* p. 142.

universum, indefessa et inexhausta potestate cuncta operans, propterea quod agit arcanas respiciens notiones. Nunquam enim a sua excedit specula Dei Filius, ut qui non dividatur, non dissecetur, non transeat a loco ad locum, sit autem semper ubique, et contineatur nusquam: totus mens, totus lux paterna, totus oculus, qui omnia videt, omnia audit, scit omnia, potestate scrutatur potestates[1]. Atque iterum: *Quod* (Verbum), *quatenus olim ante jacta mundi fundamenta exsistebat, divinum rerum omnium principium fuit, etiamque nunc est: quatenus vero novissimis temporibus venerando illo et olim sancto Christi nomine appellari voluit, novum a me Canticum* (utpote quod bonum attulit nuntium remissionis peccatorum et regni Dei appropinquantis) *vocatur. Hoc igitur Verbum Christus non solum, ut olim essemus, causa fuit (nam ille tum erat in Deo), sed idem etiam bene esse nobis dedit, et jam nuper hominibus apparuit, qui solus uterque, Deus et homo, est, ut omnimodam nobis felicitatem daret. — Novum ergo canticum est Verbi, quod in principio et ante principium fuit, exortus, qui modo nobis effulsit. Modo enim apparuit, qui olim erat, Servator: apparuit, qui ens est in ente* (ὁ ἐν τῷ ὄντι ὤν); *Verbum nempe, quod apud Deum erat, et a quo facta sunt omnia, Praeceptoris habitu apparuit*[2]. — *Crede, homo, homini et Deo. Crede, homo, Deo viventi, qui passus est, et adoratur. Credite, servi, mortuo. Credite ei, universi homines, qui solus est Deus ex universis hominibus*[3]. — *Nec enim tam exiguo temporis spatio tantum opus absque divina providentia perfecit Dominus, qui specie tenus despectus, re ipsa adoratus est; expiator, servator, mansuetus, divinum Verbum; verus sine controversia Deus, cum Domino totius universitatis adaequatus, quoniam ejus Filius erat, et Verbum erat in Deo*[4]. — Origenes, ob laboris instantiam et invictam animi fortitudinem Adamantius cognominatus, filius

---

1) *Strom. 7. c. 2.* T. 2. p. 831.
2) *Cohort. ad Gent. c. 1.* p. 6 s.
3) *Ib. c. 10.* p. 84.
4) *Ib.* p. 86. Cf. etiam *Strom. l. 2. c. 15.* p. 466. *l. 4. c. 17. 25.* p. 6. 11. 635. *l. 5. c. 1.* T. 2. p. 643. etc.

Leonidae Martyris, omnium aetatis suae doctorum virorum facile princeps, († a. 253.): *Species vero eorum, quae per praedicationem Apostolicam manifeste traduntur, istae sunt: Primo quod unus Deus est, qui omnia creavit atque composuit, quique cum nihil esset, esse fecit universa, Deus a prima creatura et conditione mundi, omnium justorum Deus —: et quod hic Deus in novissimis diebus, sicut per Prophetas suos ante promiserat, misit Dominum nostrum Jesum Christum, primo quidem vocaturum Israël, secundo vero etiam gentes post perfidiam populi Israël. Hic Deus justus et bonus Pater Domini nostri Jesu Christi legem et prophetas et evangelia ipse dedit, qui et Apostolorum Deus est, et veteris et novi Testamenti. Tum deinde, quia Jesus Christus, ipse qui venit, ante omnem creaturam natus ex Patre est. Qui cum in omnium conditione Patri ministrasset* (non tamquam servus, sed tamquam proprius Patris Filius), *per ipsum enim omnia facta sunt, novissimis temporibus, seipsum exinaniens homo factus incarnatus est, cum Deus esset, et homo factus mansit, quod erat Deus. Corpus assumsit nostro corpori simile, eo solo differens, quod natum ex Virgine et Spiritu S. est. Et quoniam hic Jesus Christus natus et passus est in veritate, et non per phantasiam communem hanc mortem sustinuit, vere mortuus: vere enim a mortuis resurrexit, et post resurrectionem conversatus cum discipulis suis, assumptus est. Tum deinde honore ac dignitate Patri ac Filio sociatum tradiderunt Spiritum Sanctum*[1]). Et: *Primo illud nos oportet scire, quod aliud est in Christo deitatis ejus natura, quod est unigenitus Filius Patris: et alia humana natura, quam in novissimis temporibus pro dispensatione suscepit. — Si semel recte receptum est, unigenitum Filium Dei sapientiam ejus esse substantialiter subsistentem, nescio, si jam ultra evagari sensus noster debeat ad suspicandum, ne forte ipsa ὑπόστασις, id est substantia ejus, corporeum aliquid habeat, cum omne, quod corporeum est, vel habitu, vel colore, vel magnitudine designetur. — Extra omne, quod vel dici, vel intelligi potest, initium generatam esse credendum est Sapientiam. — Verbum Dei eam* (*sapientiam*) *esse, intelligendum est per hoc, quod ipsa caeteris*

---

1) *De princ. praef. n. 4.* Opp. T. 1. p. 47 s.

omnibus, id est universae creaturae mysteriorum et arcanorum rationem, quae utique intra Dei sapientiam continentur, aperiat: et per hoc Verbum dicitur, quia sit tamquam arcanorum mentis interpres. Unde et recte mihi dictus videtur sermo ille, qui in actibus Pauli scriptus est, quia „hic est verbum animal vivens.“ Joannes vero excelsius et praeclarius in initio Evangelii sui dicit, propria definitione Deum esse definiens Verbum, dicens: „Et Deus erat Verbum.“ — Qui autem initium dat Verbo Dei, vel sapientiae Dei, intuere, ne magis in ipsum ingenitum Patrem impietatem suam jactet, cum eum neget, semper Patrem fuisse, et genuisse Verbum, et habuisse sapientiam in omnibus anterioribus, vel temporibus, vel saeculis, vel si quid illud est, quod nominari potest. — Infandum autem est et illicitum, Deum Patrem in generatione unigeniti Filii sui atque in substantia ejus exaequare alicui vel hominum vel aliorum animantium generanti; sed necesse est, aliquid exceptum esse Deoque dignum, cum nulla prorsus comparatio, non in rebus solum, sed ne in cogitatione quidem, vel sensu inveniri potest, ut humana cogitatio possit apprehendere, quomodo ingenitus Deus pater efficitur unigeniti Filii. Est namque ita aeterna ac sempiterna generatio, sicut splendor generatur ex luce. Non enim per adoptionem spiritus Filius fit extrinsecus, sed natura filius est. — Ut autem unam et eamdem omnipotentiam Patris ac Filii esse cognoscas, sicut unus atque idem est cum Patre, Deus et Dominus, audi hoc modo Joannem in Apocalypsi dicentem: „Haec dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens.“ Qui enim venturus est, quis est alius nisi Christus? Et sicut nemo debet offendi, cum Deus sit Pater, quod etiam salvator est Deus: ita et cum omnipotens dicitur Pater, etiam nullus debet offendi, quod etiam Filius omnipotens dicitur [1]). — **Gregorius Thaumaturgus,**

---

1) *De princ. l. 1. c. 2. n. 1—4. 10.* Opp. T. 1. p. 53—55. 58. Cf. *l. 4. n. 28.* p. 189 *s. n. 29.* p. 190. c. 2. *Cont. Cels. l. 5. n. 24.* T. 1. p. 596. *l. 2. n. 9.* p. 393. *l. 6. n. 17.* T. 1. p. 643. *n. 47.* p. 669. *n. 64.* p. 684. *n. 73.* p. 687. *l. 8. n. 9.* p. 749. *n. 13.* p. 751 *s. n. 14.* p. 752. *n. 67.* p. 792. *In Gen. l. 1.* T. 2. p. 1. *In Exod. Hom. 9. n. 3.* T. 2. p. 163. c. 2. E. *In Num. Hom. 11. n. 8.* T. 2. p. 310. c. 1. *Hom. 1. n. 11. 13.* p. 488. *In Ps. 1. n.* 2. T. 2. p. 526. *In Jer. Hom. 9. n. 4.* T. 3. p. 181 *s. Hom. 8. n. 2.* p. 171. *Hom. 17. n. 4.*

Origenis discipulus († c. a. 265.): *Unus Deus Pater Verbi viventis, Sapientiae subsistentis et potentiae ac characteris sempiterni: perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus solus ex solo, Deus de Deo. Character et imago deitatis. Verbum efficax. Sapientia constitutionis rerum comprehensiva: et virtus atque potentia universae creaturae effectiva. Filius verus veri Patris, invisibilis ejus, qui est invisibilis, et incorruptibilis corruptioni non obnoxii, ac immortalis mortis prorsus nescii, et sempiternus sempiterni* [1]). — Dionysius, Alexandriae Episcopus, de vera fide propaganda vehementissime sollicitus: *Qui ex Deo est ante saecula genitus, ipse extremis temporibus ex matre natus est. Idcirco Deicidae sunt Judaei, quia Dominum gloriae crucifixerunt. Nisi enim fuisset Christus idem, qui erat Deus Verbum, non poterat esse alienus a potestate peccandi. Nemo enim est, qui peccare non possit, nisi unus Christus, sicut et Pater Christi, et S. Spiritus* [2]). Et iterum: *Scripsi, et scribo, et confiteor ac credo, et praedico coaeternum Patri Christum unigenitum et Verbum Patris* [3]). — Methodius, primum Olympi Lyciae, deinde Tyri in Phoenicia Episcopus, qui Martyr pro Christo occubuit c. a. 311.: *Decebat enim primogenitum Dei, ac unigenitum germen (id est Sapientiam) primum formato primoque ac primogenito hominum generis homini admixtum hominem fieri. Id enim Christum esse, hominem pura perfectaque deitate plenum, et Deum, qui in homine capiatur* (seu *hominis forma indutum*). — *Consentaneum quippe fuit, non ab alio vinci diabolum, quam ab illo ipso, quem a se seductum*

---

p. 238. *In Matth. t. 14. n. 7.* T. 3. p. 622 s. *t. 12. n. 6.* p. 519. *In Matth. Serm. n. 86.* p. 889. E. *In Joan. l. 1. n. 32.* T. 4. p. 33. *t. 6. n. 22.* p. 137. *t. 1. n. 11.* p. 11 s. *t. 2. n. 3. 18. 21.* p. 51 ss. 76. 78 s. *t. 32. n. 18.* p. 449. *t. 10. n. 30.* p. 212. etc. Ex hisce locis, ubi tam clare ac perspicue Origenes divinam Filii adstruit naturam, quae alibi, inter θεός et ὁ θεός discernens, de illo minus recte disputare videtur, explicanda vel corrigenda erunt. Cf. Athanas. *De decret. Nic. Syn. n. 27.* Opp. T. 1. P. 1. p. 232 s.

1) *Expos. fid.* In Mansi. *Coll. Conc.* T. 1. c. 1029. — Gregor. Nyss. *Vit. Greg. Thaumat.* Opp. Par. 1615. T. 2. p. 978.

2) *Epist. cont. Paul. Samos.* In Mansi. *Coll. Conc.* T. 1. c. 1046. D. s.

3) *Ib. Resp. ad q. 10.* c. 1082 s.

suae se tyrannidi subjecisse gloriabatur. Nam neque aliter solvi peccatum, et damnationem aboleri possibile erat, nisi rursus ille ipse homo, ob quem dictum erat: „Terra es, et in terram reverteris,“ reformatus (s. *denuo formatus*), *quae ejus reatu in omnes perraserat, sententiam antiquasset: ut sicut prius in Adam omnes moriebantur, sic et in Christo rursus, qui Adamum assumsisset, omnes vivificarentur* [1]). In Filii Dei Incarnatione ergo et morte Dei-hominis conditionem videt restaurationis generis humani, quae hodie fit in Ecclesia. *Adamus olim in somno, quem Deus ipsi immisit, carne sua et osse exutus est, et inde mulierem sociamque recepit; Christus, alter Adam, ipse in cruce se anima exuit, et ex substantia ejus (i. e. Paracleto, qui ex eo procedit,) nascitur Ecclesia, quae inde recte dicatur esse carnem de carne sua et os de ossibus suis* [2]). — Prae aliis autem de Christi divinitate et humanitate diserte loquitur Athanasius in singulari quodam libro, quem inscripsit: *Oratio de humana natura a Verbo assumta, et de ejus per corpus ad nos adventu* [3]). Magnificentissima tota haec commentatio est. Accedunt porro alia ejusdem generis opuscula: *Contra Arianos, Contra Appollinarium, De Trinitate et Spiritu S.*, etc.. Insuper omnibus notum est, quanta pars Athanasius, licet adhuc Diaconus, Synodi Nicaenae fuerit, in qua solenniter definitum est, ut statim dicetur, Filium Patri esse consubstantialem. — Tertullianus, rhetorices primum magister et causidicus, tum, rebus saecularibus abjectis, Christum amplexus et sacerdotio initiatus, postea vero jam senex in Montanistarum haeresin lapsus: *Nos sermoni atque rationi, itemque virtuti, per quae omnia molitum Deum ediximus, propriam substantiam spiritum inscribimus, cui et sermo insit praenuntianti, et ratio adsit disponenti, et virtus praesit perficienti. Hunc ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum, et idcirco Filium Dei, et Deum dictum ex unitate substantiae; nam et Deus spiritus: et cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa; sed sol erit in radio, quia solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur: ita de spiritu spiritus, et de Deo Deus,*

1) *Conviv. dec. Virg. Or. 3. n. 4—6.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 3. p. 686. 687. Cf. *In ram. Palm. n. 5.* Ib. p. 823.

2) *Ib. n. 8.* p. 688 s.

3) Opp. T. 1. P. 1. p. 47 ss.

ut lumen de lumine accensum: manet integra et indefecta materiae matrix, etsi plures inde traduces qualitatum mutueris: ita et, quod de Deo profectum est, Deus est, et Dei Filius, et unus ambo: ita et de spiritu spiritus, et de Deo Deus: modulo alterum, non numero; gradu, non statu fecit: et a matrice non recessit, sed excessit. Iste igitur Dei radius, ut retro semper praedicabatur, delapsus in virginem quamdam, et in utero ejus caro figuratus, nascitur homo Deo mixtus; caro spiritu instructa nutritur, adolescit, affatur, docet, operatur et Christus est[1]). — Et: *Nos vero* (opposite ad haereticos, Patripassianos dictos) *et semper — unicum quidem Deum credimus: sub hac tamen dispensatione, quam oeconomiam dicimus, ut unici Dei sit et filius, sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil: hunc missum a Patre in virginem, et ex ea natum hominem et Deum, filium hominis et filium Dei, et cognominatum Jesum Christum: hunc passum, hunc mortuum et sepultum secundum Scripturas, et resuscitatum a Patre, et in coelos resumtum, sedere ad dexteram Patris, venturum judicare vivos et mortuos: qui exinde miserit, secundum promissionem suam, a Patre Spiritum S. Paracletum, sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem et Filium et Spiritum S.. Hanc regulam ab initio Evangelii decurrisse, etiam ante priores quosque haereticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium haereticorum, quam ipsa novellitas Praxeae hesterni. — Quasi non sic quoque sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiae scilicet unitatem: et nihilominus custodiatur oeconomiae sacramentum, quae unitatem in trinitate disponit, tres dirigens, Patrem, et Filium, et Spiritum S.. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie, unius autem substantiae, et unius status, et unius potestatis; quia unus Deus, ex quo et gradus isti, et formae, et species, in nomine Patris et Filii et Spiritus S. deputantur*[2]). — *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi et mundus et locus et omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus praeter illum. Caeterum, ne tunc quidem solus: habebat enim*

[1]) *Apolog. n. 21.* Opp. V. 1. p. 46 s.
[2]) *Adv. Prax. n. 2.* Opp. V. 2. p. 404.

secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. Rationalis etiam Deus, et ratio in ipso prius; et ita ab ipso omnia. Quae ratio, sensus ipsius est. Hanc Graeci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam sermonem adpellamus. Ideoque jam in usu est nostrorum, per simplicitatem interpretationis, Sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse; cum magis rationem competat antiquiorem haberi; quia non sermonalis a principio, sed rationalis Deus etiam ante principium; et quia ipse quoque sermo ratione consistens, priorem eam ut substantiam suam ostendat. Tamen et sic nihil interest. Nam etsi Deus nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando et disponendo secum, quae mox per sermonem erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans atque disponens, sermonem eam efficiebat, quam sermone tractabat. Idque quo facilius intelligas ex teipso ante recognosce, ut ex imagine et similitudine Dei, quum habeas et tu in temetipso rationem, qui es animal rationale, a rationali scilicet artifice non tantum factus, sed etiam ex substantia ipsius animatus. Vide, cum tacitus tecum congrederis, ratione hoc ipsum agi intra te, occurrente ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum, et ad omnem sensus tui pulsum. Quodcumque cogitaveris, sermo est; quodcumque senseris, ratio est. Loquaris illud in animo necesse est; et dum loqueris, collocutorem pateris sermonem, in quo inest haec ipsa ratio, qua cum eo cogitans loquaris, per quem loquens cogitas. Ita secundus quodammodo in te est sermo, per quem loqueris cogitando, et per quem cogitas loquendo: ipse sermo alius est. Quanto ergo plenius agitur hoc in Deo, cujus tu quoque imago et similitudo censeris, quod habeat in se etiam tacendo rationem, et in ratione sermonem? Possum itaque non temere praestruxisse, et tunc Deum ante universitatis constitutionem solum non fuisse, habentem in semetipso proinde rationem, et in ratione sermonem, quem secundum a se faceret, agitando intra se[1]. Quae licet sint mera Tertulliani opinio, tamen negari non potest, ex iis doctrinam fidei perlucere, Filium Dei inde ab aeterno exstitisse, alium quidem a Patre, non tamen ab eo sejunctum, seu ut inferius ait, *unius et indivisae sub-*

---

[1]) *Ib. n. 5. p.* 407 *s.*

stantiae cum Patre [1]). Quod saepius repetit [2]). Caeterum Tertullianus duplicem discernit nativitatem seu generationem, aliam scilicet internam ac aeternam, qua Deus semper inde ab aeterno in se habet *Λόγον*, et aliam quasi externam ac temporalem, ex nostro videlicet rem concipiendi modo, qua Pater, quodammodo sermonem proferendo, per Filium mundum creavit [3]), simili sensu, quo etiam Spiritus S. duplex missio, interna ad divinam naturam necessario pertinens, et externa ad peculiarem effectum ejusdem in mundo visibili designandum discernitur [4]). — Cyprianus, Carthaginensis Praesul, vir singularis candoris ac mansuetudinis, praecipuum Episcoporum ac Martyrum lumen, pro Christi fide capite plexus a. **258**, juxta alios **261**.: *Hujus igitur gratiae disciplinaeque* (omnibus gentibus promissae) *arbiter et magister Sermo et Filius Dei mittitur, qui per Prophetas omnes retro illuminator ac doctor humani generis praedicabatur. Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia ejus et gloria; hic in Virginem illabitur, carnem Spiritus sanctus* (Dei Filius) *induitur, Deus cum homine miscetur: hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum hominem induit, quem perducat ad Patrem* [5]). Et alibi; *Si* (ab haereticis baptizatus) *sanctificatus est, si templum Dei factus est, quaero cujus Dei? Si creatoris, non potuit, quia in eum non credit: si Christi, nec hujus fieri potuit templum, qui negat Deum Christum: si Spiritus S., cum tres unum sint, quomodo Spiritus S. placatus esse ei potest, qui aut Filii aut Patris inimicus est* [6]). — Arnobius, ex christianismi impugnatore defensor ejusdem egregius factus († **326**): *Natum*

---

[1]) *Ib. n. 13.* p. 318.

[2]) *Ib. n. 3.* p. 405 *s. n. 8.* p. 410 *s. n. 9.* p. 410. *n. 19.* p. 425. *Individuum et inseparatum Filium a Patre pronuntiamus. n. 21.* p. 426 *ss. Nam si haec (ab Apostolo dicta) non aliter accipi licet, quam quomodo scripta sunt, indubitanter alius ostenditur, qui fuerit, alius, apud quem fuit: alium Sermonem esse, alium Deum; licet et Deus sermo. n.* 22 *s.* p. 428 *ss. n. 25.* p. 433 *s. n. 27.* p. 436 *s.* etc.

[3]) Cf. *Ib. n. 7.* p. 408 *s.*

[4]) Conferri adhuc potest: *De praescript. n. 13.* Opp. V. 1. p. 306. *De virg. veland. n. 1.* V. 2. p. 25. *De carn. Chr. n. 3—5.* p. 44 *ss. De resurrect. carn. n. 6.* p. 78 *s.*

[5]) *De idol. vanit. n. 7.* Opp. V. 2. p. 110.

[6]) *Epist. 73. ad. Jubaj. n. 8.* V. 1. p. 219. Cf. *Epist. 63. ad Caecil. n. 1 ss.* p. 169 *ss. Epist. 56. de exhort. mart. n. 5. 8.* p. 149. 151.

hominem colitis (dicitis). *Etiam si esset id verum, locis ut in superioribus dictum est, tamen pro multis, et tam liberalibus donis, quae ab eo perfecta in nobis sunt, Deus dici appellarique deberet. Cum vero Deus sit re certa et sine ullius rei dubitationis ambiguo, inficiaturos arbitramini nos esse, quam maxime illum a nobis coli, et praesidem nostri corporis nuncupari? Ergone, inquiet aliquis furens, iratus, et percitus, Deus ille est Christus? Deus respondebimus, et interiorum potentiarum Deus: et quod magis infidos acerbissimis doloribus torqueat, rei maximae causa a summo Rege ad nos missus* [1]). — Novatianus († a. 270), qui in eo, quem adhuc in communione Ecclesiae scripserat, libro *de Trinitate* Christi divinitatem et humanam naturam docet, atque illam inprimis dilucide ex S. Scriptura tum V. tum N. T. defendit [2]). — Lactantius, singularis eloquentiae vir, in ethnica superstitione impugnanda felicissimus († a. 330.): *Cum dicimus Deum Patrem, et Deum Filium, non diversum dicimus, nec utrumque secernimus; quia nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari. Cum igitur et Pater Filium faciat, et Filius Patrem: una utrique mens, unus spiritus, una substantia est: sed ille quasi exuberans fons est, hic tamquam defluens ex eo rivus; ille tamquam sol, hic quasi radius a sole porrectus, qui quoniam summo Patri et fidelis, et charus est, non separatur: sicut nec rivus a fonte, nec radius a sole* [3]). — Post haec tam clara ac manifesta Patrum Ante-Nicaenorum de divinitate Filii, atque ejus eadem ac individua cum Patre substantia, quis audeat illorum consensum in hacce sententia inficiari, aut in dubium vocare? Id ipsum effatur jam Athanasius, scribens: *En igitur nos quidem hanc sententiam* (de nostro dogmate loquitur) *a Patribus ad Patres transiisse demonstramus: vos vero, o novi Judaei et Caiphae discipuli, quos Patres, qui vestris voculis faverint, exhibere potestis? Nullum certe prudentem et sapientem unquam proferetis, omnes enim a vobis abhorrent, praeter unum diabolum* [4]). Et post Athanasium

---

1) *Adv. Gent. l. 1. n. 42.* p. 26. Cf. *l. 1. n. 43 ss.* p. 26 ss.
2) *C. 9—28.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 3. p. 293 ss.
3) *Div. Instit. l. 4. c. 29.* Opp. T. 1. p. 351. Cf. *c. 6—28.* p. 284 ss.
4) *De decret. Syn. Nic. n. 27.* Opp. T. 1. P. 1. p. 233. C. D.

Augustinus, qui haec habet: *Omnes, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quae Deus est, divinorum librorum veterum et novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus S. unius ejusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem; ideoque non sint tres dii, sed unus Deus: quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit, qui Pater est; Filiusque a Patre sit genitus, et ideo Pater non sit, qui Filius est; Spiritusque S. nec Pater sit nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus, Patri et Filio etiam ipse coaequalis, et ad Trinitatis pertinens unitatem*[1]).

Observ. Quod jam ad ea attinet, quae in scriptis SS. Patrum hinc inde occurrunt, ac cum divinitate Filii pugnare videntur: observamus, fieri potuisse, prout jam Hieronymus monoit[2]), ut vel simpliciter erraverint, praecipue, ubi argumentis internis veritatem revelatam ex sua sententia, non auctoritate divinae revelationis firmare satagunt, aut consectaria inde deducunt; vel alio sensu vocabula adhibuerint; vel antequam Arius nasceretur, innocenter quaedam et minus caute locuti sint; nisi forsan de loco aliquo per librarios imperitos vel etiam haereticos corrupto agatur. Unde eorum verba ita attemperanda sunt, ut ab iis, quae alibi ac indubitate pronuntiant, haud dissideant, et ex diverso, a nostro recedente, quem Patres secuti sunt, loquendi usu, aut ad illorum mentem benignius interpretanda, aut vero ipsi, ubi aperte erraruot, relinquendi suot; nam singuli SS. Patrum nequaquam infallibiles sunt, ut alibi ostendimus, praecipue in iis, quae non tam ex fidei deposito, in Ecclesia asservato, quam potius ex sua mente depromunt. Quod tamen eorum fidem in dogmate nostro attestando haud imminuit. Id enim certum ac evictum est, ut ex lectione operum SS. Patrum ac Scriptorum, qui ante Synodum Nicaenam vixerunt, imo jam ex locis supra laudatis quilibet sibi persuadere potest, illos apertissimis verbis tradidisse, Christum esse Deum verum, qui inde ab aeterno exsistit, hypostasi a Patre quidem distinctum, naturâ tamen ac substantiâ cum Patre unum, pari ac summo cultu cum Patre adorandum. Sic

---

1) *De Trinit. l. 1. c. 4. n. 7.* Opp. T. 8. c. 753.

2) *Adv. Ruffin. Apol.* 2. *n. 19.* Opp. T. 2. c. 508 s.

1. nonnulli SS. Patrum Antenicaenorum Deum Patrem vocant *αἰτίαν*, *causam*, *Filii*. — Attamen ipsi sub *αἰτίᾳ*, *causa*, non intelligunt, quod nos sub vernaculo Ursache intelligimus, rationem scilicet externam rei alicujus finitae, sed id ipsum, quod apud nos per vocabula: *principium*, *ratio exsistentiae*, der Daseins-Grund, exprimi consuevit[1]). — Eodem sensu intelligendi illi viri sunt, quando Patrem *auctorem Filii*, aut vero contra, *Filium a Patre causatum*, *effectum*, *opus Patris*, vel *secundo loco* habendum, aut Patrem *αὐτόθεον*[2]) dicunt, quibus omnibus nonnisi, Filium a Patre gigni, Patrem autem sine principio esse, significare volunt; quemadmodum et, si Filium voluntate Patris natum ajunt, solummodo necessitatem brutam atque coecam, a divinitate abhorrentem, excindunt; quum nimirum nihil sit exploratius, quam negasse illos, Filium esse a Patre factum aut creatum, ut ex locis supra citatis clare elucet.

2. Porro aliqui Patrum illorum Filium Dei *instrumentum Patris*, vel *administrum*, *Patri obedientem*, *eidemque subjectum* nuncupant[3]). — Verumtamen hisce nihil aliud ex ipsorum mente asseritur, nisi, Filium, a Patre originem ac subsistentiam habentem, in omnibus operibus suis Patris voluntati, quam cum eo communem habet, perfectissime esse consonum.

3. Nonnulli iterum, ut Athenagoras[4]), Tatianus[5]), Theophilus Antioch.[6]) ac Tertullianus[7]), de generatione Filii ante mundi conditionem, in tempore ergo facta, loquuntur. — Attamen hoc minime aeterna Filii generatio negatur, et ipse in classem rerum creatarum detruditur, quum iidem Patres illum expresse aeternum ac increatum praedicent[8]); sed id solummodo adstruitur, ante creationem mundi *Λόγον*, qui ab aeterno in Deo exsistebat, etiam ad extra prolatum esse, ut per ipsum illa fieret, *Λόγον ἐνδιάθετον* et *προφορικὸν* distinguendo. Quae generatio externa potest quidem juxta effectum, seu *κατ' ἐπιφάνειαν*, non autem re ipsa seu *κατ' ἀλήθειαν* mente concipi. In hoc ergo Patres lau-

---

1) Cf. Basil. *Cont. Eunom. l. 1. n. 25.* Opp. T. 1. p. 236. C. — Gregor. Naz. *Or. 29.* Opp. T. 1. c. 432. D. — Joan. Damascen. *De fid. orth. l. 3. c. 5.* Opp. T. 1. p. 210.

2) Cf. Origen. *Comm. in Joan. t. 2. n. 2.* Opp. T. 4. p. 50.

3) Cf. Justin. M. *Dial. c. Tryph. n. 61.* p. 165. *n. 226.* p. 132. *n. 127.* p. 233. — Iren. *Cont. haer. l. 4. c. 7. n. 4.* p. 236.

4) L. s. c.

5) L. s. c.

6) L. s. c.

7) *Adv. Prax. n. 5.* Opp. V. 2. p. 407 s. etc.

8) Cf. ll. ipsa cc.

dati tantum, quod dictam nativitatem externam veram ac propriam habeant, ast sine dubio errant, quemadmodum et Tertullianus, quum scribit: *Haec est nativitas perfecta Sermonis, dum ex Deo procedit: conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiae, Dominus condidit me initium viarum suarum. Dehinc generatus ad effectum: cum pararet coelum, aderam illi simul*[1]).

4. Ita quoque certo erravit idem Tertullianus, quum ait: *Pater tota substantia est: Filius vero derivatio totius et portio, sicut ipse profitetur: „quia Pater major me est“*[2]). Et pariter quando negat, Filium immensum esse ac invisibilem, hasque proprietates soli Patri tribuit, cum ait: *Jam ergo alius erit, qui videbatur, quia non potest idem invisibilis definiri, qui videbatur, et consequens erit, ut invisibilem Patrem intelligamus, pro plenitudine majestatis; visibilem vero Filium cognoscamus, pro modulo derivationis: sicut nec solem nobis contemplari licet, quantum ad ipsam substantiae summam, quae est in coelis, radium autem ejus toleramus oculis pro temperatura portionis, quae in terram inde porrigitur*[3]) Et inferius: *Caeterum quale est, ut Deus omnipotens ille invisibilis, quem nemo vidit hominum, nec videre potest; ille, qui inaccessibilem lucem habitat: ille, qui non habitat in manu factis: a cujus conspectu terra contremiscit, montes liquescunt, ut cera: qui totum orbem manu apprehendit, velut nidum, cui coelum thronus, et terra scabellum: in quo omnis locus, non ipse in loco, qui universitatis extrema linea est; ille Altissimus in paradiso ad vesperam deambulaverit, quaerens Adam —. Ignorantes enim, a primordio omnem ordinem divinae dispositionis per Filium decurrisse, ipsum credunt Patrem et visum, et congressum, et operatum, et sitim et esuriem passum; et ita unum Deum semper egisse, id est Patrem, quae per Filium gesta sunt*[4]). Similia habent Justinus M.[5]). Novatianus[6]) et Theophilus Antioch.[7]). Interim tamen videntur Patres hi in parum cautas id genus locutiones incidisse, similitudine solis, ad quam ubique recurrunt decepti, ac nimio studio contradicendi adversariis abrepti, qui perfracte negabant, distingui in divinis a Patre Filium. Quapropter ipsi tantum id potissimum signi-

---

[1]) *Adv. Prax. n. 7.* Opp. V. 2. p. 409.
[2]) *Ib. n. 9.* p. 411. Cf. *n. 14.* p. 418.
[3]) *Ib. n. 14.* p. 418.
[4]) *Ib. n. 16.* p. 422 s.
[5]) *Dial. c. Tryph. n. 127.* Opp. p. 232 s.
[6]) *De Trinit. c. 18.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 3. p. 300. c. 2 s.
[7]) *Ad Autol. l. 2. n. 22.* Opp. Justin. p. 389.

ficare voluisse dicendi sunt, apparitiones illas, quas praeparationes quaspiam τῆς ἐνσωματώσεως Verbi habent, ad οἰκονομίαν referri, quae nullo modo Patri, sed soli Filio conveniat. Non autem hisce Patres illos divinitatem Filii negare voluisse, ex locis supra laudatis patet, ubi, illum verum Deum esse, non tantum clarissimis verbis docent, sed et hanc veritatem inter articulos fidei in Symbolis suis referunt[1]). Quod inprimis de Tertulliano, qui incautior omnibus reliquis scripsit, valet, qui praeter supra commemorata, identidem, Filium verum Deum, Patrique consubstantialem esse, tradit, quum e. g. ait: *Non minori se tradidit Filio Creator, quae per eum condidit, per Sermonem suum scilicet*[2]). *Sermo Deus — non rapinam existimavit pariari Deo*[3]). *Exinde eum* (Sermonem) *parem sibi faciens, de quo procedendo filius factus est, primogenitus, ut ante omnia genitus, et unigenitus, ut solus ex Deo genitus*[4]). *Sed et nomina Patris, Deus omnipotens, Altissimus, Dominus virtutum, Rex Israëlis, Qui est, — haec dicimus, et in Filium competiisse, et unum sumus, dicens, ego et Pater, ostendit duos esse, quos aequat et jungit*[5]). — Similiter minus caute loqui videntur quidam Patrum, quando Filium *inferiorem Patre* esse dicunt, ut Origenes[6]), quum Filius Patris non sit Dominus atque Patris omnes omnino res creatae participes sint, Filii tantum rationales, atque Spiritus S. soli sancti. Quamvis etiam hisce divinitas Filii haud inficias itur; quum iis Filius Patre inferior declaratur tantum ordine et participatione, non autem potestate aut essentia.

5. Tandem Patres accusant, eos doctrinam de Λόγῳ non tam ex fidei Christianae deposito, quam potius ex philosophia Platonica hausisse. — Attamen de hac criminatione Patres ipsi se purgant. Sic enim Justinus scribit: *Nihil Platonem moror, inquit ille (senex), nec Pythagoram, nec quemquam omnino, qui talia opinetur. — Exstitere longe ab hoc tempore viri quidam istis omnibus, qui philosophi existimantur, antiquiores, beati et justi et Deo cari, qui Spiritu S. afflante locuti sunt, et futura vatici-*

---

1) Cf. Iren. l. s. c. — Tertull. *De praescr. c. 13.* et *De virg. vel. c. 1. s.* cc.

2) *Adv. Marcion. l. 4. c. 25.* V. 2. p. 302.

3) *De resur. carn. c. 6.* p. 78 s.

4) *Adv. Prax. c. 7.* p. 409.

5) *Ib. c. 17. 22.* p. 423. 430.

6) *Cont. Cels. l. 8. n. 15.* Opp. T. 1. p. 753. C. *De princ. l. 1. n. 5.* p. 62. c. 1. E.

nati sunt, quae quidem nunc fiunt: Prophetae vocantur. Hi verum soli et viderunt, et hominibus nuntiarunt, neminem metuentes, neminem reveriti, nec gloriae cupiditate victi, sed ea tantum praedicantes, quae audierant et viderant Spiritu S. repleti. — *Haec ille.* — *Mihi vero statim in animo ignis accensus est, meque amor invasit Prophetarum et hominum illorum, qui Christi sunt amici. Cumque illius sermones apud animum proponerem, hanc solam reperiebam philosophiam, quae quidem tuta et utilis foret. Ad hunc ego modum atque hac de causa philosophus* [1]). An non hisce verbis Justinus aperte declarat, se suam doctrinam non ex schola Platonis, vel cujuscumque alius philosophi, sed a SS. Prophetis et Apostolis habere? — Alibi autem plane, postquam dixerat, Platonem quoque docuisse, Verbo Dei factum esse mundum universum, imo Spiritum S. non fuisse ei penitus ignotum, declarat: *Non ergo eadem nos ac alii opinamur; sed nostra omnes imitati disserunt. Haec sane apud nos audire est, et discere ex iis, qui ne figuras quidem litterarum norunt, imperitis hominibus et lingua barbaris, sed mente sapientibus et fidelibus, quorum etiam nonnulli debiles et oculis capti; ut facile pateat, non humana sapientia haec fieri, sed Dei virtute dici* [2]). Eamdem igitur sententiam non ut suam singularem, sed omnium vere Christianorum fidem ac doctrinam, non haustam in scholis aut ex libris philosophorum, coram Imperatore atque Gentilibus propugnat. — In altera vero *Apologia* insuper asserit, quaecumque de vero alii viderint, nonnisi subobscure vidisse, ita ut ex iis doctrina Christianorum aperta ac dilucida minime sit repetenda. *Me profiteor,* inquit, *laudi ducere, ac dimicatione omni contendere, ut Christianus reperiar: non quod aliena sint a Christo instituta Platonis, sed quod non omnino similia, ut nec etiam aliorum, Stoicorum videlicet, poëtarum et historicorum. Ut quisque enim disseminatae rationis divinae partem aliquam sibi cognatam videbat, praeclare locutus est. Qui autem secum ipsi in rebus longe gravissimis pugnarunt, ii nec scientiam sublimiorem, nec cognitionem, quae refelli non possit, assequuti videntur. Quaecumque igitur apud alios omnes praeclare dicta, ea nostra sunt Christianorum. Natum enim ex ingenito et non enarrabili Deo Verbum secundum Deum adoramus et amamus; quando quidem propter nos homo factum est, ut perpessionum nostrarum particeps factum, medicinam illis faceret. Omnes*

---

[1]) *Dial. c. Tryph. n.* 6—8. Opp. p. 113—114.

[2]) *Apol. n.* 68. Ib. p. 81 s.

enim scriptores per insitum rationis semen potuere illi quidem verum videre, sed subobscure. Aliud enim est semen alicujus et imitatio pro viribus concessa, aliud ipsum illud, cujus communicatio et imitatio secundum ipsius gratiam conceditur [1]). — Haec de Justino, quem omnes, quicumque Platonismum illatum clamant, inter primos ponunt, qui id ausi fuerint. Facilis ergo est conjectura de reliquis, quos tam gravi accusatione vix onerant. — Quid Tertullianus de sententiis philosophorum, ubi de divinis rebus agitur, senserit, satis produnt verba: *Quid ergo Athenis et Hierosolymis? quid Academiae et Ecclesiae? quid haereticis et Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui et ipse tradiderat, Dominum in simplicitate cordis esse quaerendum. Viderint, qui Stoicum et Platonicum et Dialecticum Christianismum protulerunt. Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum nec inquisitione post Evangelium* [2]). — Quis ergo Patres hos, quum tales sint, atque ita sentiant, jure Platonismi adcusare audeat?

§. 42. Continuatio.

Patribus accedunt Martyres, ex quorum confessione ante mortem atque in martyrio edita procul dubio quam luculentissime perspicitur, quaenam fuerit fides primorum Christianorum. Atqui nihil est exploratius, quam confessos fuisse Christiani nominis athletas Christi divinitatem, antequam pro Christo extrema paterentur. Sic in actis Ignatii legitur, postquam eum Trajanus interrogaverat: *Quis est Theophorus?* eum respondisse: *Qui Christum habet in pectore. — Unus enim est Deus, qui fecit coelum et terram, et mare, et omnia, quae in ipsis continentur, atque unus est Christus Jesus, Filius Dei unigenitus, cujus regno utinam potiar!* — Et iterum: *Meus Dominus et Deus Jesus Christus, primum quidem propter nos homo factus est, et propter nostram salutem, crucemque mortem et sepulturam sua sponte recepit* [3]). — In actis Symphorosae et septem filiorum ejus c. a. 120. respondet eadem Hadriano: *Si pro nomine Christi, Dei mei, incensa fuero, illos daemones tuos magis exuro* [4]). — In actis SS. Felicitatis et filiorum ejus, a. 150. Martialis,

---

1) *Apol. 2. n. 13.* p. 101. Cf. *Cohort. ad Graec.* p. 6 ss.

2) *De praescript. n. 7 s.* Opp. V. 1. p. 303.

3) *Act. MM. sinc.* Ver. 1731. p. 14.

4) *N. 2.* Ib. p. 21. c. 1.

inter hos natu minimus, sic respondet Publio: *Omnes, qui non confitentur, Christum verum esse Deum, in ignem aeternum mittentur*[1]). — In actis Achatii haec notatu digna occurrunt: *Quod discere semper optabam,* (inquit praeses,) *repente confessus es, errorem vestrae persuasionis et legis. Habet ergo, ut dicis, Filium Deus? Respondit Achatius: Habet. Martianus ait: Quis est filius Dei? Respondit Achatius: Verbum veritatis et gratiae. Martianus ait: Nomen explana. S. Achatius respondet: Jesus Christus vocatur. Martianus ait: Ex qua, dic, uxore conceptus est? Respondit S. Achatius: — Filius Dei Verbum veritatis ex Dei corde processit*[2]). — In actis Epodii ac Alexandri c. a. 178: *Sempiternum vero Dominum nostrum Jesum Christum, quem crucifixum memoras, resurrexisse non nosti, qui ineffabili mysterio homo pariter et Deus famulis suis tramitem immortalitatis instituit.— Christum cum Patre ac Spiritu S. Deum esse confiteor*[3]). — In actis Scillitanorum a. c. 200. S. Donata similiter ait: *Honorem Caesari reddimus, timorem autem aut cultum Christo, Deo vero, praestamus*[4]). — In actis Pionii et sociorum MM. a. 250.: *Quem Deum colis?* (*Polemon*) *respondit: Christum. Judices iterum dixerunt: Quem Deum colitis? Pionius respondit: Hunc, qui fecit coelum, etc.. Tum illi: Hunc dicis, qui crucifixus est? Et Pionius: Illum dico, quem pro salute orbis Pater misit*[5]). — In actis SS. MM. Petri, Andreae et aliorum, a. 200. sub Decio: *Respondit Petrus: Oportet me magis Deo vivo et vero, Regi saeculorum omnium, Christo, sacrificium offerre orationis, deprecationis, compunctionis et laudis*[6]). — In actis Jacobi, Mariani et alior. a. c. 259. *Mariani Mater: Inaestimabilis Dei omnipotentis et Christi ejus in suos misericordia, qui — in hoc paterna indulgentia semper operatur, ut in nos et hoc ipsum, quod Dei nostri sanguine rependi credimus, conferatur, cui gloria et imperium in saecula*

---

1) *N. 3.* Ib. p. 24.
2) *N. 4.* Ib. p. 131. c. 1.
3) *N. 5. 6.* p. 65. c. 1 s.
4) *N. 9. 16.* p. 122. 125.
5) *N. 1.* p. 135. c. 1.
6) *N. 13.* p. 199 s.

saeculorum, amen. — In actis Nicephori, a. c. 260.: *Nos Christiani Christum Deum habemus Regem; quoniam ipse est solus verus Deus, et Creator coeli et terrae* [1]. — In actis Felicis, Presbyteri Nolani: *Credimus in Dominum nostrum Jesum Christum, — cum perfectus Deus esset, factus est simul et homo perfectus ex Virgine incarnatus* [2]. — In actis Claudii, Asteri, et Soc. a. 285.: *Deum colo et Christum ejus, qui fecit coelum et terram. — Nam dii vestri lapidei sunt, et lignei* [3]. — In actis Victoris, Alexandri et Soc. a. c. 290.: Victor, *Jesum Christum verum Deum esse*, publica oratione confirmans, ait: *Deus permanens, homo factus apparuit. — Obedite sanctissimo, pulcherrimo, justissimo, omnipotenti Creatori et amico vestro, cujus vos humilitas — sublimabit, paupertas dilabit, mors vivificabit* [4]. — In actis Maximiliani M. a. 295.: *Jam habeo signum Christi Dei mei, — Dei vivi, quem tu ignoras, qui passus est pro salute nostra* [5]. — In actis S. Felicis, Ep. et M. a. 302.: *Clara voce dixit: Domine Deus coeli et terrae, Jesu Christe etc.* [6]. — In actis Saturnini, Dativi et Soc. a. 304.: *Domine Jesu Christe, Christiani sumus, tibi servimus; tu es spes nostra. Tu es spes Christianorum, Deus sanctissime, Deus altissime, Deus omnipotens.* — In actis Eupli, Diaconi, a. 304.: *Dixit Euplus: Patrem, et Filium, et Spiritum S. adoro, Sanctam Trinitatem adoro, praeter quam non est Deus. — Sacrifico modo Christo Deo me ipsum. — Dicebat semper: Gratias Christo Deo, — adoro Trinitatem inseparabilem, quae Trinitas unitas Deitalis est. Ego sacrifico, et immolo me ipsum Patri et Filio, et Spiritui S.* [7]. — In actis Vitalis et Agricolae c. a. 304.: *Vitalis orationem ad Dominum fudit, dicens: Domine Jesu Christe, Salvator meus et Deus meus* [8]. — In

[1] *N. 3.* p. 210.
[2] *N. 4.* p. 216.
[3] *N. 4.* p. 235.
[4] *N. 3. 9.* p. 257. c. 1. p. 259.
[5] *N.* 2. p. 263.
[6] *N. 6.* p. 314.
[7] *N.* 2. 3. *Sec. confess. n. 1.* p. 302.
[8] *N. 1.* p. 435.

actis Theodori, Ep. Iconii, a. c. 306.: Theodorus dixit: *Mihi vero Deus est Christus*[1]). — In actis Phileae et Soc. a. 306.: *Culcianus dixit: Est Deus crucifixus? Phileas respondit: Propter nostram salutem crucifixus est*[2]). — In actis Quirini, Ep. et M. a. c. 309.: *Praeses dixit: Quis hoc praecepit? Quirinus Episcopus respondit: Christus, qui verus est Deus. — (Ipse) semper nobiscum est; et ubicumque fuerimus, Dominus, quem colimus, subvenire potest. — Ipse est in coelo, et in terra, et in mari. Ipse est in omni loco, omnibus autem superior, quia intra se continet omnia, quoniam per ipsum cuncta facta sunt, et in ipso constant universa. — Nec vestris legibus acquiesco, quia Christi Dei mei legitima, quae fidelibus praedicari, custodio*[3]). — In actis Vincentii, a. 304.: *Dominum Christum confiteor, Filium altissimi Patris unici unicum, ipsum cum Patre et Spiritu S. unum solum Deum profiteor*[4]). — In actis Eupolemi: *Patrem, et Filium, et Spiritum S. adoro, sanctam Trinitatem adoro, praeter quam non est.* — In actis Bonosi et Maximiliani, sub Juliano Imperatore: *Bonosus dixit: Habemus Deum Patrem, et Jesum Christum, Filium ejus, et Spiritum S., per quem haec omnia superamus*[5]). — Quis jam est, his perlectis, qui non confiteatur, ante Synodum Nicaenam hanc communem fuisse fidem de vera, supremaque Christi divinitate? Confessi sane sunt Martyres disertissimis verbis, Christum esse Deum vivum ac verum, cum Patre et Spiritu S. unum, Creatorem coeli et terrae, Conservatorem hujus universi, sanctissimum, omnipotentem, aeternum, immensum, summo cultu adorandum cum Patre et Spiritu S., hancque veritatem pro articulo fundamentali ac characteristico fidei Christianae habent.

Hisce publicis SS. Martyrum confessionibus adjici potest doxologia in Ecclesia antiquissima jamjam usitata: *Gloria*

---

1) *Or. Gregor. Nyss. n. 3.* Ib. p. 425.
2) *N.* 2. p. 435.
3) *N. 2. 4.* p. 438 s.
4) *N. 5.* p. 325.
5) *N. 4.* p. 522. c. 2.

Patri, et Filio, et Spiritui S., quam ab Apostolis originem trahere Baronius affirmat [1]), alii cum Socrate [2]), inventam ab Ignatio M. esse, statuunt; seu *per Filium in Spiritu S.*, vel *cum Filio, et S. Spiritu* [3]), quae tamen minus erant frequentatae, unde Basilius narrat, quum his formulis apud populum oraret, se propter vocum novitates in offensionem populi incurrisse, et compulsum esse, ut utramque formulam pluribus defenderet [4]). Atque alia: *Cui (Christo) gloria cum Patre et Spiritu S. in saecula*, vel: *Cum quo gloria Deo et Patri et Spiritui S.* [5]). Nec non monumenta publica, quae pariter communem fidem antiquae Ecclesiae in divinitatem Filii testantur. Nam in libris liturgicis, uti in Canone Missae, quem maximam partem repetimus ab aevo Apostolorum, in Liturgia S. Chrysostomi et S. Basilii Christum Dominum ubique verum Deum adpellari ac exhiberi, omnibus notum est.

Porro ipsi quoque haeretici, Judaei ac pagani id ipsum confirmant, primaevam videlicet Ecclesiam, Christum Deum verum esse, tenuisse. Etenim sectae haereticorum aut, uti antiquissimae Nazaraeorum, Docetarum et plerorumque Gnosticorum [6]), solis paucis Ebionitis, Cerintho, Theodoto coriario, Carpocrate, Paulo Samosateno et quibusdam aliis exceptis [7]), divinitatem Filii professae sunt, aut

---

1) *Ad a. 325. n. 174.* Col. Agripp. 1624. T. 3. c. 368.

2) *H. E. l. 6. c. 8.* p. 272.

3) Cf. *Can. Apost. Can. 27. (35.)* Cotel. *PP. apost.* Amstel. 1724. V. 1. p. 447. — *Const. Apost. l. 8. c. 5—12. l. 8. c. 18—22.* Ib. p. 395—408. 412—413. — Theodoret. *H. E. l. 2. c. 19.* Opp. T. 3. p. 621. — Basil. *De Spir. S. c. 25.* Opp. T. 3. p. 49 s. *c. 27.* p. 54 ss. *c. 29. n. 71—74.* p. 59 ss. *c. 7.* p. 13. — Euthym. Zigab. *Panopl. P.* 2. *tit. 12. c. 29.* In *Biblioth. max. PP.* Lugd. T. 19. p. 140 s. — Philostorg. *H. E. l. 3. c. 13.* — Theodoret. et Evagr. *H. E.* ed. Vales. Aug. Taur. 1748. p. 448.

4) *De Spir. S. c. 1. n. 3.* Opp. T. 3. p. 6.

5) Smyrn. Eccles. *Epist. de mart. S. Polycarp. n. 24. 22. 14.* Coteler. *PP. Apost.* Amstel. 1724. V. 2. p. 204. 201. — Ruinart. *Act. MM. Ignat. n. 6.* Ver. 1731. p. 19. *Felicit. etc. n. 1.* p. 22. *Scillitan. n. 5.* p. 75. *Perpet. Felicit. etc. n. 21.* p. 81.

6) Cf. Le Quien, *Dissert. Damasc. Diss. 7.* Opp. J. Damascen. T. 1. p. CXX ss.

7) Cf. Iren. *Cont. haer. l. 3. c. 16.* p. 204 ss. — Origen. *In Joan. t. 10.*

vero, uti posteriores, cum iis publica Apostolorum doctrina de Filio Dei carnem induto objiceretur, non illam negabant, sed contendebant, discipulos Domini alia publice, alia secreto docuisse, quae sibi arrogabant, publicam et communem Traditionem relinquentes, aut plane impudentes asserebant, Apostolos omnia haud scivisse [1]. — Judaei, ansam ex dogmate de divinitate Filii et mysterio SS. Trinitatis perperam intellecto sumentes, Christianos polytheismi ac idololatriae insimulabant, atque una cum paganis eos exagitabant, quod dicere solerent, Deum hominum salutis causa in hunc mundum venisse, contendentes, ex Christianorum doctrina de Incarnatione sequi, Deum esse mutatum, praeexstitisse Deum ante saecula Christum, ac deinde etiam nasci hominem factum sustinuisse, et nequaquam hominem ex hominibus esse, id non solum ab opinione abhorrens esse sed etiam stultum [2]. Ex quo adparet, agi hic de re exploratissima. Si his addantur, quae **Plinius** ad Trajanum [3], et **Hadrianus** ad Servianum, Alexandrinis exprobans, ab aliis Serapidem, ab aliis adorari Jesum Christum, scribunt, nec non, quae habent **Lucianus** [4], Christianos irridens, quod Christum Dei loco colant, et **Julianus**, qui fidem in Christum, atque ejus adorationem Christianis tamquam crimen objicit [5]: factum istud evidentissimum redditur, quod nunquam evertent adversarii.

Denique quid Ecclesia docens, cujus est judicare de veritate revelata, senserit, credendumque esse tenuerit, luculenter cognoscitur ex ejus agendi ratione cum iis, qui contrariam doctrinam proponere ausi sunt. Nam quam primum novatores aliqui impugnare adgressi sunt divinitatem Filii: Ecclesia illico eos damnavit, atque e sinu suo expulit. Ita se gessit adversus

---

n. 4. Opp. T. 4. p. 165. — **Pamphil.** *Apolog. Orig.* In **Galland.** *Bibl. PP.* T. 4. p. 23. — **Novatian.** *De Trinit.* Ib. T. 3. p. 306. — **Tertull.** *Adv. Marcion.* Opp. V. 2. p. 146 ss.

[1]) Cf. **Iren.** *Cont. haer. l. 3. c.* 2. *n. 1*—2. p. 174 ss. — **Tertullian.** *De praescript. n.* 22. Opp. V. 1. p. 310 s.

[2]) Cf. **Origen.** *Cont. Cels. l. 1. n. 7. 8. 14.* Opp. T. 1. p. 506. 510. — **Justin. M.** *Dial. c. Tryph. n. 68.* Opp. p. 173. — **Arnob.** *Adv. gent. l. 1. n. 36 ss.* p. 21 ss.

[3]) *L. 10. epist. 97.*

[4]) *De mort. Peregrin. c. 11. et 13.*

[5]) Ap. **Cyrill. Alex.** *Cont. Julian. l. 6.* Opp. T. 6. P. 2. p. 194. Cf. *l. 10.* p. 327. 335.

Ebionitas, qui Christi seu Filii divinitatem negarunt [1]), ita adversus Artemonem ac Paulum Samosatenum et reliquos, eadem impietate obstrictos [2]), ita et postea adversus Arium. Etenim ut primum saec. IV. ineunte hic haeresiarcha caput erexisset, et falsa dogmata adversus doctrinam de Filii divinitate spargere coepisset: doctrinae novitas omnium Christianorum offendit animos, atque ipse tamquam impius novator ac haereticus accusatus, communique suffragio in Synodo Alexandrina a. 318 (321). condemnatus est, et ab Ecclesia, *quae,* uti loquitur Alexander, Episcopus Alexandrinus, *Christi divinitatem adorat,* ejectus [3]). Quoniam tamen vir turbulentus disseminare latius impiam doctrinam, incautos seducere ac turbas movere non destitit, ad finiendam controversiam, quam excitaverat, a. 325. Nicaeae in Bythinia primum oecumenicum convocatum est Concilium, 318 Episcopis celebre, qui Arii impietatem et amentiam, atque *verba blasphemiae plena,* uti in epistola Synodica ajunt, ne audire quidem patienter sustinuerunt, solenni judicio τὴν ὁμοουσίαν, seu consubstantialitatem Filii cum Patre definierunt, atque unanimi consensu, quinque tantum Episcopis contra sentientibus, Symbolum ita concinnatum publice cum ingenti totius Ecclesiae approbatione promulgarunt: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, ex Patre natum, unigenitum, id est ex substantia Patris; Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum (genitum,* γεννηθέντα), *non factum, consubstantialem Patri* (ὁμοούσιον τῷ πατρὶ), *per quem omnia facta sunt, etc..* In fine autem ita concludunt: *Eos autem, qui dicunt: Erat tempus, quando non erat, et antequam nasceretur, non erat, et quia ex iis, quae non sunt* (ἐξ οὐκ ὄντων), *factus est; aut ex alia substantia vel essentia dicunt esse, vel creatum esse, vel mutabilem, vel convertibilem* (τρεπτόν) *Filium Dei; anathematizat Cath. et Apost. Ecclesia* [4]). — Sylvester autem R. P. Romae

---

[1]) Euseb. *H. E. l.* 3. *c.* 27. ed. Zimmerm. L. 1822. p. 187 s.
[2]) Euseb. *H. E. l.* 5. *c.* 28. p. 375.
[3]) Theodoret. *H. E. l. c.* 3. Opp. T. 3. p. 526. B.
[4]) Conc. Nic. I. Mansi, *Coll. Conc.* T. 2. c. 666 s.

cum 275 Episcopis Synodum celebrans ita decrevit: *Quidquid in Nicaea Bithyniae constitutum est ad robur S. matris Ecclesiae Catholicae et Apostolicae a sanctis Sacerdotibus 318, nostro ore conformiter confirmamus. Omnes, qui ausi fuerint, dissolvere definitionem sancti et magni Concilii, quod apud Nicaeam congregatum est sub praesentia piissimi et venerandi principis Constantini Augusti, anathematizamus* [1]).

Accedunt antiqua in singulis Ecclesiis particularibus usitata Symbola, quae omnia, tum in Oriente, tum in Occidente, habent articulum hunc: *Credo in Christum Jesum, unicum Filium ejus, Dominum nostrum*, vel: *Filium ejus unigenitum sempiternum* [2]).

Articulus III.

De Spiritu S. vero Deo, Patri et Filio consubstantiali.

§. 43. Ingressio.

Patri et Filio Scriptura adjungit Spiritum S., quem pariter Deum verum esse, uterque revelationis divinae fons clamat.

Ariani, qui divinitatem Filii impugnarunt, de divinitate quoque Spiritus S., qui de eo, quod Filii est, accipit, atque a Filio mittitur, orthodoxe sentire non poterant: attamen primus, qui post obscuros quosdam haereticos, ut meminit Ignatius [3]), publicus insurrexit divinitatis Spiritus S. hostis et impugnator, erat Macedonius, e secta Arianorum, sub Imperatore Constantio Praesul Constantinopolitanus intrusus. Hic nempe docuit, Spiritum S. esse a Filio procreatum, ac proinde naturâ et dignitate longe inferiorem, Patres et Filii servum ac ministrum, cultu divino haud prosequendum [4]). — Πνευμα-

---

[1]) Ib. T. 2. c. 1081.

[2]) Cf. Hahn, *Bibliothek der Symbole u. Glaubensregeln der apost. kathol. Kirche*. Bresl. 1842. Cf. Theodoret. *H. E. l. 1. c. 11.* Opp. T. 8. p. 553. — Socrat. *H. E. l. 1. c. 8.* p. 16 ss.

[3]) *Epist. ad Trallian. n. 6.* Coteler. *PP. Apost.* Amstel. 1724. V. 2. p. 62.

[4]) Cf. Augustin. *Haer. 52.* Opp. T. 8. c. 18. — Theodoret. *H. E. l. 2. c. 5.* Opp. T. 3. p. 587 s. — *Haer. fab. l. 4. c. 5.* T. 4. p. 238. — Gregor. Naz. *Or. 44.* Opp. T. 1. c. 629. C. — Epiphan. *Haer. 73. et 74.* Opp. T.

τομάχοις hisce accensendi quoque sunt recentiores **Sociniani**, qui tamen non directe divinitatem Spiritus S. aggrediuntur, sed ejus *ὑπόστασιν*, contendentes, illum non esse personam subsistentem, verum nonnisi Dei virtutem, seu vim et efficaciam [1]). Quam impietatem instaurarunt **Rationalistae** recentissimi, asserentes, nullibi in SS. Litteris *ὑπόστασιν* Spiritui S. tribui.

§. 44. Probatur divinitas Spiritus S.: A. Ex SS. Litteris.

Spiritus S. seu ***Spiritus Dei***, *πνεῦμα ἅγιον* seu *πνεῦμα θεοῦ*, et רוּחַ אֱלֹהִים seu רוּחַ יְהוָֹה non raro in SS. Litteris divinitatem ipsam [2]), aut virtutem divinam significat, nec non interdum rem extraordinariam, a Deo seu Spiritu divino immediate effectam, uti e. gr. sapientiam [3]), animi fortitudinem [4]), robur [5]), *ἐνθουσιασμόν* [6]). Attamen in plerisque, praecipue N. T. locis **Spiritus S.** seu **Spiritus Dei** eodem prorsus modo, ut *Λόγος* vivus ac per se subsistens exhibetur, ita ut non sit neque virtus, neque effectus, sed suppositum operans, a Patre et Filio distinctum, cujus propria est sanctificatio et communio [7]). De Spiritu S. hoc sensu intellecto hic disserimus. Interim vero hic loci non tam de **Spiritus S.** personali subsistentia, quam de eo agitur, **Spiritum S.**, qualenus tamquam per se subsistens Patri et Filio opponitur, esse verum Deum, Patri et Filio consubstantialem, unius ejusdemque cum Patre et Filio majestatis et dignitatis.

Spiritum S. Deum verum esse, ex SS. Litteris sequentibus argumentis probatur. Et quidem

1. id jam ex verbis **Christi** clare colligitur, quibus Apostolos in universum orbem ablegavit, ad omnes gentes doctrinam suam edocendas, et per Baptismum in Ecclesiam adscri-

---

l. p. 845 s. et 885 s. — **Cassian.** *De Incarn. l. 1. c. 2.* p. 961. c. 2. — **Philostorg.** *Haer. 58.* In **Galland.** *Bibl. PP.* T. 7. p. 494.

1) Cf. *Catech. Racov. q. 371.* Francof. et Lips. 1739. p. 608.

2) Cf. Gen. 1, 2. Is. 40, 10. Ps. 138, 7.

3) Exod. 31, 3.

4) Jud. 6, 34.

5) Jud. 14, 6. 19. 15, 14.

6) Matth. 12, 28. coll. Luc. 11, 20.

7) Matth. 28, 19. Joan. 14, 16. 17. 26. 15, 26. 16, 7. 8. 13—15. 1. Cor. 12, 4—6. 7—11. 2. Cor. 13, 13. 1. Thess. 2, 12. Ephes. 4, 30. 1. Petr. 1, 2. Matth. 3, 16. Marc. 1, 10 s. Luc. 3, 22. Joan. 1, 32. 33. Act. 2, 3. 4.

bendas, atque ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.*[1]). Nam primo in hocce loco Spiritus S. cum Patre et Filio nominatur et in unum velut honoris ac dignitatis consortium adjungitur, quod nefas foret, siquidem creatura esset Spiritus S.. Deinde baptizare ex doctrina S. Scripturae in nomine Patris idem est, ac cultui religioso Patris initiare[2]), simulque autem ejus gratia ac virtute a peccatis abluere seu regenerare[3]). Quum autem jubeamur a Christo Domino aeque in nomine Filii et Spiritus S. ac Patris baptizari: pari modo, prout Patris, ita et Filii ac Spiritus S. cultui divino per Baptismum mancipamur, atque virtute Filii et Spiritus S. non minus, ac Patris abluimur et renascimur; et hinc, cum religio nonnisi Deo possit exhiberi, et spiritualis hominis regeneratio nonnisi divina virtute ac gratia possit perfici, Filius et Spiritus S. pariter ac Pater Deus sint necesse est. Conjunguntur ergo cum Patre Filius et Spiritus S., ut ostendatur, eos aeque ad substantiam divinam pertinere, atque ad gratiam regenerationis efficiendam necessarium esse eorum consortium[4]). — Huc quoque pertinet alter locus, ubi idem Salvator ait: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*[5]) Quibus pari modo Spiritus sancti cum Patre unitas quoad essentiam ac identitas declaratur, cum Spiritus S. dicatur a Patre procedere, uti Filius exire a Patre dicitur, ita ut non possit esse factus aut creatus, sed e Patre emanans.

2. Alterum argumentum pro divinitate Spiritus S. atque ejus cum Patre et Filio *ὁμοουσίᾳ* inde deducitur, quia ei adscri-

---

[1]) Matth. 28, 19.

[2]) Significat quidem illud: *in nomine alicujus baptizare*, etiam ad profitendam traditam ab illo fidei doctrinam obstringere, ut Act. 19, 4. 1. Cor. 1, 13. 10, 2; quam significationem tamen in loco nostro materia substrata respuit.

[3]) Cf. Joan. 3, 5—6. Rom. 5, 5. 1. Cor. 6, 11. 12, 13. 2. Thess. 2, 12. Tit. 3, 5—7.

[4]) Cf. Basil. *Cont. Eunom. l. 5. c. 3.* Opp. T. 1. p. 299. — Athanas. *Epist. 1. ad Serap. n. 11.* Opp. T. 1. P. 2. p. 660. *Epist. 3. ad Serap. n. 6.* p. 695. — Didym. *De Spirit. S. n. 23.* in Galland. *Biblioth. PP.* T. 6. p. 272. — Gregor. Naz. *Carm. 3. Arc.* Opp. T. 2. c. 140. — Isidor. Pelusiot. *l. 1. Epist. 109.* p. 22. c. 2.

[5]) Joan. 15, 26.

buntur attributa divina, nominatim sapientia et scientia infinita; quod necessario naturam divinam, adeoque cum Patre et Filio identitatem absolutam arguit. *Nobis autem*, ait Apostolus, *revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim scrutatur*, i. e. novit perfectissime, *omnia*[1]), *etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et, quae Dei sunt, nemo cognoscit, nisi Spiritus Dei*[2]). Quibus perfecta Dei entis infiniti, ejusque consiliorum notitia Spiritui S. tribuitur, quae solummodo in Deum cadit. Etenim, ut bene jam adnotat Paschasius, seu quicumque auctor est operis *de Spiritu S.*, ei a S. Gregorio M. adscripti, *de solo Deo legimus: „Qui solus nosti corda hominum." Et iterum: „Ipse enim novit occulta cognoscere", et hoc si divinitatis est proprium, quanto magis scrutari profunda Dei summae in persona Spiritus S. majestatis insigne est*[3]). Quapropter et Spiritus S. veritas ipsa[4]), atque auctor omnis veritatis ac sapientiae[5]) praedicatur.

3. Tertio probatur Spiritus S. divina majestas, et cum Patre et Filio unius, ejusdemque communio substantiae ex operibus et illarum rerum efficientia, quas cum solus Deus praestare possit, eae tamen Spiritui S. proprie ac velut auctori tribuuntur, vel non minus illi, quam Patri et Filio. *Quorum autem*, ut ait Didymus, *una est operatio, una est et substantia*[6]). Spiritui S. enim vindicatur:

---

[1]) Cf. Ps. 7, 10.

[2]) 1. Cor. 2, 10—11. Cf. Matth. 11, 27.

[3]) *De Spir. S. l. 2. c. 1. Bibl. max. PP.* Lugd. T. 8. p. 813. F. Cf. Athanas. *Epist. 1. ad Serap. n. 19.* Opp. T. 1. P. 2. p. 667. — Epiphan. *Ancor. n. 12.* Opp. T. 2. p. 17. — Cyrill. Alex. *Thes. Assert. 33.* T. 5. P. 1. p. 333 s. — Theodoret. *Haer. fab. l. 5. c. 3.* Opp. T. 4. p. 258. — Ambros. *De Spir. S. l. 2. c. 12.* Opp. T. 2. c. 658 ss. — Jdac. *Adv. Varim. Bibl. max. PP. Lugd.* T. 5. p. 749. D. s. — Fulgent. *Epist. 14. n. 9.* Opp. p. 235.

[4]) 1. Joan. 5, 6.

[5]) Joan. 15, 26. 14, 17.

[6]) *De Spir. S. n. 17.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 6. p. 270. Cf. Basil. *Epist. 189. ad Eustath. n. 7.* Opp. T. 3. p. 280. — Gregor. Nyss. *De Trinit.* Opp. Par. 1615. T. 2. p. 443. C. D. — Cyrill. Alex. *Thes. Assert. 33.* Opp. T. 5. P. 1. p. 338.

a. Legatorum divinorum, eorumque scriptorum inspiratio. *Cum autem,* ait Christus ad Apostolos, *venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Et quae ventura sunt, annuntiabit vobis*[1]). Atque Apostolus: *Non enim,* inquit, *voluntate humana allata est aliquando prophetia Scripturae: sed Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines*[2]).

b. Spiritui S. assignatur porro hominis justificatio ac sanctificatio. *Nisi quis,* ait Christus ad Nicodemum, *renatus fuerit ex aqua, et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex Spiritu, spiritus est*[3]). — Paulus: *Et haec* (magni peccatores) *quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri*[4]). Et iterum: *Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti Deo, quod elegerit vos Deus primitias in salutem in sanctificatione Spiritus, et in fide veritatis,* (sanctificatione per Spiritum accepta, et obsequio verae doctrinae praestito)[5]). — Atque Petrus: *Electis — secundum praescientiam Dei Patris* (pro decreto Dei Patris), *in sanctificationem Spiritus, in obedientiam et aspersionem Jesu Christi: gratia vobis, et pax multiplicetur*[6]). Propterea et dicitur *charitas Dei diffusa esse in cordibus nostris per Spiritum S.*[7]), ipseque *datus nobis*[8]), habitare in nobis[9]), effusus abunde in nos[10]), qui *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* i. e. vices nostras quasi agit, suspiria tacita in nobis excitando[11]). Ipse est porro, qui illuminat,

1) Joan. 16, 13. Cf. Matth. 10, 20. Luc. 10, 20.
2) 2. Petr. 1, 21. Cf. Matth. 22, 43. Act. 1, 8. 16. 4, 8. 25 s. 31. 8, 29. 10, 19—20. 11, 12. 28. 13, 2. 16, 6—7. 20, 23. 21, 4. 11. 28, 25—26. 1. Tim. 4, 1. Hebr. 9, 8. 10, 15. 1. Petr. 1, 12. Apoc. 2, 7. 4, 2. 14, 13. 17, 3. 21, 10.
3) Joan. 3, 5—6.
4) 1. Cor. 6, 11.
5) 2. Thess. 2, 12.
6) 1. Petr. 1, 2.
7) Rom. 5, 5.
8) Ib.
9) Rom. 8, 9 ss.
10) Tit. 3, 5. 6.
11) Rom. 8, 26. Cf. Matth. 10, 20.

atque in bono faciendo adjuvat, ita ut nemo Dominum Jesum possit profiteri, nisi a Spiritu S. adjutus[1]), Ecclesiamque regit ac gubernat[2]). Deinde

c. Spiritus S. non tantum effectus extraordinarios, in mundo sensibili, qui nonnisi divinâ fieri possunt potentiâ, producit[3]), sed et facultatem, illos edendi hominibus concedit. *Alii quidem,* scribit Paulus, *per Spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae secundum* (per) *eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult*[4]). Ubi Spiritus S. Domino, cui *divisiones ministrationum,* atque Deo, i. e. Patri, cui *divisiones operationum* tribuuntur, opponitur, ideoque ei par cum Patre et Filio dignitas et auctoritas vindicatur, et ipse dona illa pro liberrima voluntate distribuere dicitur, quae, uti inspiratio atque sanctificatio[5]), manifeste a solo Deo repeti possunt. Quapropter et quae hoc respectu per Spi-

---

[1]) 1. Cor. 12, 3. Cf. Act. 8, 17. 19, 6. 5, 32. 6, 3. 7, 55. 10, 45. 15, 28. Joan. 14, 16—17. Rom. 15, 18. 16. 1. Cor. 2, 12. Gal. 5, 22. Ephes. 1, 13 s. 2, 22. 5, 18. 4, 30. 2. Cor. 1, 21 s. — Athanas. *Epist. 1. ad Sempron. n. 19—24.* Opp. T. 1. P. 2. p. 667 ss. — Cyrill. Alex. *Thes. Assert. 34.* Opp. T. 5. P. 1. p. 353 ss. — Didym. *De Spir. S. l. 1. n. 4 ss.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 6. p. 264 ss. — Ambros. *De Spir. S. l. 1. c. 6.* Opp. T. 2. c. 616. — Jdac. *Ad Varim.* In *Bibl. max. PP.* Lugd. T 5. p. 747.

[2]) Act. 20, 28. 13, 2. Cf. Epiphan. *Haer. 74. n. 5.* Opp. T. 1. p. 892.

[3]) Rom. 8, 11. Luc. 1, 35. Matth. 1, 20. Cf. Augustin. *Cont. Maxim. l. 2. c. 17. n.* 2. Opp. T. 8. c. 715 s. — Cyrll. Alex. *Thes. Assert. 34.* Opp. T. 5. P. 1. p. 343. — Jdac. l. c. p. 749.

[4]) 1. Cor. 12, 8—11. Cf. Cereal. *Adv. Maximin. c. 14.* In *Bibl. max. PP.* Lugd. T. 8. p. 673. — Paschas. *De Spirit. S. l. 1. c. 9.* Ib. p. 810 s.

[5]) Cf. Athanas. *Epist. 1. ad. Serap. n. 22—23.* Opp. T. 1. P. 2. p. 671. — Cyrill. Alex. *De Trinit. Dial. 7.* Opp. T. 5. P. 1. p. 647. 667. C. *Argum. etc.* T. 2. p. 329. c. 1. p. 330. c. 2. E. — *Thes. Assert. 34.* T. 5. P. 1. p. 359. — Augustin. *Cont. serm. Arian. c. 32. n. 30.* Opp. T. 8. c. 645. — Paschas. *De Spir. S. l. 1. c. 11.* In *Bibl. max. PP.* Lugd. T. 8. p. 812. *l. 2. c. 7.* p. 816 s. — Theodoret. *Haer. fab. l. 5. c. 3.* Opp. T. 4. p. 258.

ritum S. dicta aut facta commemorantur, alibi Deo assignantur [1]).

4. Quartum argumentum, Spiritum S. verum esse Deum, atque unius, ejusdemque propterea cum Patre et Filio substantiae, nobis praebent ea S. Scripturae loca, in quibus ipse expresse Deus nominatur. Huc prae omnibus pertinent verba, quibus Petrus Ananiam affatus ait: *Cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui S., et fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, et venumdatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo* [2]). Eumdem ergo, quem antea Spiritum Petrus dixerat, tum Deum adpellat. — Porro spectant huc illa quoque loca, in quibus fideles a Paulo modo *templum Spiritus S.*, modo *templum Dei* vocantur. *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* [3]). — *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus S., qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Emti enim estis pretio magno. Glorificate, et portate Deum in corpore vestro* [4]). Hinc quoque Spiritus S., quoniam verus est Deus, *παρακλήτος* Christi, adeoque ei par et aequalis declaratur, et Sanctus *κατ' ἐξοχήν*, utpote cui sanctitas est propria et *οὐσιώδης*, non accidens et naturae adjuncta, cognominatur [5]).

5. Ultimum tandem argumentum pro divinitate Spiritus S., ejusque eadem cum Patre et Filio majestate nobis praesto est

---

[1]) Hebr. 3, 7—9. coll. Ps. 94, 7—8. Act. 28, 25. coll. Is. 6, 9. Cf. Hebr. 1, 1. coll. Act. 4, 25. Exod. 4, 12. Act. 3, 18. 21. 2. Tim. 3, 16. — Gregor. Nyss. *Cont. Eunom. l. 1.* Opp. Par. 1615. T. 2. p. 60. — Basil. *Cont. Eunom. l. 5. c. 4.* Opp. T. 1. p. 300. — Idac. *Ad Varim.* l. c. p. 745 ss. — Cyrill. Alex. *Capit. argum. de Spir. S. etc.* Opp. T. 5. P. 1. p. 660 ss.

[2]) Act. 5, 3—4.

[3]) 1. Cor. 3, 16.

[4]) 1. Cor. 6, 16. Rom. 8, 9—11. 2. Cor. 6, 16. — Athanas. *Epist. ad Serap. n. 24.* Opp. T. 1. P. 2. p. 672. *Epist. 3. ad Serap. n. 3.* Ib. p. 692 s. *De comm. essent. P. et F. et Sp. S. n. 6.* T. 2. p. 6. etc. — Didym. *De Spir. S. n. 25. 40.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 6. p. 272. 278. — Basil. *De Spir. S. c. 21.* Opp. T. 3. p. 45. *Adv. Eunom. l. 3. n. 5.* T. 1. p. 276. D. — Cyrill. Alex. *Thes. Assert. 33.* Opp. T. 5. P. 1. p. 337. *In Joan. 14, 18.* T. 4. p. 813. — Theodoret. *Haer. fab. l. 5. c. 3.* Opp. T. 4. p. 259.

[5]) Cf. Basil. *Adv. Eunom. l. 5. c. 1. et ult. n. 2.* Opp. T. 1. p. 296. 321 s. — Cyrill. Alex. *Thes. Assert. 34.* Opp. T. 5. P. 1. p. 351. *De Trinit. Dial. 7.* Ib. p. 658. *Cap. argum. etc.* Ib. p. 665. D. E.

in cultu latriae, uti dicitur, qui ei aeque ac Patri et Filio adsignatur. Id in mandato illo obtinere, quo jubet Christus Dominus omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. baptizari, supra ostendimus. Id ipsum autem et fit formulis illis, quibus Apostoli fidelibus gratiam, uti a Patre et Filio, ita et a Spiritu S. precantur. *Gratia*, ait Paulus, *Domini nostri Jesu Christi, charitas Dei, et communicatio Spiritus S., sit cum omnibus vobis* [1]).

Quibus expositis concludimus cum Fulgentio, Ruspensi Episcopo, ob strenuam Catholicae fidei contra Arianos defensionem bis in exilium ejecto († a. 533.): *Dicatur igitur*, ait ipse, *si coelorum virtutem potuit firmare, qui non est Deus? si potest vivificare, qui non est Deus? si potest in Baptismatis regeneratione sanctificare, qui non est Deus? si potest charitatem tribuere, qui non est Deus? si potest templum membra Christi habere, qui non est Deus? et digne Spiritus S. negabitur Deus. Rursus dicatur, si ea, quae de Spiritu S. commemorata sunt, potest aliqua creatura facere? et digne Spiritus S. dicetur creatura. Si autem haec creaturae possibilia nunquam fuerunt, et inveniuntur in Spiritu S., quae tamen soli competunt Deo: non debemus naturaliter diversum a Patre Filioque dicere, quem in operum potentia diversum non possumus invenire, — ac si ex unitate operis unitas est agnoscenda virtutis; nec quisquam dubitet, Patrem et Filium, et Spiritum S., personarum Trinitate servata, unum Deum naturaliter dicere; qui potuit universa sola voluntate condere; qui cuncta potest virtutis omnipotentia gubernare; qui omnia potest immensitate divinitatis implere* [2]).

Observ. Obmovent quidem adversarii Spiritus S. saepius nullam fieri mentionem, ubi Pater et Filius nominantur. — Attamen, licet Spiritus S. saepius reticeatur, nullibi tamen negatur; atque etiam Filius saepius commemoratur, quin Patris fiat mentio; an inde consequitur, Deum Patrem non esse? — Verba autem Pauli:

---

[1]) 2. Cor. 13, 13. Cf. Athanas. *Epist. 3. ad Serap. n. 6.* Opp. T. I. P. 2. p. 694 s. — Cyrill. Alex. *Thes. Ass. 34.* T. 5. P. 1. p. 358 s.

[2]) *Ad. Trasim. l. 3. c. 35.* Opp. p. 143. Cf. Chrysostom. *Hom. 2. de Pentec.* Opp. T. 2. p. 468 ss.

Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus[1]), tam parum divinitati Spiritus S. obstant, ut potius, quum sensus illorum sit, contextu orationis postulante, Spiritum in nobis efficere, ut veras preces ad Deum fundamus, argumentum pro ea contineant; nam nemo, nisi Deus precum genuinarum spiritum in nobis potest excitare[2]). — Ad illud autem, quod pariter objiciunt, de Spiritu S. legi videlicet: *Non loquetur a semetipso. Sed quaecumque audiet, loquetur*[3]), atque ipsum modo a Patre, modo a Filio mitti[4]), jam respondit Augustinus, qui quoad prius ait: *Non loquetur a semetipso: quia non est a semetipso. Sed quaecumque audiet, loquetur: ab illo audiet, a quo procedit. Audire illi scire est: scire vero esse. Quia ergo non est a semetipso, sed ab illo, a quo procedit, a quo illi est essentia, ab illo scientia: ab illo igitur audientia, quod nihil aliud est, quam scientia*[5]). Quoad posterius autem: *Si ergo missus dicitur (Filius), in quantum adparuit foris in creatura corporali, qui intus in natura spirituali oculis mortalium semper occultus est, jam in promtu est intelligere de Spiritu S., cur missus et ipse dicatur. Facta est enim quaedam creaturae species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur Spiritus S.. — Haec operatio visibiliter expressa, et oculis oblata mortalibus missio Spiritus S. dicta est*[6]).

§. 45. B. Ex Traditione.

Quemadmodum SS. Patres disertos testes divinitatis Filii vidimus, ita quoque eos strenuos assertores divinitatis Spiritus S. deprehendimus. Ex magna autem testimoniorum copia tantum principaliora seligimus. Ignatius scribit, ut Clementem Rom. silentio praetereamus[7]): *Studete igitur, ut confirmemini in dogmatibus Domini et Apostolorum, ut omnia, quae facitis, prospere vobis succedant, carne et spiritu, fide et charitate, in Filio et Patre et Spiritu S.. — Subjecti este Epi-*

---

1) Rom. 8, 26. s. c.

2) Cf. Augustin. *De don. persev. c. 23. n. 64.* Opp. T. 10. c. 856.

3) Joan. 16, 13.

4) Joan. 14, 16. 26. 16, 7.

5) *Tract. 99. in Joan. n. 4.* Opp. T. 3. P. 2. c. 746.

6) *De Trinit. l. 2. n. 10.* T. 8. c. 777. Cf. Ambros. *De Spir. S. l. 3. c. 1. n. 7—8.* Opp. T. 2. c. 666.

7) *1. Cor. n. 46.* Coteler. *PP. Apost.* Amstel. 1724. V. 1. p. 174.

scopo et vobis mutuo, ut Jesus Christus Patri, secundum carnem, et Apostoli Christo et Patri et Spiritui[1]). — Polycarpus, qui precationem, quam in rogo ligatus dixerat, ita claudit: *Quapropter de omnibus laudo te, benedico te, glorifico te, cum sempiterno et coelesti Jesu Christo, dilecto tuo Filio; cum quo tibi et Spiritui S. gloria, et nunc et in futura saecula. Amen*[2]). — Quibus verbis quoque Smyrnensis Ecclesia suam de martyrio hujus Episcopi finit epistolam: *Valere, ait, vos optamus, fratres; ac incedere in evangelico sermone Jesu Christi; cum quo gloria Deo et Patri, et Spiritui S. ob sanctorum electorum salutem*[3]). — Justinus l. s. c.: *Quis igitur sanae mentis homo non fateatur, atheos nequaquam nos esse, qui opificem hujusce universitatis colimus. — Nostrum autem harum rerum doctorem, natum ad hoc munus Jesum Christum ac sub Pontio Pilato, Judaeae temporibus Tiberii Caesaris praeside, crucifixum, veri Dei Filium esse, edocti, ipsumque secundo loco, Spiritum autem propheticum tertio habentes ordine, non sine ratione a nobis coli demonstrabimus*[4]). — Et: *Super eo, qui regenerari voluerit, et peccatorum poenitentiam egerit, parentis omnium et Domini Dei nomen pronuntiatur. — Sed et in nomine Jesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi, et in nomine Spiritus S., qui per Prophetas omnia ad Jesum spectantia praenuntiavit, is, qui illuminatur, abluitur*[5]). — Athenagoras: *Quis igitur non miretur, cum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem, et Filium Deum et Spiritum S. asserunt, ac eorum et in unione potentiam* (δύναμιν) *et in ordine distinctionem demonstrant*[6]). — Theophilus, primus τρίαδος, *Trinitatis*, nomine usus, Triadem vocat Deum, et Verbum ejus, et Sapientiam ejus, i. e. Spiritum S.: *Tres illi dies*, ait, *qui autem luminaria fuerunt, imago sunt Trinitatis, Dei, ejus Verbi, ejusque Sapientiae*[7]). — Irenaeus: *Etenim Ecclesia, tametsi per*

---

1) *Epist. ad Magnes. n. 13.* Ib. V. 2. p. 21. Cf. *Epist. ad Ephes. n. 9. 18.* p. 47. 51.

2) Eccles. Smyrn. *Epist. de mart. S. Polycarp. n. 14.* Ib. p. 201.

3) *Ib. n. 22.* p. 204.

4) *Apol. I. n. 13.* Opp. p. 51.

5) *Ib. n. 61.* p. 82. E.

6) *Legat. pro Christ. n. 10.* Ib. p. 305. D. Cf. *n. 12.* p. 307.

7) *Ad. Autol. l. 2. n. 15.* Ib. p. 385. A. Cf. *n. 10.* p. 378 s.

universum orbem usque ad extremos terrae fines dispersa, fidem eam ab Apostolis eorumque discipulis acceptam, quae est in unum Deum Patrem omnipotentem; — et in unum Jesum Christum, Filium Dei, nostrae salutis causa incarnatum; et in Spiritum S., qui per Prophetas Dei dispensationes, et adventus praedicavit etc. [1]). Et infra: *Adest ei (Deo) semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos, et in quibus omnia libere et sponte fecit* [2]). — Clemens Alex.: *O miraculum mysticum! Unus quidem est universorum Pater. Unum est etiam Verbum universorum, et Spiritus S. unus, et ipse est ubique* [3]). — Uberius idem disputat de mysterio SS. Trinitatis in multis *Stromatum* locis, cujus scilicet operis finis praecipuus est, iis, qui jam rudimenta doctrinae Christianae edocti sunt, adcuratiorem ejus subministrare cognitionem [4]). — Origenes de Spiritu S. ait: *Ita sanctus est, ut non sit sanctificatus. Non enim ei extrinsecus et aliunde accessit sanctificatio, quae ante non fuerat, sed semper est sanctus, nec initium sanctitatis accepit. Similique modo de Patre et Filio intelligendum est. Sola enim Trinitatis substantia est, quae non extrinsecus accepta sanctificatione, sed sui natura sit sancta. Omnis vero creatura vel dignatione S. Spiritus, vel meritorum ratione sanctificata sancta vocatur* [5]). — *Alius a Patre Filius, et non idem Filius, qui et Pater. — Alius et ipse (Spiritus S.) est a Patre et Filio. Est ergo haec trium distinctio personarum in Patre et Filio et Spiritu S., quae ad pluralem puteorum numerum revocatur. Sed horum puteorum unus est fons. Una enim substantia est, et natura Trinitatis* [6]). — Atque: *De Spiritu S., quod sit, multae nos Scripturae docuerunt. — Ex quibus omnibus didicimus, tantae esse auctoritatis et dignitatis substantiam Spiritus S., ut salutaris Baptismus non aliter, nisi excellentissimae omnium Trinitatis auctoritate, id est Patris, et Filii,*

---

1) *Cont. haer. l. 1. c. 10. n. 1.* Opp. p. 48.
2) *L. 4. c. 20. n. 1.* Cf. ss. p. 253. *l. 5. c. 12. n. 2.* p. 306.
3) *Paedag. l. 1. c. 6.* Opp. T. 1. p. 123.
4) Praesertim huc spectat *l. 5. c. 14.* p. 710. Cf. etiam: *Quis dives salvatur. c. 34.* T. 2. p. 954.
5) *Hom. 11. in Num. n. 8.* Opp. T. 2. p. 310. c. 1.
6) *Hom. 12. in Num. n. 1.* p. 312. B. C.

et Spiritus S. cognominatione compleatur, et ingenito Deo Patri, et unigenito ejus Filio nomen quoque Spiritus S. copuletur. Quis ergo non obstupescat, quanta majestas sit Spiritus S., cum eum, qui dixerit verbum in Filium hominis, audiat sperare veniam posse, eum vero, qui in Spiritum S. blasphemaverit, veniam non habere, neque in praesenti saeculo, neque in futuro. — Usque ad praesens nullum sermonem in scriptis sanctis invenire potuimus, per quem Spiritus S. factura esse vel creatura diceretur[1]. — Hippolytus: *Necesse est ergo, ut, quamvis nolit, confiteatur Patrem Deum omnipotentem, et Christum Jesum Filium Dei, Deum factum hominem, cui omnia Pater subjecit praeter se, et Spiritum S.*[2]. — Et: *Unus est Deus, qui mandat, Pater; qui obedit, Filius; qui docet scientiam, Spiritus S.. Pater, qui est super omnia, Filius per omnia, Spiritus S. in omnibus. Aliter Deum unum intelligere non possumus, nisi vere Patri et Filio et Spiritui S. credamus*[3]. — Dionys. Alex.: *Mens, quae per linguam prosilit, alia est a verbo, quod in corde exsistit. Hoc enim, postquam illam praemisit, remanet, estque, quale antea erat: illa vero praemissa avolat, et circumquaque fertur: et sic utrumque in utroque est, tametsi aliud ab altero; et unum sunt, licet duo sint. Sic namque Pater et Filius unum esse, et in se invicem esse dicti sunt. Singula nomina a me prolata a se invicem nec separari queunt, nec dividi. Patrem dixi, et prius quam Filii mentionem facerem, jam eum in Patre significavi. Filium adjunxi; ac Pater etiamsi eum non prius nominassem, jam omnino in Filio comprehensus fuerat. Spiritum S. addidi: sed simul unde et per quem processerit subtexui. — In manibus autem illorum est Spiritus, qui neque a mittente, neque a ferente separari potest. — Ita quidem nos unitatem indivisibilem in Trinitate dilatamus, et rursum Trinitatem, quae minui nequit, in Unitatem contrahimus*[4].

---

1) *De princ. l. 1. c. 3. n. 2—3.* T. 1. p. 60. c. 2. 61. c. 1. Cf. *In Gen. l. 1.* T. 4. p. 1. *In Jer. Hom. 8. n. 1.* T. 3. p. 170.

2) *Cont. Noët. c. 8.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 2. p. 459.

3) *Ib. c. 14.* p. 461 s.

4) *Elench. et Apol. n. 7—9.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 3. p. 497 s. — Athanas. *De sentent. Dionys. n. 23. 17.* Opp. T. 1. P. 1. p. 259. 254 s.

— Gregorius Thaumaturgus *Trinitatem* dicit *perfectam, quae gloria et aeternitate, ac regno atque imperio non dividitur, nec abalienatur. Non igitur creatum quid, aut servum in Trinitate: neque superinductitium aliquid et adventitium quasi prius non exsistens; posterius vero adveniens. Non ergo defuit unquam Filius Patri: neque Filio Spiritus: sed immutabilis et invariabilis eadem semper manet Trinitas*[1]. — Athanasius: *Sancta et beata Trinitas individua atque ipsa secum unita est, ita ut ubi Patris mentio fiat, ejusdem statim Verbum, ac in Filio Spiritus debeat intelligi. Quodsi Filius nominetur, similiter in Filio est Pater, nec extra Verbum est Spiritus S.. Siquidem una est Patris gratia, quae per Filium in Spiritu S. completur. Una pariter divinitas, et unus Deus est, qui est super omnia, et per omnia, atque in omnibus*[2]. — Basilius *de Spiritu S. Deo* specialem librum *ad Amphilochium* composuit[3], et alios quinque *adversus impium Eunomium* de Patris et Filii aequalitate, atque de Spiritu S., quod non sit creatura[4]. In priore opere omnia SS. Patrum testimonia, qui ante ipsum vixerunt, uti Clementis Romani, Irenaei, Dionysii Rom. et Alexandrini, Origenis, Julii Africani, Gregorii Neocaesar., Eusebii Caesar., Firmiliani et aliorum, collegit. Illiusque verba sunt: *Confiteri oportet Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum S., uti eloquia divina, et qui ea sublimius intellexere, docuerunt*[5]. Alibi ait: *Eadem est essentiam inter et hypostasim differentia, ac inter commune et singulare. — Quapropter essentiam quidem unam in divinitate confitemur, adeo ut essentiae definitio non diverse reddatur: hypostasim vero propriam et singularem, ut inconfusa nobis et clara de Patre et Filio et Spiritu S. insit notio*[6]. — Gregorius Naz. item peculiarem conscripsit orationem *de Spiritu*

---

[1]) In Mansi. *Coll. Conc.* T. 1. c. 1029.

[2]) *Epist. ad Serap. de Spir. S. 1. n. 14.* Opp. T. 1. P. 2. p. 663. Verumtamen tota haec meretur legi epistola, quemadmodum et *ad eumd. 3. et 4.* p. 690 ss. nec non *Ep. ad Adelph., ad Maxim. Philos., etc.* p. 911 ss.

[3]) Opp. T. 3. p. 1 ss.

[4]) T. 1. p. 207—322.

[5]) *Epist. 8 (151). n. 2.* T. 3. p. 81.

[6]) *Epist. 236.* p. 363 s.

S. [1]), in qua post enumeratas diversas opiniones erroneas de Spiritu S. ait: ***Quid ergo: Spiritus S. est Deus? Maxime; consubstantialis igitur? Prorsus: siquidem Deus*** [2]). Aliam exaravit *ad Eragrium Monachum de divinitate;* et iterum aliam *de fide* [3]), ubi inter alia dicit: ***Haec est perfecta Trinitas in unitate consistens, quam scilicet unius substantiae profitemur. Non enim nos secundum corporum conditionem divisionem in Deo facimus, sed secundum divinae naturae potentiam, quae in materia non est; et nominum personas vere constare credimus, et unitatem divinitatis esse testamur. Nec extensionem quamdam Patris alicujus ex Patre (ut quidam putaverunt) Dei Filium dicimus, nec verbum sine re, velut sonum vocis accipimus: sed tria nomina et tres personas unius esse essentiae, unius majestatis atque potentiae credimus*** [4]). — Cyrillus Hieros.: ***Neque separamus S. Trinitatem, — neque confundimus. — Sed cum pietate novimus unum Patrem — unum Filium — unum Spiritum S., qui locutus est in Prophetis. — Qui — ejus, qui crucifixus est, gloriae consors est. Omnium a Deo datus Praefectus, et Magister, et Sanctificator Paracletus. — Hic de Christo in Prophetis praedicavit: hic in Apostolis operatus est: hic ad hodiernam usque diem in baptismate animas obsignat. Et Pater quidem dat Filio, et Filius communicat Spiritui S.. — Pater per Filium cum S. Spiritu omnia donat. Non alia sunt Patris dona, et alia Filii, alia Spiritus S.. Una enim salus est, una potestas, una fides*** [5]). Atque: ***Ex quibus omnibus — conficitur, — unum atque eumdem Spiritum S., viventem et subsistentem, semperque Patri et Filio una praesentem. Qui — hypostasi praeditus, loquens ipse et operans et dispensans et sanctificans*** [6]). — Gregorius Nyss. singulas non tantum hic illic sententias in scriptis suis de nostro dogmate profert, sed pariter totas de eo orationes exaravit. Praeter enim opus polemicum *De S. Trinitate*

---

[1]) *Or. 37.* Opp. T. 1. c. 525 ss.
[2]) C. 530. B.
[3]) *Or. 49. c.* 651 ss.
[4]) C. 653—654.
[5]) *Cat. 16. c. 4. 23. 24.* Opp. p. 244 s. 256. 257.
[6]) *Cat. 17. c. 5.* p. 266.

adversus Judaeos, scripsit idem etiam *de S. Trinitate, et quod Spiritus S. sit Deus;* porro *quod non oporteat tres dici deos;* denique *de Fide ad Simplicium*, quae epistola alias inscribitur: *De Patre et Filio et Spiritu S. Deo* [1]). — Epiphanius: *Igitur Deus ex Deo, Deus est, inquam, Spiritus S., cui mentiti sunt, qui de agri pretio nonnihil interverterant* [2]). — Cyrillus Alex. opus insigne edidit, quod inscribitur: *Thesaurus* [3]), et aliud non minus praestans *de sancta et consubstantiali Trinitate dialogi septem*, quibus subjungitur velut compendium liber *de Spiritu S.* [4]). — Didymus librum *de Spiritu S.* composuit [5]). — Isidorus Pelus.: *Cum Deus et Salvator noster homo factus, Spiritum S. divinam Trinitatem complere, tradiderit, atque in S. Baptismi invocatione una cum Patre ac Filio tamquam a peccatis liberans numeretur, et in mystica mensa communem panem proprium Incarnationis ipsius corpus reddat: quid tu, o vesane atque attonite, eum quiddam factitium aut creatum, aut servitis naturae ac non herilis et effectricis, ac regiae essentiae cognatum, et consubstantiatem Spiritum S. esse doces? Nam si servus est, cum Domino minime numeretur. Si creatus est, cum Creatore minime conjungatur. Cum eo porro copulatus ac numeratus est, quandoquidem exacto hujusmodi rerum doctori Christo fidem adhibere convenit* [6]). — Chrysostomus: *Quis ergo pro merito lugeat ac deploret eos, qui blasphemiis Spiritus S. appetunt majestatem ac numen, qui tamquam furiosi quidam et amentes ne beneficiorum quidem magnitudine ab hac sua ingrati animi improbitate revocantur; imo adversus propriam ipsorum salutem omnia machinari non verentur, atque a Domini majestate dejectum, quantum in ipsis est, in creaturarum redigere ordinem moliuntur?* [7]) — Tertullia-

---

1) Opp. ed. Par. 1615. T. 1. p. 983 ss. T. 2. p. 439—447. — 460. 470 —475.

2) *Haer. 74. n. 6.* Opp. T. 1. p. 894. Cf. *n. 13.* p. 902 s.

3) Opp. T. 5. P. 1. p. 1 ss.

4) Ib. 383 ss.

5) In Galland. *Bibl. PP.* T. 6. p. 264 ss.

6) *L. 1. Epist. 109.* p. 22. c. 2.

7) *De S. Pentec. Hom. 2. n. 2.* Opp. T. 1. p. 470. Cf. *Expos. in Ps. 44. n. 3.* T. 5. p. 164. E. *In Joan. Hom. 5. (4). n. 2.* T. 8. p. 37. B. *Hom. 30 (29). n. 2.* p. 172. D. E. *In Epist. 2. ad Cor. Hom. 7. n. 5.* T. 10. p. 487. *In Epist. 1. ad Cor. Hom. 29. n. 4.* T. 10. p. 264 s. et al.

nus: *Tertius enim est Spiritus a Deo et Filio, sicut tertius a radice fructus ex frutice. Et tertius a fonte rivus ex flumine. Et tertius a sole apex ex radio* [1]. — *Filium non aliunde deduco, sed de substantia Patris.* — *Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium* [2]. — *Duos definimus, Patrem et Filium, et jam tres cum Spiritu S., secundum rationem oeconomiae, quae facit numerum.* — *Duos tamen deos et duos dominos nunquam ex ore proferimus, non quasi non et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus S. Deus, et Deus unusquisque* [3]. — Cyprianus: *Si peccatorum remissam consequutus est, et sanctificatus est, et templum Dei factus est, si sanctificatus est, et templum Dei factus est, quaero cujus Dei? Si Creatoris, non potuit, quia in eum non credidit: si Christi, nec hujus fieri potuit templum, qui negat Deum Christum: si Spiritus S., cum tres unum sint, quomodo Spiritus S. placatus esse ei potest, qui aut Filii aut Patris inimicus est* [4]? — Dionysius Rom.: *Necesse est,* ait, *divinum Verbum Deo universorum esse unitum, et Spiritum S. in Deo manere et inhabitare; adeoque divinam Trinitatem in unum, quasi in quemdam verticem, h. e in Deum universorum omnipotentem, reduci atque colligi* [5]. — Hilarius Pictaviensis (†. 368) peculiare opus *de Trinitate* exaravit [6]. — Ambrosius praeter illa, quae habet de SS. Trinitate in libris *de fide* [7], composuit libros tres *de Spiritu S.*, in quibus ad preces Gratiani Imperatoris de Spiritus S. divinitate et ejusdem cum Patre et Filio consubstantialitate disputat [8]. — Eodem, quo vixit Ambrosius, tempore, prodiit quoque Martini Turonensis brevis *expositio fidei de S. Trinitate* [9]. — Augustinus praestantissimos elucubravit *de S. Trinitate* libros

---

1) *Adv. Prax. n. 8.* Opp. V. 1. p. 411.

2) *Ib. n. 4.* p. 406.

3) *Ib. n. 13.* p. 417. Cf. *n.* 2. p. 404 *s. s.* c.

4) *Epist. 73. ad Jubaj. n. 8.* Opp. T. 1. p. 219. Cf. *n. 12.* p. 222. et al. pass.

5) *Epist. can. ad Sabellian. c. 1.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 3. p. 538.

6) Opp. T. 2. c. 1—444.

7) Opp. T. 2. c. 443 *ss.*

8) Ib. c. 599 *ss.* Cf. *In Symb. Apost.* Append. 322 *ss.*

9) In Galland. *Bibl. PP.* T. 7. p. 599.

quindecim [1]). Idem permulta ejusdem argumenti habet in libro *de vera Religione,* ad cujus finem docet, *convenire nos — ipsum donum Dei (Spiritum S.) cum Patre et Filio aeque incommutabile colere et tenere: unius substantiae Trinitatem, unum Deum, a quo sumus, per quem sumus, in quo sumus —: Deum, qui dixit: Fiat; et Verbum, per quod factum est omne, quod substantialiter et naturaliter factum est; et Donum benignitatis ejus, quo placuit, et conciliatum est auctori suo, ut non interiret, quidquid ab eo per Verbum factum est* [2]). — Vincentius Lirin.: *Beata* inquit, *Catholica Ecclesia, quae unum Deum in Trinitatis plenitudine, et item Trinitatis aequalitatem in una divinitate veneratur; ut neque singularitas substantiae personarum confundat proprietatem, neque item Trinitatis distinctio unitatem separet deitatis* [3]). — Prosper:

Quodque Deo minus est, non est Deus: a Patre natum
Verbum, et qui amborum Spiritus est, Deus est.
Una eademque trium quoniam est essentia, quae se
Nunquam vel major, vel minor esse potest [4]).

Quibus adnumerandi adhuc sunt: Cerealis, qui *De fide SS. Trinitatis adv. Maximinum* opusculum scripsit [5]); incertus quidam Scriptor, qui *de Trinitate,* seu *de unita Trinitate Deitatis* libros duodecim composuit [6]); Paschasius (juxta Gregorium M., Faustus Regiensis juxta Gennadium), qui *de Spiritu S.* duos libros exaravit [7]); atque Fulgentius Ruspensis, qui tractatum *de S. Trinitate,* item *quaestiones de processione Spiritus S.* scripsit [8]).

Observ. Patres ante Synodum Nicaenam, et etiam, qui post illam adversus Pneumatomachos strinxerunt calamum, velut Basilius, parci quidem admodum fuerunt in nomine *Dei* Spiritui S. tribuendo. Id tamen ex quadam cautione ab ipsis factum est, tum

---

1) Opp. T. 8. c. 745—1004. Cf. *Cont. Maximin. l. 1. c. 19.* T. 8. c. 689 s. *l. 2. c. 10.* c. 697 ss.

2) *C. 55. n. 113.* T. 1. c. 788.

3) *Common. c. 18.* p. 57.

4) *Epig. 55.* Opp. 646.

5) In *Bibl. max. PP.* Lugd. T. 8. p. 671 ss.

6) Una c. Opp. Vitens. ed. Petr. Fr. Chifflet. Dunon. 1664. 4.

7) In *Bibl. Max. PP.* Lugd. T. 8. p. 807 ss.

8) Opp. p. 328 ss. 663.

ne offenderent infirmos, qui, quamquam Spiritum S. Deum esse crederent, tamen ab ea adpellatione abstinendum esse putarunt, nescio, quibus causis ducti, tum ne nimium exacerbarent Macedonianos, quos secum contra Arianos unitos esse censebant.

§. 46. Continuatio.

Porro quemadmodum fidem universalem Ecclesiae antiquissimae in divinitatem Filii, ita quoque in divinitatem Spiritus S. testantur confessiones, quas Martyres, ante judices ducti, publice ediderunt, quibusque confirmarunt, se cum Ecclesia universa aeque in Spiritum S. Deum ac in Deum Patrem et Deum Filium credere. Ejusmodi confessiones sunt supra laudatae Epodii et Alexandri, Eupli Vincentii, et Eupolemi, porro Scillitanorum MM., Felicitatis et septem filiorum MM., Victoris, Alexandri et sociorum MM. c. a. 290., Agapae et sociorum MM. a. 304., Afrae M. c. a. 405., Firmi et Rustici MM. a. 305. et aliorum, quae apud Ruinartum legi possunt [1]).

Id ipsum valet quoque de doxologia: *Gloria Patri, etc.*, nec non de clausula precum: *Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.*, jam in antiquissima Ecclesia usu receptis, prout de τρισάγιῳ, de moro vetustissimo se cruce signandi *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.*; ex quibus omnibus consuetudo primae Ecclesiae colendi et invocandi Spiritum S. colligitur.

Dein Symbolum Apostolicum, quemadmodum inde ab ortu Ecclesiae in usu erat, parili fide in Spiritum S. ac in Deum Patrem et Filium ejus unicum, fideles credere jubet, i. e. illum confiteri, adorare, eique se prorsus mancipare, ut bene exponit Paschasius, quum ait: *Credo in illum, hoc est dicere, confiteor illum, colo illum, adoro illum, totum me in jus ejus ac dominium trado, atque transfundo. In professionis hujus reverentia universa divino nomini debita continentur obsequia* [2]).

Tandem hanc fuisse a Christo Domino in sinu Ecclesiae repositam et ab illa custoditam fidem, Spiritum S. videlicet verum esse Deum, et ejusdem cum Patre et Filio maje-

---

[1]) *Acta Martyrum.* Ver. 1731. Cf. *Epist. Eccl. Vien. et Lugd. n. 18.* Ib. p. 60.

[2]) *De Spir. S. Praef.* in *Bibl. max. PP.* Lugd. T. 8. p. 808.

statis et dignitatis, seu Patri et Filio consubstantialem, nobis patefacit condemnatio haeresis Macedonianae. Cum enim Macedonius Spiritum S. Filii creaturam esse diceret: omnes contra eumdem insurrexerunt, fidem avitam de ejus divinitate attestantes. Primo Macedonius condemnatus fuit in Concilio Alexandrino a. 362.[1], deinde in Conc. Illyrico a. 365. vel potius 372.[2], tum in Conc. Romano a. 372. sub Damaso[3], atque Iconiensi a. 379.[4], tandem in Conc. Constantinopolitano I. a. 381., in quo solenniter proscripta est doctrina Macedonii[5], et definitum, Spiritum S. ejusdem esse cum Patre et Filio naturae et essentiae, aequalis potestatis ac dignitatis, cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum. Quam definitionem in epistola ad Occidentales ita exponunt[6]: *Ista fides tum a nobis, tum a vobis, tum ab omnibus, qui verbum verae fidei non pervertunt, approbari debet; quippe cum et antiquissima sit, et lavacro Baptismatis consentanea, et nos doceat credere in nomen Patris, Filii, et Spiritus S., hoc est, in divinitatem, potentiam et substantiam Patris, et Filii, et Spiritus S., aequalem dignitatem, et coaeternum regnum, in tribus perfectissimis hypostasibus, sive in tribus perfectis personis*[7]. Atque Symbolo Nicaeno, quod solummodo nudum habebat articulum: *Credimus in Spiritum S.,* addidit: *Dominum, et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio simul adorandum et conglorificandum: qui locutus est per Prophetas*[8]. In quibus additamentis, licet Spiritus S. expresse Deus nominatus non sit, eum tamen verum Deum esse, Patri et Filio aequalem, ex aequali adoratione ei adjudicata sat adparet. Causa autem, cur Patres Concilii a voce *Deus* Spiritui S. in Symbolo apponenda abstinuerint, videtur haec fuisse, quia contradictionibus contra vocem ὁμοούσιος experti fuerant, quantae lites propter vocabulum excitari possint per eos ipsos, qui cae-

---

1) Mansi, *Coll. Conc.* T. 3. c. 347.
2) *Epist. Synod.* Ib. c. 385.
3) *Epist. Synod.* Ib. c. 457.
4) Ib. c. 505. et 507.
5) *Can. 1.* Ib. T. 3. c. 557 s. et 565.
6) Cf. *Or.* Gregor. Naz. *in Syn. CP. I. habita.* Ib. c. 546.
7) Ib. c. 585—586.
8) Ib. c. 565—566.

terum doctrinam eo expressam haud impugnent. — Quae decreta Concilii mox ab omnibus Orientis Ecclesiis approbata sunt; sed et non multo post ab Occidentalibus sunt agnita, ita ut sic Concilium illud Constantinopolitanum auctoritatem Conciliorum oecumenicorum nancisceretur, praecipue quum eodem tempore Damasus Papa cum multis Episcopis occidentalibus Concilium Romae celebrasset, in quo pronuntiato contra Sabellium, Photinum et Apollinarem anathemate statutum est: *Anathematizamus Arium atque Eunomium, qui pari impietate, licet sermone dissimili Filium et Spiritum S. esse asserunt creaturas. Anathematizamus Macedonianos, qui de Arii stirpe venientes, non perfidiam mutaverunt, sed nomen. — Si quis non dixerit, Spiritum S. de Patre esse vere et proprie sicut et Filium, de substantia divina, et Deum verum; anathema sit*[1]). Confirmatum autem est Concilium illud a Damaso in Conc. Romano a. 383. habito[2]). Ne tamen ullum dubium superesset, Concilium Const. IV. a. 869. diserte enuntiavit, Spiritum S. esse Patri et Filio consubstantialem, definiens: *Credimus in unum Deum in tribus consubstantialibus et divinis ac principalibus personis: — unum quidem et singularem Deum secundum rationem substantiae, trinum autem, vel tria secundum rationem personarum praedicamus. — Anathematizamus Macedonium, neque in personarum discretione differentiam substantiae Patris, et Filii, et divini et principalis Spiritus juxta praedictos haeresiarchas recipientes, neque in una eademque substantia personas secundum amentissimum Sabellium confundentes*[3]).

---

1) Ib. c. 486.
2) Ib. c. 642.
3) *Termin. S. Syn.* Ib. T. 16. c. 180.

Titulus II.

Pater et Filius et Spiritus S. tres personae realiter distinctae, unius tamen ac individuae naturae et substantiae.

§. 47. Ingressio.

Erant quidem, qui minime negarent, Patrem et Filium et Spiritum S. dici in SS. Litteris Deum, et tamen eorum doctrina ab Ecclesia rejecta est eo, quod realem distinctionem inter Patrem et Filium et Spiritum S. non admitterent, contendentes, hos tres tantum diversa nomina esse, diversos sese Dei manifestandi modos, seu diversas divinas operationes ejusdem unius divinae personae significantia, aut vero Filium et Spiritum S. esse solummodo duas speciales Dei vires, seu duo specialia divina attributa absoluta. Antitrinitarii audiunt. — Patrem Filium et Spiritum S. nonnisi diversa nomina, quibus una, eademque divina insigniatur persona pro diversis sese patefaciendi modis, defenderunt saec. II. Noëtus et Praxeas, statuentes, Deum quatenus homines ad salutem inde ab aeterno destinaverit, esse Patrem, quatenus in Christo humanam sibi adsociaverit naturam, passus ac mortuus sit, Filium, quatenus vero homines sanctificet, Spiritum S. vocari. — Filium autem ac Spiritum S. quasdam virtutes esse divinas, docuit saec. II. Sabellius, qui inter Antitrinitarios longe plurimos nactus est discipulos, unde et error Antitrinitariorum, licet in varios excreverit ramos, uno Sabellianismi nomine comprehenditur. Sabellium secuti sunt saeculo III. adhuc Paulus Samosatenus, et saec. IV. Photinus, Episcopus Sirmiensis. — Alii demum exstiterunt, qui Christum merum hominem asserentes, eo ipso quoque personalem Verbi subsistentiam agnoscere non poterant, etsi ignoratur, quid proprie de Verbo senserint; Spiritum S. autem probabiliter pro vi divina habuerunt. Ad hanc classem pertinent Theodotus uterque, Artemon et alii. Quibus porro accedunt Sociniani, qui contendunt, Christum propter supernaturalem conceptionem Dei Filium, propter altiores vero dotes speciatim propter potentiam et majestatem post assumtionem in coelum acceptam nonnunquam, sed sensu improprio in SS. Litteris Deum vocari, et propter hanc altiorem dignitatem etiam adorandum

et invocandum esse, atque Spiritum S. dumtaxat virtutem et efficaciam divinam esse. Nec non huc pertinent **Rationalistae**, quos etiam **Deistas** et **Naturalistas**, seu **Unitarios** dicunt.[1])

Quemadmodum autem Antitrinitarii statunnt, unam tantum esse in divinis personam, prout una solummodo divina est substantia: ita ex adverso alii tres numero non tantum personas, sed et prorsus a se distinctas substantias, inter se aequales, assumsere. Adpellatur error hic tritheismus, cujus accusatur saec. VI. **Joannes Philiponus**, Grammaticus Alexandrinus, et ante eum jam Joan. **Ascusnaghes**, philosophus Syrus[2]), saec. XI. **Roscellinus**, a Concilio **Suessionensi** damnatus, saec. XVII. **Scherlock**, **Faydit**, et alii.

Rejecto jam utroque errore, docet Ecclesia Catholica, **Patrem et Filium et Spiritum S. tres esse personas re distinctas, in una tamen ac individua substantia et natura, omnibus ex aequo communi**, seu, ut habet **Symbolum Athanasianum**, ab universa Ecclesia receptum: *Fides Catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur; neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus S.; sed Patris, et Filii, et Spiritus S. una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna majestas.*

Cum scilicet haeresis Sabelliana sanum verbum depravaret: non poterat non Magisterium Apostolicum hanc sublimem doctrinam adcuratius definire. Quod aptissime eo fiebat, si certa vocabula elegit, quibus doctrina vera sine erroris periculo paucis et adcurate simul exprimeretur. Ecclesiae autem jus esse talia vocabula seu dicendi formulas eligendi, quamvis non sint revelatae, in propatulo est. Etsi enim ipsa nova dogmata condere non potest, sed in iis definiendis per omnia adstricta est verbo Dei revelato: ortâ tamen controversiâ, certas, easque breves et distinctas dicendi formulas, vel etiam vocabula statuere poterit, quibus non novum dogma aliquod cuditur, sed antiqua veritas modo quidem novo, ast convenienti exprimitur, et velut tesserâ continetur. Tali enim ratione discrimen inter do-

---

[1]) Cf. Klein, *Hist. Eccl. Christ.* Graec. 1828. T. 1. p. 172 ss. T. 2. p. 348 ss.

[2]) Cf. *Chron. Greg. Bar. hebr.* Assemann. *Bibl. orient.* T. 2. p. 328.

ctrinam orthodoxam et haereticorum errores manifestius patet, nec periculo exponuntur fideles facile a veritate revelata aberrandi. *Quid igitur restat,* ait Augustinus, *nisi ut fateamur, loquendi necessitate parta haec vocabula, cum copiosa opus esset disputatione adversus insidias vel errores haereticorum* [1]). Et S. Thomas: *Ad inveniendum nova nomina, antiquam de Deo fidem significantia, coëgit necessitas disputandi cum haereticis* [2]). Suo jure usa est itaque Ecclesia, cum Sabellianis quaerentibus, quid ergo sint Pater et Filius et Spiritus S., si non sunt diversi divinitatis exsistendi aut operandi modi, neque diversae divinae virtutes, respondit, esse tres subsistentias, seu personas, quin tamen dividatur aut separetur propterea divina essentia, natura seu substantia.

Antequam tamen hancce Ecclesiae definitionem ex revelationis divinae fontibus demonstremus: e re erit prius exponere, quid ex mente Ecclesiae sub illis diversis nominibus essentiae, naturae, substantiae, subsistentiae ac personae veniat.

Sub essentia, sensu latiori accepta, et etiam natura, intelligitur illud omne, quo res id est, quod est, adeoque non tantum interna rei ratio, cui ejusdem proprietates inhaerent, sed et hae ipsae simul proprietates illi inhaerentes. Id ipsum significat *οὐσία* Graecorum. SS. Patres tamen, vocabulum hoc, prout et vocabulum *φύσις* pro essentia seu natura definita acceperunt, ita ut ipsis utraque vox idem sit ac *ὑπόστασις* seu *persona* [3]). Quo sensu *οὐσίαν* Sabelliani intellexerunt, quum Filium et Spiritum S. Patri *ὁμοούσιον* praedicarent; unde et in Concilio Antiocheno contra illos a. 341. coacto definitum est, propriam esse Patris, Filii et Spiritus S. substantiam, i. e. personam [4]). Verum jam dudum Ecclesiae universae consuetudine receptum est, ut nomine *οὐσίας* et etiam *φύσεως* sensu latiori significetur id, quod rem proprie conficiat, seu quod nos essentiam ac naturam (die Natur und die Wesenheit), Scholastici entitatem, quidditatem, constitutivum vel etiam formale rei ad-

---

1) *De Trinit. l. 7. c. 4. n. 9.* Opp. T. 8. c. 860. Cf. *n. 7—8.* c. 858 *s.*

2) *1. q. 29. art. 3. ad 1.* Opp. T. 20. p. 180. c. 1.

3) Cf. Petav. *De Trinit. l. 4. c. 1. n. 2—3. De theol. dogm.* Antv. 1700. T. 2. p. 184. et *c. 2.* p. 189 *ss.*

4) Cf. Hilar. *De Syn. n. 31 ss.* Opp. T. 2. c. 480 *ss.*

pellarunt [1]). Sensu tamen strictiori (essentia metaphysica) essentiae nomine venit id, quod accidentibus est subjectum, cuique haec velut substantiae suae inhaerent, seu illud, quod proprie rem ab omni alia distinguit, et radix proprietatem ejus ac causa est.

Substantia dicitur id, quod nullo alio indiget tamquam subjecto, cui inhaereat, ad exsistendum, seu paucis, quod exstat per se, durch sich. Hinc sub substantia intelligitur

a. ens absolutum seu Deus per excellentiam, utpote qui solus, quia prorsus independenter ab omni re, vere per se exsistit;

b. omne ens etiam finitum, quatenus, licet dependendo a Deo, tamen non alteri finito subjecto inhaerendo, attributi aut actionis aut status seu conditionis instar, et hoc sensu pariter per se, non per aliud seu in alio exstat; atque tandem

c. illud in entibus finitis, cui tamquam subjecto durabili accidentia, uti sunt attributa, adfectiones et actiones, inhaerentia cogitantur, quo sensu substantia ab essentia sensu strictiori accepta haud differt [2]).

Id ipsum pro suo etymo notat graecum ὑπόστασις, et in eo sensu etiam revera a veteribus Patribus usurpatur [3]). Post ea tamen usus invaluit, ut vox haec nonnisi de persona adhiberetur.

Subsistentia, τρόπος τῆς ὑπάρξεως, exsistentia substantiae pro se, seu modus proprius exsistendi per se, das Fürsichsein, das Insbesonderesein, est exsistentia substantiae, qua haec singularis, completa, et ideo alteri incommunicabilis redditur; deinde autem hanc ipsam singularem, completam et alteri incommunicabilem substantiam significat, quo sensu idem ac suppositum est.

---

1) Cf. Petav. l. c. p. 192 ss.

2) Cf. Petav. l. c. *c. 3.* p. 194 ss.

3) Cf. Athanas. *Epist. ad Afr. Episc. n. 4.* Opp. T. 1. P. 2. p. 894. *De decr. Nic. Syn. n. 27.* T. 1. P. 1. p. 232. — Iren. *Cont. haer. l. 5. c. 36.* p. 336. — Epiphan. *Ancor. n. 67.* Opp. T. 2. p. 71. *Haer. 69. n. 70.* T. 1. p. 796 s. — Cyrill. Alex. *Schol. de Incarn. c. 11.* Opp. T. 5. P. 1. p. 785. et al. — Cyrill. Hieros. *Cat. 6. n. 5. 7. 13.* p. 89. 90. 95. *Cat. 16. n. 24.* p. 257. — J. Damasc. *Dial. c. 42.* Opp. T. 1. p. 45. — Mar. Victorin. *De Homous. n. 1.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 8. p. 198. — Hieronym. *Epist. 15. ad Damas. n. 4.* Opp. T. 1. c. 40. — Conc. Nicaen. *Symb.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 2. c. 668. — Conc. Roman. a. 372. Ib. T. 3. c. 457. B.

Suppositum itaque est **substantia**, seu natura per se exsistens, non alii tamquam subjecto inhaerens, **singularis ac individua**, i. e. non pluribus communis, atque **completa**, *αὐτοτελής*, i. e. non destinata cum altera ad tertium aliquod componendum seu constituendum, et ideo alii tamquam supposito **incommunicabilis**, seu certo per se in concreto exsistendi modo determinata.

Persona, *προσώπον*, *ὑπόστασις*, *ὑφισταμένον* tandem est **suppositum rationale**, seu **suppositum intellectu et voluntate praeditum**, adeoque sui, et quidem **tamquam pro se ac propter se exsistentis** (Selbstzweck) **conscium**[1].

Si jam haecce personae descriptio doctrinae Catholicae, juxta quam tres divinae dantur personae realiter distinctae, adcommodatur: consequitur, tria esse in divinis supposita intelligentia et volentia, a se invicem distincta, attamen nequaquam a se invicem sejuncta, ita ut Deus quidem sit **in tribus personis distinctis**, non autem in tribus personis **distinctus**[2]. Quapropter bene est attendendum, ne etiam id, quod personae in creatis adhaeret, ut scilicet non tantum subsistentiam, sed et substantiam sibi unice propriam habeat, in personas divinas transferatur; quum hae substantiam seu essentiam divinam communem et indistinctam habeant. Sunt itaque tres personae in Deo, si substantiam divinam in omnibus eamdem mente subtraxeris, tres diversi subsistendi modi, (**Paternitas**, **Filiatio** et **Spiratio**), qui nostra cogitandi ratione ipsi divinae substantiae supervenire concipiuntur, quam afficiunt et singularem in unaquaque persona reddunt, re ipsa autem ad divinam naturam, in qua nihil est accidens, pertinent, uti attributa absoluta, et hinc neque personae possunt confundi, neque substantia separari[3].

§. 48. Pater persona.

Ecclesiae autem doctrina de trina persona in natura divina hoc sensu exposito per partes non difficulter probatur. Etenim

---

1) Cf. Basil. *Hom. in illud: In princ. erat Verbum. n. 3.* Opp. T. 2. p. 136. E. — Petav. l. c. *l. 3. c. 4.* p. 194 ss. *c. 8.* p. 219 ss.

2) Cf. Const. Pii VI. *Auctorem fidei. 28. Aug. 1794. n. 85.*

3) Cf. Petav. *De Incarn. l. 13. c. 13. n. 3. De theol. dogm.* T. 5. p. 149. — Staudenmaier, Die christl. Dogmatik. Freib. 1844. 2. B. p. 212 ss.

Patrem SS. Literae ubique tamquam suppositum intelligens ac volens exhibent, quod per actiones, quae ipsi adscribuntur, manifestum redditur. Pater enim secundum effata Christi et Apostolorum cognoscit [1]), docet [2]), revelat [3]), vult [4]), decernit [5]), diligit [6]), operatur [7]), disponit [8]), mittit [9]), ignoscit ac peccata dimittit [10]), salvificat [11]), exaudit [12]), sibi complacet [13]), clarificat [14]), quae manifesto nonnisi enti intellectu ac voluntate, suique conscientia praedito tribui possunt.

§. 49. Filius persona a Patre distincta.

Idem valet de Filio. Etiam hic ubique in SS. Litteris tamquam suppositum intelligens et volens, et quidem a Patre distinctum proponitur, ut ex supra pro divinitate Filii citatis locis luculenter adparet. Nam dicitur in eis Filius oves suas cognoscere, vitamque dare eis aeternam, ita ut de manu sua, prouti de manu Patris, eas non rapiat quisquam, qui et ipse unum sint [15]). Porro declaratur, ipsum operari, sicut Pater usque modo operetur, non posse facere quidquam a se, nisi quod viderit Patrem facientem, quaecumque autem ille fecerit, haec et Filium similiter facere, atque sicut Pater suscitet mortuos et vivificet, sic et Filium, quos velit, vivificare [16]), esse rerum omnium Dominum, utpote cui Pater, qui habeat vitam in semetipso, dederit pariter habere vitam in semet-

---

1) Matth. 6, 4. 8. 11, 27. 24, 36.
2) Joan. 8, 28. 38. 12, 49.
3) Matth. 16, 17.
4) Joan. 5, 30. 6, 39. Matth. 6, 10.
5) Matth. 20, 23. Luc. 22, 29. 12, 32.
6) Joan. 3, 16. 35. 5, 20. 14, 21. 15, 9. 1. Joan. 4, 9 s.
7) Joan. 5, 17. Cf. 5, 19.
8) Act. 1, 7.
9) Joan. 5, 36. 3, 17. 6, 39. 8, 16. Rom. 8, 3. Gal. 4, 4. 6. 1. Joan. 4, 9.
10) Matth. 6, 14. Luc. 23, 34.
11) Joan. 12, 27.
12) Joan. 16, 23. Matth. 7, 11. Luc. 11, 13.
13) Matth. 3, 17. 12, 18. 17, 5. Marc. 1, 11. Luc. 3, 22. 2. Petr. 1, 17.
14) Joan. 17, 5.
15) Joan. 10, 28 –30.
16) Joan. 5, 17—21.

ipso [1]. Denique docetur, neminem nosse Patrem, nisi Filium, et cui voluerit Filius revelare [2], qui habeat potestatem vitam suam, corporalem scilicet, ponendi, et eam iterum sumendi [3], etc. [4]. Haec quidem Christus ipse. Simili ratione autem docent Apostoli, Verbum seu Filium Dei esse vitam, i. e. auctorem vitae, quae erat apud Patrem, et apparuerit nobis [5], lucem veram, quae illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum [6], eum, per quem mundus factus sit [7], qui in propria venerit, ac dederit hominibus potestatem, filios Dei fieri [8], quique sit Unigenitus a Patre [9]; porro eum semetipsum exinanivisse, formam servi accipientem, in similitudinem hominum factum, et habitu inventum ut hominem [10], qui portet omnia verbo virtutis suae, peccatorum purgationem faciens, atque sit Deus [11], et Dominus vivorum et mortuorum [12]. In hisce per omnia de Filio in oppositione Patris est sermo [13], atque ei talia adscribuntur, quum ipse vita absoluta fruatur, cognoscat [14], velit, atque ad extra agat [15], quae necessario sui conscientiam, intellectum ac liberam voluntatem exigunt. Quin imo id ipsum jam ex compellatione Filii Dei, quae nonnisi personae tribui potest, nec non ex ipso Dei nomine necessario colligitur, quum SS. Litterae alium quam personalem Deum haud noverint.

---

1) Joan. 5, 25—26.
2) Matth. 11, 27.
3) Joan. 10. 18.
4) Cf. §. 34. p. 237 ss.
5) 1. Joan. 1, 2.
6) Joan. 1, 9.
7) Joan. 1, 10.
8) Joan. 1, 11. 12.
9) Joan. 1, 14.
10) Philipp. 2, 7.
11) Hebr. 1, 3. 8.
12) Rom. 14, 9.
13) Cf. insuper Joan. 5, 30. 8, 28. 7, 18. 38. 10, 17. 12, 26. 14, 6. 16, 32. 23, 28. 20, 17. Matth. 10, 32. Luc. 22, 29. 24, 49.
14) Cf. Luc. 10, 22. Joan. 17, 25.
15) Cf. Joan. 1, 18. 8, 38. 15, 15. Matth. 11, 27. Luc. 24, 49. etc.

§. 50. Spiritus S. persona a Patre et Filio distincta.

Sed et Spiritus S. exhibetur tamquam persona, eaque distincta a Patre et Filio. Ait enim Christus: *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis* [1]. — *Paraclitus autem Spiritus S., quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia* [2]. — *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me* [3]. — Atque: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso; sed, quaecumque audiet, loquetur; et quae ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* [4]. Quibus in locis clare docetur, Spiritum S. alium esse ac Patrem et Filium, utpote qui datur a Patre ad preces Filii, mittitur a Patre in nomine Filii, mittitur a Filio, de eo, quod est Filii, accipit, a Patre procedit, et testimonium de Filio perhibet. Una autem in iisdem idem S. Spiritus suppositum sui conscium, intelligens ac libere agens declaratur; nam docet, testimonium perhibet, audit, loquitur, ac futura annuntiat, atque παράκλητος cognominatur, quae vox consolatorem, doctorem, interpretem alterius sententiae, patronum, advocatum significat, et ideo nonnisi ad personam designandam adhiberi potest. — Ita quoque juxta Apostolos Spiritus S. omnia scrutatur, etiam profunda Dei [5]; porro, ut Dominus, ministrationes, et operationes Deus (Pater), ita Spiritus dona extraordinaria dividit, prout vult [6]; atque ipse est, qui tentatur a peccantibus [7], regit Eccle-

---

1) Joan. 14, 16 s.
2) Joan. 14, 26.
3) Joan. 15, 26.
4) Joan. 16, 13—14. Cf. Luc. 12, 12.
5) 1. Cor. 2, 10.
6) 1. Cor. 12, 4—11.
7) Act. 5, 3. 4. 9.

siam [1]), revelat [2]), illuminat [3]), charitatem diffundit, sanctificat, ungit, obsignat atque unit [4]); quae omnia solummodo ad personam referri possunt.

Discrimen trium divinarum personarum clarissime exprimitur quoque in formula Baptismi. Nam cum sub Patre certo persona intelligenda sit, atque Filius et Spiritus S. eodem loco et ordine collocentur cum Patre: etiam Filius et Spiritus S. personae sint necesse est. Sane absurdum foret assumere, Christum baptizari mandasse in nomine Patris, personae divinae, et duarum proprietatum aut efficientiarum divinarum, quae in una eademque divina essentia ac persona, ut supponitur, necessario includuntur, ut taceamus cultum, ad quem per Baptismum, Filio et Spiritui S. aeque ac Patri exhibendum obstringimur, nonnisi personae tribui posse. Unde et hac formula Baptismi Patres antiqui contra Sabellianos [5]) usi sunt, nominatim Constantinopoli a. 381. congregati, teste Theodoreto [6]). — Id ipsum valet de precatione Pauli: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Spiritus S. cum omnibus vobis* [7]). Et de salutatione Petri: *Electis — secundum praescientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi: Gratia vobis et pax multiplicetur* [8]).

Quae autem sensa fuerint Ecclesiae antiquae, jam ex trina mersione, qua semper Baptismus administrabatur [9]), et praecipue ex condemnatione haeresis Sabellianae colligere pronum est. Nam quamprimum haecce nata fuerat: Patres contra eamdem insurrexerunt, atque fidem catholicam propugnarunt.

---

[1]) Act. 20, 28. 13, 20.

[2]) Ephes. 3, 5. 1. Tim. 4, 1.

[3]) Act. 15, 28. 1. Cor. 12, 3. Rom. 8, 26. Act. 10, 20.

[4]) Rom. 5, 5. 15, 30. 1. Cor. 6, 11. 2. Thess. 2, 12. Tit. 3, 5—6. 2. Cor. 1, 21—22. 13, 13.

[5]) Cf. Didym. Alex. *De Spir. S. n. 23. 24.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 6. p. 272. — Tertull. *Adv. Prax. n. 26.* Opp. V. 2. p. 436. — Hilar. *De Trinit. l. 2. n. 1 ss.* T. 2. c. 25 ss.

[6]) *H. E. l. 5. c. 9.* Opp. T. 3. p. 716. C.

[7]) 2. Cor. 13, 13.

[8]) 1. Petr. 1, 1—2.

[9]) Cf. Tertull. *Adv. Prax. n. 26.* Opp. V. 2. p. 436.

Ad quos pertinent: Cajus, Presbyter Romanus [1]), Malchion, Presbyter Antiochenus [2]), Tertullianus [3]), Hippolytus [4]), Novatianus [5]), Dionysius, Rom. P. [6]), Eusebius Caesariensis [7]), Athanasius [8]), Basilius [9]) et Gregorius Nyssenus [10]). Praeterea error ille in Synodo Romana a. 263. solenniter damnatus atque Sabelliani jussi sunt, praeter veram divinitatem, quam agnoverant, una profiteri, esse Christum non sola cogitatione, sed realiter a Patre distinctum, quod orthodoxa fides doceat.

Observ. Contra subsistentiam personalem Spiritus S. a Patre et Filio distinctam quidem obmovent, Spiritum S. in SS. Litteris comparari cum spiritu hominis [11]), qui non sit ab homine distinctus, et opponi spiritui mundi [12]), qui pariter subsistentia peculiari destituatur. — Attamen Spiritus S. cum spiritu hominis tantum comparatur quoad scientiam eorum, quae sunt in homine, non autem etiam quoad ejus relationem ad hominem. Porro opponitur Spiritus S. spiritui mundi solummodo in suis effectibus, nequaquam respectu sui proprii per se exsistendi seu subsistendi modi, ita ut ex hac oppositione tam parum sequatur, Spiritum S. non exsistere

---

1) In libello: *Parvus Labyrinthus,* adversus Artemonem directo, cujus tamen nonnisi fragmenta apud Eusebium, *H. E. l. 5. c. 28.* ed. Zimmerm. Francof. 1822. p. 375 ss. supersunt.

2) *Epist. Synod. adv. Paul. Samos.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 3. p. 558 ss. *Fragm. disp. cont. Paul. Samos.* Ib. p. 562.

3) *Adv. Prax.* Opp. V. 2. p. 403—442.

4) *Tract. cont. haer. Noët.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 2. p. 454 ss. *Cont. Beron. et Helic.* p. 465 ss.

5) *De Trinit. c. 18—19.* Ib. p. 300 ss.

6) *Adv. Sabell.* Ib. p. 538 ss. Ap. Athanas. *De decr. Syn. Nic. n. 26* Opp. T. 1. p. 231 ss.

7) *Adv. Marcellum ejusque σύγγραμμα,* et *De eccles. Theologia.* Una c. ejusd. *Demonstr. Evang.* ed. Morelli. Par. 1628. S. 2. p. 1—195. *De fid. adv. Sabell.* In *Bibl. max. PP.* Lugdun. T. 4. p. 1 ss.

8) *Refutatio hypocrisis Meletii, Eusebii adv. consubstant. — Or. De Incarn. Dei Verbi adv. Paul. Samos. — Or. cont. Sabell. gregal. de aetern. F. et Sp. S. c. D. exsistentia.* Opp. T. 2. p. 31 ss. — 33 ss. — 37 ss.

9) *Hom. 24.* Opp. T. 2. p. 189—197. *Epist. 64.* T. 3. p. 313—318.

10) *Serm. adv. Arium et Sabell.* In Maji *Coll. nov. vett. Script.* V. 8. P. 2 p. 1—9. Cf. Justin. *Apol. I. n. 13.* Opp. p. 51. — Origen. *De princ. l. 1. c. 3. n. 1—3.* Opp. T. 1. p. 60 s. *In Luc. Hom. 25.* T. p. 962. — Petr. Chrysol. *Serm. 60.* p. 92 s. — Vinc. Lirin. *Common.* p. 46.

11) 1. Cor. 2, 10—11.

12) 1. Cor. 2, 12—16.

virtutem (*δύναμιν*, substantiam) ***Patrem et Filium et Spiritum S.***, *quia mens, verbum et sapientia Filius Patris, effluvium autem, ut lumen ab igne, Spiritus*[1]). — Irenaeus: *Ecclesia, tametsi per universum orbem usque ad extremos terrae fines dispersa, fidem eam ab Apostolis eorumque discipulis acceptam, quae est in* ***unum Deum Patrem omnipotentem***, *— et in* ***unum Jesum Christum Filium Dei***, *— et in* ***Spiritum S.*** *— summo studio et cura, perinde atque unam domum incolens, conservat, ac velut animam unam, atque unum idemque cor habens, his aeque fidem accommodat, et miro consensu, quasi uno ore praedita, haec praedicat, docet ac tradit*[2]). — Clemens Alex.: *Laudemus* ***unum Patrem et Filium*** *—* ***una cum Spiritu S., qui unus est omnia***, (*πάντα τῷ ἑνὶ*), *in quo omnia, per quem omnia sunt unum* (*δι' ὃν τὰ πάντα ἓν*)[3]). — Origenes: *Idem namque ipse, qui ibi* ***Trinitas propter distinctionem personarum***, *hic* ***unus Deus*** *intelligitur* ***pro unitate substantiae***[4]). Et: *Sunt enim nonnulli, qui annuntiant quidem et praedicant de Patre, et Filio, et Spiritu S.; sed non sincere, non integre: ut sunt omnes haeretici, qui Patrem quidem et Filium et Spiritum S. annuntiant; sed non bene, neque fideliter annuntiant. Aut enim male separant Filium a Patre, ut alterius naturae Patrem, alterius Filium dicant: aut male confundunt, ut vel ex tribus compositum Deum, vel trinae tantummodo appellationis in eo esse vocabulum putent. Qui autem bene annuntiat bona,* ***proprietates quidem Patri, et Filio, et Spiritui S. suas cuique dabit; nihil autem diversitatis esse confitebitur in substantia vel natura***[5]). — Dionysius Alex.: ***Nos indivisibilem Unitatem in Trinitatem dilatamus, et Trinitatem iterum, quae imminui nequit, in Unitatem contrahimus***[6]). — Hippolytus: *Oeconomia consensionis redigitur ad* ***unum Deum:***

---

1) *N. 24.* p. 322. Cf. *n. 10.* p. 304 s.

2) *Cont. haer. l. 1. c. 10. n. 1. 2.* p. 48 s.

3) *Paedag. l. 3. c. 12.* Opp. T. 1. p. 311. Cf. *l. 1. c.* 6. p. 112 ss.

4) *In Cant. l. 3.* 2, *9.* Opp. T. 3. p. 84. c. 1. A.

5) *Comm. in Epist. ad Rom. l. 8. n. 5.* T. 4. p. 626. c. 2. Cf. *l. 7. n. 13.* p. 612. c. 2. *In Exod. Hom. 9. n. 3.* T. 2. p. 163. c. 2. E. *De princ. Praef. n. 4.* T. 1. p. 47. *In Num. Hom. 11. n. 8.* T. 2. p. 310. c. 1. D. *In Jer. Hom. 18. n. 9.* T. 3. p. 251.

6) Athanas. *De sent. Dionys. n. 17.* Opp. T. 1. P 1. p. 255.

unus enim est Deus, qui mandat, Pater; qui obedit, Filius; qui docet scientiam, Spiritus S.. Pater, qui est super omnia, Filius per omnia, Spiritus S. in omnibus. Aliter Deum unum intelligere non possumus, nisi vere Patri et Filio et Spiritui S. credamus[1]). — Cyrillus Hierosol.: *Spes nostra est in Patrem, et Filium et Spiritum S.. Non tres deos annuntiamus; verum cum S. Spiritu, per unum Filium, unum Deum praedicamus. Indivisa est fides, inseparabilis pietas. Neque separamus S. Trinitatem, neque confusionem facimus*[2]). — Gregorius Naz.: *Patrem igitur, et Filium, et Spiritum S. adoramus, proprietates* (ἰδιότητας) *quidem distinguentes, divinitatem autem copulantes* (ἑνοῦντας τὴν θεότητα)[3]). *Neque Filius est Pater, (unus enim est Pater), sed quod Pater: nec Spiritus S. est Filius, quia ex Deo est (unus enim unigenitus), sed hoc, quod Filius. Tria haec unum, si divinitatem* (θεότητα) *spectes, et unum tria, si proprietatum rationem habeas*[4]). — Basilius: *Unus Deus et Pater, unus Deus et Filius, non Dii duo, cum Filius identitatem* (ταυτότητα) *habeat cum Patre*[5]). Et: *Ubicumque Trinitatem conjunximus, noli velut unius rei indivisae partes tres animo tibi fingere (impia est enim haec cogitatio), sed trium incorporeorum perfectorum essentiam communem atque individuam intellige*[6]). — Gregorius Nyss.: *Dominus Christus — has voces apponit, ratus, si nos in Patris, et Filii, et Spiritus S. appellatione permaneamus, ad ejus, quod vere est, cognitionem sufficere, quod quidem et unum est, et non unum. Nam essentiae* (οὐσίας) *quidem ratione unum est, quocirca et in unum nomen respicere Dominus edixit: sed secundum eas proprietates, quibus divinae personae dignoscuntur, in Patris, et Filii et Spiritus S. fidem distinctum est, inseparabiliter in partes distributum et in-*

---

[1]) *Cont. Noët. n. 14.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 2. p. 461 s.

[2]) *Cat. 16. c. 4.* Opp. p. 244 s.

[3]) *Or.* 29. Opp. T. 1. c. 341. B.

[4]) *Or. 37.* c. 530. Cf. *Or. 13.* c. 190. B. C. *Or. 12.* c. 184. B. C. 189. *Or. 49.* c. 653. *Or. 40.* c. 593. B. *Or.* 23. c. 381. A. B.

[5]) *Cont. Sabellian. n. 3.* Opp. T. 2. p. 191.

[6]) *Ib. n. 5.* p. 193.

confuse unitum [1]. — Chrysostomus: *Oportet et impiam illius* (Sabellii) *confusionem, et furiosam hujus* (Arii) *divisionem aversari et fugere, divinitatem Patris, Filii et Spiritus S. unam confitentes, tres autem hypostases adjicientes* [2]. — Cyrillus Alex.: *In Patre*, ait, *ipse exsistit, et unum cum ipso identitate naturae* (τῇ ταυτότητι τῆς φύσεως) [3]. — Tertullianus: *Perversitas haec damnanda est, quae se existimat, meram veritatem possidere, dum unicum Deum non alias putat credendum, quam si ipsum eumdemque et Patrem et Filium et Spiritum S. dicat: quasi non sic quoque unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiae scilicet unitatem; et nihilominus custodiatur oeconomiae sacramentum, quae unitatem in trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem, et Filium, et Spiritum S.. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie: unius autem substantiae, et unius status, et unius potestatis; quia unus Deus, ex quo et gradus isti et formae et species in nomine Patris et Filii et Spiritus S. deputantur. Quomodo autem numerum sine divisione patiuntur, procedentes retractatus demonstrabunt* [4]. — Cyprianus: *Ipse Christus gentes baptizari jubet in plena et adunata Trinitate* [5]. — Dionysius Rom.: *Illius* (Sabellii) *in eo consistit impietas, quod dicat Filium esse Patrem, et vicissim: illi autem tres Deos quodammodo praedicant, cum sanctam unitatem in tres diversas hypostases inter se omnino dividunt. Necesse est enim divinum Verbum Deo universorum esse unitum, et Spiritum S. in Deo manere et habitare, ac denique Trinitatem in unum, quasi in quemdam verticem, Deum universorum omnipotentem, reduci et colligi* [6]. — Hilarius: *Baptizantur in nomine Patris et Filii et Spiritus S., ut, quorum est una divinitas, sit una largitio;*

---

1) *Cont. Eunom. l. 1.* Opp. Par. 1615. T. 2. p. 3.

2) *De Sacerd. l. 4. n. 4.* Opp. T. 1. p. 410. A.

3) *Cont. Julian. l. 8.* Opp. T. 6. P. 2. p. 265. E. Cf. *Epist. ad Monach.* T. 5. P. 2. p. 6. B.

4) *Adv. Prax. n. 2.* Opp. V. 2. p. 405. Cf. *n. 12.* p. 415 s.

5) *Epist. 73. ad Jubaj. n. 12.* Opp. V. 1. p. 222.

6) *Epist. cont. Sabell.* Ap. Athanas. *De Syn. Nic. decr. n. 26.* Opp. T. 1. p. 231.

nomenque Trinitatis unus est Deus [1]. — Ambrosius: *Nos Patrem et Filium et Spiritum S. confitemur; ita ut in Trinitate perfecta et plenitudo sit divinitatis, et unitas potestatis* [2]. — Hieronymus: *Ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat Sacramentum. Et non baptizamur in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus S., sed in uno nomine, quod intelligitur Deus* [3]. — Augustinus: *Credimus, et tenemus, et fideliter praedicamus, quod Pater genuerit Verbum, hoc est, Sapientiam, per quam facta sunt omnia, unigenitum Filium, unus unum, aeternus coaeternum, summe bonus aequaliter bonum; et quod Spiritus S. simul et Patris et Filii sit Spiritus, et ipse consubstantialis et coaeternus ambobus: atque hoc totum et Trinitas sit propter proprietatem personarum, et unus Deus propter inseparabilem divinitatem, sicut unus omnipotens propter inseparabilem omnipotentiam: ita tamen, ut etiam, cum de singulis quaeritur, unusquisque eorum et Deus et omnipotens esse respondeatur; cum vero de omnibus simul, non tres dii vel tres omnipotentes, sed unus Deus omnipotens; tanta ibi est in tribus inseparabilis unitas, quae sic se voluit praedicari* [4]. Qui pulchre quoque eloquitur, quae de Deo adhibentur nomina, ejus infinitae essentiae minime esse adaequata, quum ait: *Loquendi causa de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possemus, quod effari nullo modo possumus, dictum est a nostris Graecis una essentia, tres substantiae: a Latinis autem una essentia, tres personae* [5]: — *Dictum est tamen: tres personae, non ut illud diceretur, sed ne taceretur* [6]. — Atque Leo M.: *In Trinitate divina enim nihil dissimile, nihil impar est: et omnia, quae de illa possunt substantia cogitari, nec virtute, nec gloria, nec aeter-*

---

1) *Comm. in Matth. c. 33. n. 3.* Opp. T. 1. c. 811. Cf. *In Ps. 122. n. 7.* T. 1. c. 442 s. *De Trinit. l. 4. n. 42.* T. 2. c. 101 s.

2) *De fid. l. 1. c. 1. n. 10.* Opp. T. 2. c. 445 s.

3) *In Epist. ad Ephes. 4, 5—6.* Opp. T. 7. c. 670.

4) *De civ. D. l. 11. c. 24.* Opp. T. 7. c. 290. Cf. *c. 10. n. 1.* c. 279. *De Trinit. l. 1. c. 4. n. 7.* T. 8. c. 753. *l. 5. c. 8. n. 9.* c. 837. *l. 7. c. 2. n. 4.* c. 855. 857 ss. *l. 15. c. 23. n. 43.* c. 996. *Cont. Maximin. l. 2. c. 10.* c. 697 ss. *Epist. 170.* T. 2. c. 608 ss.

5) *De Trinit. l. 7. c. 4. n. 7.* c. 857 s.

6) Ib. *l. 5. c. 9. n. 10.* c. 838.

nitate discreta sunt. — Omnia quae habet Pater, habet et Filius, habet et Spiritus S.: nec unquam in illa Trinitate non fuit ista communio: quia hoc est ibi omnia habere, quod semper exsistere. Nulla ibi tempora, nulli gradus, nullae differentiae cogitantur. — Ideo enim hanc beatam Trinitatem unum confitemur Deum, quia in his tribus personis nec substantiae, nec potentiae, nec voluntatis, nec operationis est ulla diversitas[1]). —

C. Fidem eamdem in Deum in personis trinum, in substantia vero unum denique praedicant, ut supra jam ostendimus, omnia Symbola in Ecclesia usitata, enucleatius exponunt Concilia. Sic Synodus Romana IV. a. 378 vel 379. sub Damaso P. celebrata, cujus anathematismi ab universo quoque Oriente sunt suscepti, ita habet: *Quod si quis patiatur, Deum Patrem dicens, et Deum Filium ejus, et Deum Spiritum S., Deos dici, et non Deum propter unam divinitatem et potentiam, quam credimus esse et scimus Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Deum verum; — anathema sit*[2]). Et: *Haec ergo est salus Christianorum, ut credentes Trinitati, id est Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, in ea veram solamque unam divinitatem, et potentiam, et majestatem, et substantiam eamdem sine dubio credamus, ut aeternam attingere mereamur ad vitam*[3]). Concilium Constantinopolitanum II. a. 553. ait: *Si quis non confitetur Patris, et Filii, et Spiritus S. unam naturam sive substantiam, et unam virtutem et potestatem, Trinitatem consubstantialem, unam deitatem in tribus subsistentiis sive personis adorandam* (τριάδα ὁμοούσιον, μίαν θεόθητα ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν, ἤγουν προσώποις προςκυνουμένην); *talis anathema sit*[4]). — Conc. Lateran. a. 649. sub Martino I. celebratum: *Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et veraciter Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, Trinitatem in unitate, et unitatem in Trinitate, hoc est, unum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus et aequalis gloriae, unam eamdemque trium deitatem, naturam, substantiam:*

---

1) *Serm. 73. n. 3.* Opp. p. 155 s.
2) *An. 24.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 3. c. 488.
3) Ib.
4) *C. 1.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 9. c. 375.

— *condemnatus sit*[1]). — Conc. Toletanum XI. a. 675. celebratum, quod ab Innocentio III. authenticum declaratur[2]): *Confitemur et credimus sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, unum Deum naturaliter esse unius substantiae, unius naturae, unius quoque majestatis atque virtutis. — Hic (Filius) etiam unius cum Patre substantiae creditur, propter quod et ὁμοούσιος dicitur, hoc est, ejusdem cum Patre substantiae creditur: ὅμος enim graece unum, οὐσία vero substantia dicitur, quod utrumque conjunctum sonat, una substantia. — Spiritum quoque Sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, unum atque aequalem cum Deo Patre et Filio credimus esse Deum, unius substantiae, unius quoque esse naturae. — Haec est Sanctae Trinitatis relata narratio: quae non triplex, sed Trinitas et dici et credi debet. Nec recte dici potest, ut in uno Deo sit Trinitas, sed unus Deus Trinitas. In relativis vero personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Sanctus Spiritus ad utrosque refertur: quae cum relative tres personae dicantur, una tamen natura per substantiam creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias praedicamus, sed unam substantiam, tres autem personas. — Deus ergo Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus singulariter dicitur: nec tamen tres dii, sed unus est Deus. — Singulariter, ut unaquaeque persona plenus Deus, et totae tres personae unus Deus confitetur et creditur: una illis vel indivisa, atque aequalis Deitas, majestas, sive potestas, nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus: quia nec minus aliquid habet, cum unaquaeque persona Deus singulariter dicitur, nec amplius cum totae tres personae unus Deus enuntiatur (enuntiantur). — In relatione personarum numerus cernitur; in divinitatis vero substantia quid numeratum sit, non comprehenditur.— Personas distinguimus, non deitatem separamus. Trinitatem igitur in personarum distinctione agnoscimus; unitatem propter naturam vel substantiam profitemur. Tria ergo ista unum sunt; natura scilicet, non persona*[3]). — Con-

[1]) *Can. 1.* Ib. T. 10. c. 1151.

[2]) Hard. *Act. Conc.* T. 3. c. 1017.

[3]) *Prof. fid.* Ib. T. 11. c. 132—134.

cilium Nic. II. a 787.: *Credimus Trinitatem inconditam, indivisam, incomprehensibilem, incircumscriptam: eamdem totam ac solam latriâ colendam, et adorandam, et venerandam: unam deitatem, unam dominationem, unam potestatem, unum imperium et potentiam, quae personis dividitur indivise, et substantiâ copulatur divise* (τῇ οὐσίᾳ συνάπτεται διῃρημένως) [1]). — Concilium Lateran IV. a. 1215.: *Firmiter credimus, et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus, et immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis et ineffabilis, Pater, et Filius, et Spiritus S.: tres quidem personae, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino: Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac Spiritus S. ab utroque pariter: absque initio, semper ac sine fine: Pater generans, Filius nascens, et Spiritus S. procedens: consubstantiales et coaequales, coomnipotentes et coaeterni: unum universorum principium. — Haec S. Trinitas secundum communem essentiam individua, et secundum proprietates discreta — doctrinam humano generi tribuit salutarem* [2]). — Insuper damnavit diserte sententiam Joachimi Abbatis, qui autumans, a Petro Lombardo doctrinâ, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse substantiam unam numero ac realiter, quaternitatem in Deo adstrui, defenderat, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse unam essentiam, unam substantiam, unamque naturam, verum unitatem hujusmodi non veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam. Docuerat nimirum Magister Sententiarum, *vera et pia fide tenendum esse*, sunt ipsa ejus verba, *quod Trinitas unus sit et solus verus Deus, scilicet Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus; et haec Trinitas unius ejusdemque substantiae vel essentiae dicitur, creditur, et intelligitur*, unius itaque substantiae sensu vero ac proprio seu reali et numerali[3]). Quapropter et ulterius tradebat, *quod nec Pater genuit divinam essentiam, nec divina essentia genuit Filium, nec divina essentia genuit divinam essen-*

---

1) *Act. 4. Decret.* Ib. T. 13. c. 130.

2) *C. 1. De fid. Cath.* Ib. T. 22. c. 981. — Denzinger, *Enchir.* Wirceb. 1854. p. 111.

3) *L. 2. d. 2. n. 1.* Par. 1841. c. 15.

tiam,—quae communis est tribus, et tota in singulis[1]). Quibus Joachimus pro simplicitate mentis substantiam a tribus personis realiter distingui, et eo ipso quaternitatem statui putabat, atque, ut hunc errorem evitaret, contendebat, essentiam seu substantiam in divinis generare ac generari, et tres personas divinas solummodo unum esse quasi unitate specifica et collectiva, seu, ut recentiores loquuntur, formali, Petrum Lombardum haeresis et insaniae mentis insimulans. Cujus doctrinae falsitatem, nec non audaciae temeritatem Concilium his repressit verbis: *Damnamus ergo et reprobamus libellum seu tractatum, quem Abbas Joachim edidit contra Magistrum Petrum Lombardum de unitate seu essentia Trinitatis, appellans ipsum haereticum et insanum, pro eo, quod in suis dixit sententiis, quoniam quaedam summa res est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et illa non est generans, neque genita, neque procedens: unde asserit, quod ille non tam Trinitatem quam quaternitatem astruebat in Deo, videlicet tres personas, et illam communem essentiam quasi quartam: manifeste protestans, quod nulla res est, quae sit Pater, et Filius et Spiritus Sanctus; nec est essentia, nec substantia, nec natura: quamvis concedat, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt una essentia, una substantia unaque natura: verum unitatem hujusmodi non veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam esse fatetur: quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, et multi fideles una Ecclesia, juxta illud: Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una: et: Qui adhaeret Deo, unus spiritus est cum illo. — Nos autem* (opposite ad errores hos), *sacro et universali approbante Concilio, credimus et confitemur cum Petro, quod una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus S., tres simul personae, ac singillatim quaelibet earumdem. Et ideo in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas: quia quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina: quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest. Et illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed*

---

[1]) Ib. *d. 5. n. 1.* col. 25.

est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, et Spiritus S., qui procedit: ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud: sed id, quod est Pater, est Filius et Spiritus Sanctus, idem omnino; ut secundum orthodoxam, et Catholicam fidem consubstantiales esse credantur. Pater enim ab aeterno Filium generando, suam substantiam ei dedit, juxta quod ipse testatur: „Pater quod dedit mihi, majus est omnibus.“ Ac dici non potest, quod partem suae substantiae illi dederit, et partem retinuerit ipse sibi: cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit eam sibi: alioquin desiisset esse substantia. Patet ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit: et ita Pater et Filius habent eamdem substantiam: et sic eadem res est Pater et Filius, nec non Spiritus S., ab utroque procedens[1]). — Quod iterum in Conc. Florentino in *Decreto unionis Graecorum* definitur; atque in *Decreto pro Jacobitis* statuitur: *Sacrosancta Romana Ecclesia — firmiter credit, profitetur et praedicat, unum verum Deum omnipotentem, incommutabilem et aeternum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum in essentia, trinum in personis. — Hae tres personae sunt unus Deus, et non tres Dii: quia trium est una substantia, una essentia, una natura, una divinitas, una immensitas, una aeternitas, omniaque sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Propter hanc unitatem Pater est totus in Filio, totus in Spiritu Sancto: Filius totus in Patre, totus in Spiritu Sancto: Spiritus Sanctus totus est in Patre, totus in Filio*[2]). — Quae decreta clariora esse non possunt. Etenim quum declaratur, in Trinitate eamdem esse unam substantiam; Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse consubstantiales, i. e. unius, ejusdemque substantiae, ita nt sint nonnisi unus Deus, quamvis singulariter unusquisque plenus sit Deus; personas quidem nu-

---

[1]) Ib. *c.* 2. c. 981—2 s.

[2]) Harduin. *Act. Conc.* T. 9. c. 1023.

merari ac distingui, minime autem substantiam; unam quamdam summam esse rem substantiam divinam, quae sit Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres simul personae et singillatim quaelibet earumdem, atque illam rem neque generantem esse, neque genitam, neque procedentem, ita ut distinctiones sint in personis, non autem in natura, in qua sit unitas, et Pater et Filius et Spiritus Sanctus sint idem omnino, quoniam Pater generando Filium ipsam suam substantiam cum Filio communicat, Pater et Filius Spiritum Sanctum emittendo seu spirando autem eamdem ipsam substantiam cum Spiritu Sancto participant, atque eapropter trium omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio: manifeste de alia unitate substantiae trium personarum divinarum nobis cogitare non licet, quam de unitate vera ac propria seu reali numeri, nequaquam autem formali speciei aut alia hujusce generis. — Accedit Bulla, *Auctorem fidei, 28. Aug. 1794.*, qua a Pio VI. propositiones Synodi Pistoriensis damnantur, quae ad finem haec adjecta habet: *Posteaquam (Synodus) rite praemisit, Deum in suo Esse unum et simplicissimum permanere, continuo subjungens, ipsum Deum in tribus personis distingui, perperam discedit a communi et probata in Christianae doctrinae institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur, non in tribus personis distinctus: cujus formulae commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut essentia divina distincta in personis putetur, quam fides Catholica sic unam in personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam*[1]). Quodsi autem essentia in personis distinctis prorsus est indistincta: quis ausus fuerit affirmare, licere tres substantias seu essentias in Deo aeque ac tres personas adstruere?

Observ. Licet doctrina de SS. Trinitate per revelationem Christianam demum hominibus perfecta innotuerit: non erat tamen omnibus, qui ante Christum vixerant, prorsus incognita. Patriarchis enim et Prophetis, nec non aliis viris sanctitate conspicuis, quibus datum erat quasi ex specula in venturum Messiam prospicere, patefactio mysterii SS. Trinitatis denegari non potuit, sine qua ipsos indoles futuri Sospitatoris, ejusque regni, quod erat conditurus, prorsus latere debuisset, quamvis reliquis fieri non potuerat, ne scilicet iisdem, utpote populo rudi et ad idololatriam pro-

---

1) Denzinger, o. c. p. 342.

penso, gravior sarcina ingereretur [1]). Sicut enim sol exortu suo lucem terris afferens, non eo ipso, quo oritur, temporis puncto plenum ac perfectum efficit diem, sed quibusdam illuminandi gradibus et incrementis: sic Dei, divinarumque rerum cognitio non se tota repente permisit humanis ingeniis, sed paulatim pro captu temporum explicata novis accessionibus pervenit ad summum. Hinc et sat clara indicia plurium personarum in divinitate, speciatim Filii Dei, verum etiam Spiritus S. in libris A. F. occurrunt, licet cum iis, quae in N. F. adsunt, nonnisi a longe comparari queant. Huc referuntur a SS. Patribus omnia illa loca, in quibus Angelus Jehovae commemoratur, qui modo cum יְהֹוָה, modo cum אֵל aut אֱלֹהִים commutatur [2]). Porro effata: *F a c i a m u s hominem ad imaginem, et similitudinem n o s t r a m* [3]). — *Et ait (Dominus Deus): Ecce Adam quasi u n u s e x n o b i s factus est* [4]). — *Unus est altissimus Creator omnipotens, et Rex potens, metuendus nimis, sedens super thronum illius, et dominans Deus. Ipse creavit i l l a m (Sapientiam) in Spiritu S.* [5]). — *Numquid ego, qui alios parere facio, i p s e n o n p a r i a m? dicit Dominus: si ego, qui generationem caeteris tribuo, s t e r i l i s e r o* [6])? — *Dominus dixit ad me* (Messiam): *F i l i u s m e u s e s t u, e g o h o d i e g e n u i t e* [7]). — *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit t e D e u s, D e u s tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis* [8]). — *Dixit D o m i n u s D o m i n o meo: Sede a dextris meis. — D o m i n u s,* אֲדֹנָי, *a dextris tuis confregit in die irae suae reges* [9]). — *Dominus possedit m e (S a p i e n t i a m) ab initio. — Nisi tu dederis sapientiam, et miseris S p i r i t u m S. tuum de altissimis* [10]). — *Effundam S p i r i t u m m e u m super*

---

1) Cf. Matth. 13, 17. Joan. 8, 56. — Epiphan. *Haer. 5. n. 5.* Opp. T. 1. p. 18. — Cyrill. Alex. *Cont. Julian l. 1.* Opp. T. 6. P. 2. p. 18 s.

2) Gen. 16, 7. 13. 31, 11—16. 19, 24. 22, 11—16. Jud. 6, 11—16. 20—23.

3) Gen. 1, 26. Cf. 11, 7. Is. 6, 3.

4) Gen. 3, 22.

5) Eccli. 1, 8.

6) Is. 66, 9.

7) Ps. 2, 7.

8) Ps. 44, 8.

9) Ps. 109, 1. 5.

10) Prov. 8, 22. — Sap. 9, 10.

omnem carnem, et prophetabunt filii vestri[1]). — *Et Spiritum tuum bonum dedisti, qui doceret eos*[2]). Et alia[3]).

Facta autem Patriarchis atque Prophetis mysterii SS. Trinitatis revelatione, et etiam in SS. Litteris reposita, non poterat non fieri, ut ipsum pedetentim in vulgus saltem ex aliqua parte innotesceret. Judaeos tempore Christi, Messiam Filium Dei fore, persuasum habuisse, et ideo plures personas divinas saltem implicite credidisse, jam ex ipsa argumentandi ratione a Christo Domino contra eosdam adhibita colligere licet. Inde quoque explicatur, quomodo in paraphrasibus Chaldaicis Verbum ὑποστατικόν, atque in Talmude et in scriptis antiquorum Rabbinorum tres personae in una divina essentia commemorentur.

SS. Patres quidem, prout et alii viri docti posteriores, sibi deprehendere videntur vestigia quoque hujus veritatis apud Indos, Persas et alios populos, nec non apud philosophos, nominatim apud Pythagoram, qui numerum ternarium sacrosanctum et naturae mysterium existimat, et Platonem, qui distinguit Patrem, mentem paternam seu *Λόγον,* mundi opificem, atque animam, qua cuncta contineantur, non tamen Patri aequales, sed eo inferiores[4]). Nec est, cur id impugnetur, etsi fateri debet, Patres saepe consensum placitorum sapientium gentilium justo plus urisse, et nonnunquam exaggerasse, ut eo facilius paganorum animos religionis Christianae mysteriis conciliarent. Recentiorum autem conaminibus contraria consilia subesse, in propatulo est, unde et longe petita, et saepe ridicula congerunt. Non posse tamen doctrinam Christianam de SS. Trinitate ex ejusdem vestigiis, quae apud Gentiles et philosophos inveniuntur, repeti, jam ex eorum collatione cum iis, quae specie externa quidem iisdem convenit, re ipsa autem prorsus est diversa, nec non jam inde cognoscitur, quod haecce vestigia indiciis in SS. A. T. LL. occurrentibus longe obscuriora sint. Omnia potius, quae hoc respectu in variis religionis systematibus populorum et in scriptis philosophorum inveniuntur, tamquam reliquiae revelationis originariae protoparenti a Deo factae, atque per ejus

[1]) Joël. 2, 28.

[2]) Neh. 9, 20.

[3]) Gen. 41, 38. Jud. 3, 10. Ps. 50, 13. 142, 10. Sap. 12, 1. Cf. Justin. *Dial. c. Tryph. 61—62.* p. 165 ss. — Euseb. *Praep. Evang. l. 7. c. 5.* p. 303. — Tertullian. *Adv. Prax. n. 12.* Opp. V. 2. p. 415. — Ambros. *De fid. l. 1. c. 3.* Opp. T. 2. c. 447 ss. — Augustin. *De Trinit. l. 6. c. 1.* Opp. T. 8. c. 843 s. — Gregor. M. *Mor. l. 19. c. 3. n. 5.* Opp. T. 1. c. 605. *In Ezech. l. 2. hom. 4. n. 7.* T. 1. c. 1345. *Hom. 9. n. 11.* c. 1409. *Hom. 4. n. 9.* c. 1346 s.

[4]) Cf. Justin. *Cohort. ad Gent. n. 14. ss.* Opp. p. 17 ss.

posteros ad omnes gentes propagatae, quamvis vario modo immutatae atque etiam foedatae, sunt consideranda, aut etiam ex doctrina Judaeorum, eorumque sacrorum Librorum sunt derivata. Nam philosophos graecos, nominatim Platonem libros Moysis saltem novisse, alibi ostendimus, et ipsum exordium Timaei cum Genesi comparatum demonstrat [1]).

§. 52. Mysterium SS. Trinitatis.

Ex dictis itaque constat, juxta SS. Litteras, divinam Traditionem antiquissimae Ecclesiae, atque solennem Magisterii ecclesiastici definitionem, revera tres esse divinas personas unius ejusdemque numero substantiae divinae. Quoniam ergo unus Deus trina est hypostasis: appellatur quoque Deus triunus, atque divinitas dicitur Trinitas, quasi Triunitas.

Veritatem hanc revelationi divinae in acceptis referendam esse, et hoc respectu ad mysteria pertinere, consentiunt omnes. Verum utrum valeat per rationem sufficienter probari, adeoque num et hoc sensu mysterium vocanda sit, nec ne, nostris temporibus quaestio denuo resuscitata est. Sunt enim alii, qui, ut ita dicam, ab usu rationis in omni, et praecipue in augusto SS. Trinitatis mysterio, omnium altissimo, abstinendum esse censeant, et qui ideo ad SS. Litteras provocent, secundum quas *Deum nemo vidit unquam* [2]), porro ad SS. Patres, qui doceant, *sic Trinitatem excedere omne, quod cogitare vel sapere possumus, sicut superat, quod sumus* [3]), et propterea *sacramentum hoc magnum esse, et quidem venerandum, non scrutandum* [4]), nec

---

[1]) Cf. Euseb. *Praepar. Evang. l. 11. c. 9.* p. 523 s. — Theodoret. *De princ. Serm.* 2. Opp. T. 4. p. 498 ss. — Huet. *Alnet. quaest. de concord. rat. et fid. l. 1. c. 3. de SS. Trinit.* Ven. 1761. p. 69 ss. — Gfrörer, Geschichte des Urchristenthums. Stuttg. 2. Th. p. 87. 1. Th. p. 245 s. — Stollberg, Geschichte der Rel. Jesu. 1. Th. 5. B. — Wisemann, Zusammenhang der Ergebnisse der wissensch. Forschung mit der geoffenb. Religion. Regensburg. 1841. p. 479.

[2]) Joan. 1, 18. Cf. Matth. 11, 27. 1. Cor. 2, 6 ss.

[3]) Fulgent. *Ad Trasim. l. 2. c. 1.* Opp. p. 88. Cf. Athanas. *In illud: Omnia mihi tradita sunt, etc. n. 6.* Opp. T. 1. p. 107. *Epist. ad Serap. 1. n. 17—19.* T. 1. P. 1. p. 665 ss. — Ambros. *De fid. l. 1. c. 10.* Opp. T. 2. c. 456. — Augustin. *De Symb. Serm. ad Catech. c. 9.* Opp. T. 6. c. 574. C. Non videtur tamen genuinus Augustini foetus esse.

[4]) Bernard. *De Cons. l. 5. c. 8. 18.* Opp. c. 459.

non ad Gregorium XI., qui propositionem Lulli, omnia mysteria per rationem posse evidenter probari, condemnavit, et Pauli V., qui similem de SS. Trinitate atro stigmate notavit. Alii autem oppositam sententiam tenent, defendentes, revelationem non esse quidem infra, sed neque supra rationem, verum pro ratione, et hinc ejus etiam veritates, quae communiter mysteria audiunt, ei prorsus impervias esse haud posse, sed ipsam potius ad illa investiganda, uti sua natura impelli, ita pro sua dignitate tuenda teneri, donec perfectam eorum cognitionem, i. e. tum claram ac perspicuam omnino notionem, tum internae necessitatis certam ac inconcussam notitiam sibi comparaverit. Eapropter ipsos SS. Patres, uti Basilium M., utrumque Gregorium, Joannem Damascenum, Augustinum et alios ejusmodi profundiori veritatum revelatarum investigationi sese dedere haud fuisse veritos. Quod eo magis esse necessarium, quoniam nonnisi hac singularum veritatum fidei pertractatione disciplina nostra nomine scientiae condecorari mereatur.

Interim tamen illi verâ viâ incedere videntur, qui ostensâ veritate mysteriorum divina argumentis positivis, ex fontibus divina auctoritate pollentibus depromtis, veritatem eorum quoque, quam dicunt internam, i. e. internam necessitatem ostendere pro modulo virium finitarum rationis nostrae satagunt; nequaquam autem rati, ac si mysteria illa tam clare ac certo per rationem possint evinci, ut ipsa auctoritas divinae revelationis, ni pro omnibus fidelibus, saltem pro viris perspicacioribus ac in philosophia instructioribus superflua fiat, aut ex altera parte timentes, ne propterea injuriosi sint in rationem humanam; quum revelatio quidem eo sensu pro ratione data sit, ut illam apprehendamus, i. e. sensum singularum sententiarum assequamur, et de earum origine divina nobis persuadeamus, minime autem eas comprehendamus, seu ipsam earum indolem ac necessitatem internam perspectam omnino habeamus, quod ne in rebus naturae quidem nobis concessum est. Hac quoque ratione, et non alia, laudati SS. Patres, et post eos Theologi scholastici, aliique usque ad nostra tempora divina mysteria scrutati, et ea sensui ac intelligentiae nostrae propius admovere conati sunt: quum ipse Apostolus fassus sit: *Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex*

parte: tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum [1]). Et quidem:

I. Alii dicunt, Trinitatem in rerum natura adumbratam ubique conspici, ita ut conclusio in promtu sit, τύπον hunc creaturae impressum necessario ἀρχέτυπον in Creatore habere. Nam in tempore praeteritum, praesens et futurum, in spatio vero longitudo, latitudo et altitudo discernitur. Tria dantur rerum creatarum genera, natura spiritualis, corporea atque humana, ex utraque quasi communis. In corporibus coelestibus dantur stellae fixae, planetae et cometae: in terra alia corpora sunt firma, alia liquida, alia vero expansibilia, uti loquuntur: et ipsa imponderabilia, quae vocantur, ad lucem, calorem et vim electro-magneticam revocantur. Triplex porro distinguitur regnum naturae, fossilium, plantarum et animalium; atque in quavis planta radix, stirps et corona, prout in quovis animali caput, truncus et partes extremae discernuntur. Ipsi denique animae triplex inest facultas, cognoscendi, appetendi ac felicitate fruendi, atque in ea praeter τὸ εἶναι, cognitio et amor sui deprehenditur. Ut alia de igne, splendore et lumine, de triplici aquae proprietate, de fonte, fluvio et haustu, de sono quolibet vocis et chordae, in quo tonus principalis, eidemque consonantes tertius et quintus percipiuntur, de tribus partibus judicii, ratiocinii, etc. omittamus.

Hisce autem quidem excitari possumus, quo assensum mysterio de Deo triuno alacrius praebeamus, et ex iis illud forsan suspicari, minime autem, quum nequaquam ex ipsa indole substantiae divinae, sed tantum a rebus externis sint petita, prorsus probare licet.

Alii statuunt, foecunditatem inter perfectiones jam entium finitorum numerari, et ideo eo magis de Deo praedicandam esse. Qui itaque, quum extra se sui aequalem producere non possit, quivis enim alius post unum Deus non est Deus, intra se foecundus sit necesse est. *Nefas est dicere*, ait Joannes Damascenus, *Deum naturali foecunditate caruisse. Foecunditas porro in eo posita est, ut quis ex se ipso, id est, ex propria substantia, prolem naturâ similem sui edat* [2]). Et Cyrillus

[1]) 1. Cor. 13, 12.
[2]) *De fid. orth. l. 1. c. 8.* Opp. T. 1. p. 133. B.

Alex.: *Si Deo ademeris Patrem esse: foecunditatem e divina natura sustuleris: ita ut perfectus nequaquam sit, cum generandi facultate careat. Documentum itaque perfectionis est foecunditas, et signum, quod Patrem perfectum esse ostendit, est Filius, qui ex ipso ab aeterno processit* [1]).

Hanc expositionem haudquaquam satisfacere, jam inde colligitur, quoniam tantum generationem Filii, nequaquam autem etiam processionem Spiritus S. explicat, ut taceamus, conclusionem a foecunditate naturarum finitarum, quae pereunt, ad ens infinitum, quod manet, haud legitimam aut firmam esse videri.

Alii in notione entis absolute actuosi, ceu quod Deus necessario mente concipi debeat, demonstrationem SS. Trinitatis deprehendisse sibi videntur. — Nam ens, ajunt, in genere qua tale ceu notio intelligentiae nostrae primigenia repraesentari aliter nequit, quam quod est determinata quadam ratione actuosum. Eadem notio sub se comprehendit a) subjectum; cui b) determinata illa ratio agendi sive actuositas inest, ex qua actus sive virtus activa procedit, adeoque determinatam actuositatem subjecto inhaerentem, attamen ab eo distinctam per relationem sibi oppositam; et c) actum procedentem a subjecto juxta determinatam actuositatem. Hanc generalem entis notionem fac adplices enti absoluto, et habebis subjectum absolute actuosum, cui inest actuositas absoluta, a qua et illo procedit actus absolutus. — Quidquid absolutum cogitas, istud tibi aliter repraesentare non poteris, quam realiter exsistens. Ergo ens absolutum, ens perfectissimum cogitari a nobis haud quiverit sine tribus istis proprietatibus realiter distinctis et sibi necessario coëxsistentibus. Hinc entis actuosissimi, Dei, tres, eaeque individuae personae sive hypostases nobis perspicuae fiunt. Distingui, non autem separari debet absoluta actuositas ab absoluto subjecto, et virtute absoluta. Pater, Filius, et Spiritus S., hypostases individuae, igitur non tres, sed unum Deum efficiunt. Operationes cujusque personae uni, eidemque Deo, non aeque autem reliquis duabus personis divinis conveniunt. Actio Patris qua personae non est actio Filii, et Spiritus S. etc.. Filius qua persona divina humanam naturam assumere potuit,

---

1) *Thes. Assert.* 5. Opp. T. 5. P. 1. p. 37. D. E.

quin Pater vel Spiritus S. homo factus esse credatur; pari modo illabi in Apostolos, eosdemque docere dicimus Spiritum S., non personam Patris, non Filii [1]).

Attamen in hacce ratiocinatione, quamvis plura, ut ita dicam, phaenomena in mysterio SS. Trinitatis explicari videantur, id, quod praecipuum rei est, haud ostenditur, nempe absolutam actuositatem atque absolutum actum necessario esse, aeque ac subjectum absolute actuosum, supposita intelligentia et volentia, sui conscia, quibus itaque substantia divina communicari debeat, ut alia taceamus.

Alii sequentem in modum ratiocinantur: Das allerrealste, absolut vollkommenste Wesen kann unmöglich anders von uns gedacht werden, als in so fern es etwas Allerrealstes, absolut Vollkommenstes, und also von Ewigkeit her, das ist, vor aller Zeiten Anfang bewirkt — hervorbringt. Ein allerrealstes Wesen, ohne etwas Allerrealstes zu bewirken, ist ein Unding, ist ebenso wenig denkbar, als eine Ursache ohne Wirkung. Nun können wir aber ohne offenbaren Widerspruch mit uns selbst nur Ein absolut vollkommenes Wesen uns denken. Alles, was nicht Gott ist, ist beschränkt, hat Mangel an Realitäten, ist nicht absolut reel. Das Bewirkte, absolut Vollkommene kann daher nicht anders als in Gott subsistirend gedacht werden, es muß selbst Gott, Gott von Gott sein. —

Aus eben dem Grunde kann das Hervorgebrachte, Bewirkte, in Gott subsistirende absolut Vollkommenste nur dadurch als ein solches gedacht werden, daß es gleichfalls ein absolut Vollkommenstes durch eine ebenfalls immanente Handlung von Ewigkeit her als Gott von Gott, aus sich bewirkt und hervorbringt.

Da nun auf solche Weise auch dieß zweite Bewirkte, in Gott von Ewigkeit subsistirende absolut Vollkommenste, Gott von Gott ist; so ist es kein Zweifel, daß auch dieses Hervorgebrachte etwas absolut Vollkommenstes bewirken müsse, um von uns als Gott, als absolut vollkommen gedacht werden zu können. Weil aber der Begriff des Hervorbringens und des Hervorgebrachten, welcher bereits seine Vollständigkeit erreicht hat, nur deßwegen in Gott gedacht werden muß, damit dieser als ein absolut vollkommenstes Wesen gedacht werden kann: so erreicht jetzt der Begriff des absolut vollkommensten Wirkens

[1]) Cf. Klypfel. *Inst. Theol. Dogm.* op. et st. Greg. Thom. Ziegler, Vienn. 1821. P. 1. T. 2. p. 50 s.

dadurch seine Vollständigkeit, daß dieß Dritte in der Gottheit die Ersten zwei, von welchen beiden es ausgeht, und in welchen beiden es subsistirt, in sich einige. Erst diese unendlich und absolut vollkommenste Einigung verschafft dem Ideal der Gottheit seine absolute Vollständigkeit. Denn wir denken in Gott bloß

a. die Idee aller Ideen d. i. alle höchsten Ideen, und

b. das Eine Subject, in welchem alle höchsten Ideen ihre Realität erhalten. Dieß sind die einzigen wesentlichen, gedachten Bestandtheile des höchsten Ideals der Gottheit. Nun hat es sich aber gezeigt, daß die Allerrealität der Gottheit unsern ursprünglichen Denkgesetzen gemäß nur in den besagten drei ewigen, absolut vollkommensten Subsistentien (ὑποστασεις) des absolut vollkommensten Einen letzten Subjectes; dieß Eine der Gottheit aber bloß durch eine absolut vollkommenste Einigung; und diese nur als von einer absolut vollkommensten Subsistenz vollzogen von uns gedacht werden können. Nennt man überhaupt vernünftige Subjecte eben dieser vortrefflichen Eigenschaft wegen Personen; so können und müssen die drei Subsistentien der Gottheit κατ᾽ ἐξοχὴν Personen genannt werden. Ebenso kann auch die Verschiedenheit derselben nicht richtiger angegeben und ausgedrückt werden, als wenn man die erste davon Vater, die zweite Sohn, und die dritte heiliger Geist nennt. Man muß sogar bekennen, daß diese Worte gerade in der Anwendung auf die drei göttlichen Personen ihre eigentlichste, oder besser zu reden, ihre einzig eigentliche und volle Bedeutung erhalten [1]).

Verumtamen in hisce non dicitur, quod prae omnibus dicendum erat, quare Deus necessario tamquam aliquid realissimum seu absolute perfectum producens cogitandus sit; deinde non perspicitur, quare productio alterius suppositi haud sufficiat, et alia adhuc sit necessaria, quum in hoc producto, utpote infinite perfecto, infinita efficacitas exhausta esse videatur; tum si suppositum alterum non sufficit, cur efficientia divina in tertio supposito finiatur, cujus eadem indoles est, ac secundi; nec non quomodo suppositum ex ambobus prioribus, et non potius tantum ex secundo, cui ex dictis soli originem debet, procedere dicatur; atque tandem quare secundum suppositum recte Filius, tertium autem Spiritus, secundum statutam hypothesin

---

1) Peutinger, Religion, Offenbarung und Kirche. Salzb. 1795. p. 378 ss.

adpellandum sit, quum ex disputatis origo utriusque prorsus ejusdem indolis ac naturae esse videatur.

Alii iterum sic disserunt: „Ist Gott als Seyn durch sich, auch deßhalb schon Erkennen durch sich, d. h. absolutes Selbstbewußtsein; so wird der Charakter dieses absoluten Selbsterkennens eben darin bestehen: daß er sein absolutes Wesen, als solches unmittelbar (ohne Vermittlung von außen her) zum Objecte seiner Anschauung macht. — Und das ist der Gedanke, der daraus folgt: daß nämlich Gott, wenn er sich unmittelbar in seiner Substantialität erfaßt (d. h. Seiner Selbst bewußt wird), sein eigen Wesen sich entgegen setzt, d.h. abermal setzt. Mit andern Worten: Nur dadurch wird es für uns denkbar, daß Gott sich in seiner Wesenheit zum Objecte unmittelbarer Anschauung macht; wenn Er sich in sich, als Substanz real entgegenstellt oder durch Emanation verdoppelt. Was nun aber von dem Objecte im Selbstbewußtsein Gottes gilt, (das in seiner Gleichheit mit dem göttlichen Subjecte, wie dieses, absolute Substanz ist); das gilt — von dem zweiten Momente der Selbstobjectivirung, der zugleich (nebst dem Subjecte und dem Objecte) ein drittes Element im absoluten Selbstbewußtsein setzt. Es ist, wie die beiden frühern Momente, absolute Substanz, welches ausgehend vom Subjecte und Objecte, die Gleichsetzung der zwei Glieder im Gegensatze, d.h. diesen in seiner Vollkommenheit und Vollendung bezeuget. Und dieser Ueberzeugungs- oder Potenzirungsproceß (auch Subobjectirung des Prinzips genannt) schließt sich ab in zwei Hauptmomenten mit drei Factoren. Denn schon das erste Moment der Entgegensetzung setzt das Prinzip als den ersten Factor voraus, der sich eben durch die Beziehung des Entgegengesetzten auf Sich als dessen ausschließliche Causalität, zum Subjecte steigert. Beide Factoren aber bezeugen ihre gegenseitige substanzielle Gleichheit durch ein zweites Moment der Entgegensetzung, in doppelseitiger Emanation, das einen dritten Factor setzt, indem sich die totale Wesensidentität Beider (ihre Gleichsetzung im Gegensatze) zur objectiv realen Anschauung bringt; wie Er auch selber als Setzung Beider, auf Beide als seine Doppel-Causalität gleichmäßig sich bezieht. [1]). — In einem Realprincipe, das als ein absolutes für seine Scheidung und Unterscheidung

[1]) Günther, Vorschule der specul. Theologie. 2. Aufl. Wien, 1846. 2. B, p. 107—9.

rein auf sich angewiesen ist, kann die Scheidung nur darin bestehen: daß das Princip Sich als solches entgegensetzt Ihm selber; so daß zunächst Princip dem Principe gegenübersteht. Und jetzt erst durch die Wechselbeziehung Beider auf einander, wird das sich scheidende zum unterscheidenden Principe, d. h. zum Selbst oder Subjecte (Person), weil es an dem von ihm geschiedenen (gesetzten) sein Object, aber auch dieses zugleich am Subjecte sein Object hat, wodurch jenes selbst zum Subjecte wird. — Diese gegenseitige Beziehung macht beide Principe auch zu denkenden Principen; ja selbst (wenn sie diese ihre beziehende und unterscheidende Thätigkeit auf Sich selber als Principe zurückführen und darin eine Unterscheidung zwischen Erscheinen und Sein vollziehen) zu selbstbewußten Substanzen (zu wirklichen persönlichen Wesen dort wie hier.) Durch beide Beziehungsweisen ist auch bereits der Unterschied zwischen beiden Principen aufgehoben, da beide sich jetzt als Subject-objecte nach Innen und nach Außen allseitig besitzen, nach Außen, weil jedes der beiden an dem andern sein Object und an ihm selber sein Subject hat; nach Innen aber, weil jedes als Sein und Erscheinen, sich selber Subject und Object ist. — Allein — ist dieser aufgehobene Unterschied bei dem absoluten Principe schon das Ende im Processe seiner Selbstverwirklichung (seiner auszuwirkenden Persönlichkeit)? — Im menschlichen Geiste besteht die Unterscheidung in den zwei Scheidungsmomenten der Reception und Reaction. — Bei dem absoluten Principe aber kann die Urscheidung nicht in denselben zwei Momenten bestehen; sondern jene besteht hier in der Dupplicirung des Princips selber. — Besteht aber die Differencirung des Absoluten in der Dupplication; so besteht auch zwischen beiden, als eines Gegensatzes eine Identität, d. h. der Gegensatz ist mehr als bloßer Gegensatz, er ist ein Gleichsatz, und jener hat sich als dieser eben noch zu bezeugen (affirmiren), da im blossen Gegensatze als solchen, noch keine vollendete Identität liegt, weil die Emanation, wodurch er eingeführt wird, auch eine partielle sein kann, d. h. nicht nothwendig eine totale sein muß. Die Bezeugung aber des Gleichsatzes kömmt nur allein dadurch zu Stande: daß beide Factoren durch Emanation ein Product setzen, in welchem jeder von Beiden sich ganz wiederfindet, Keiner dem Andern in der Theilnahme an demselben sich zurückgestellt findet (wie dieß im Gebiete der geschlechtlich zeugenden Physis der Fall ist, wo das jedesmalige Product abermal einseitig

geschlechtlich ausfällt). Ein solches Product aber ist wieder nur die ursprüngliche reale Einheit, die jetzt in der dritten Potenz eintritt, und von beiden Factoren dazu erhoben ist, so daß sich jeder als Princip — in ihr als Princip wiederfindet. Diese Bezeugung ist zugleich eine Ueberzeugung beider Glieder des Gegensatzes von ihrer Wesensidentität, die aber auch eine Uiberzeugung von der Verschiedenheit Beider in der Form einschließt, die hier in der wiederholten Potenzirung der realen Einheit und in dem dadurch begründeten Abhängigkeitsverhältnisse zweier Factoren besteht. Durch diese Einerleiheit (Identität nicht Unität) im Wesen (Seyn) und diese Verschiedenheit in der Form (Daseyn) wird das Daseyn Gottes als ein ewiges und insofern auch als unmittelbares bestimmt; aber auch zugleich als ein von Ewigkeit, d. h. schlechthin vermitteltes, weil diese Vermittlung des unbestimmten Seyns zum Wesen (bestimmten Seyn) nichts für sich voraussetzt, als das absolute Seyn selber, (eine Voraussetzung, die nur als eine immerdar vom absoluten Principe aufgehobene und insofern leere Voraussetzung gedacht werden kann). Aus der bisherigen Untersuchung ist leicht zu ersehen: daß weder das Wesen des absoluten Seyns seiner Natur (als Organisation) entgegengesetzt werden könne; da ja jenes Wesen nichts anders ist, als das positiv gegliederte Daseyn des sich gliedernden Seyns; noch die Eine Persönlichkeit des absoluten Seyns (die nur Eine sein kann, wie das Seyn selber Eines ist), der Vielheit der Personen entgegenzusetzen ist; da diese nichts anders sind, als die einzelnen Elemente in der Einen Persönlichkeit — gleichviel: ob diese entweder als ein gegebenes Ganze, oder als gewordenes Resultat eines Processes aufgefaßt wird."—Et verbis praefationis de SS.Trinitate adductis: *Non in Unius singularitate personae, sed in Unius trinitate substantiae*, „wo das zweite Wort *Unius* offenbar nicht in dem Sinne des früheren *Unius;* sondern des Wohllautes wegen für den Ausdruck *ejusdem* gesetzt ist, da hier von einer ternaren (triplicirten) Substanz die Rede ist. Die Eine Substanz kömmt also neben ihrer ursprünglichen und schlechthinnigen Gegebenheit noch zweimal vor und jedesmal als eine, die sich als solche erfaßt und so selbstbewußt, persönlich wird [1]). Cui prorsus consona sunt, quae supra leguntur: Die Ketzerei der Patripassianer kann nur ver-

[1]) Ib. 2. B. p. 535—539. Cf. p. 369.

mieden werden, wenn die Einheit der Natur in der Gottheit bloß im formalen Sinne (d. h. als absolute Relation der drei Realprincipe zu einander nach Leibnitzer Bezeichnung) und nicht im numerisch-realen Sinne verstanden wird [1]). — Alibi post factam similem expositionem idem auctor, cujus verba sunt praecedentia, scribit: Das Seyn und Wesen durch sich, ist also Wissen Seiner durch sich mittelst zweier anderer Wesen, die mit dem Ersten in der Zahl drei das Eine absolute Selbstbewußtseyn constituiren [2]). Porro: Die Persönlichkeit des Absoluten existirt nur in drei Personen, d. h. in realen Principen (Substanzen-Hypostasen), die zugleich Subjecte sind dadurch: daß sich jedes unter ihnen in seiner Einzelnheit von jedem Andern als solchen unterscheidet, wie sie ursprünglich in dem Scheidungsprocesse des Absoluten durch das Moment der Gegensetzung und Gleichsetzung eingetreten sind [3])". Atque tandem: Das Absolute hat Sich selber real vorgestellt, um Sich formal zu denken, d. h. mit dem theogonischen Processe der Entgegen- und Gleichsetzung des Absoluten ist der formale seiner Persönlichkeit in den drei Principien (Hypostasen) eingetreten, in welchem sich jedes derselben in Einheit im Unterschiede von allen übrigen denkt [4]). Qui processus theogonicus, prout hic adpellatur, statim inferius [5]) die „Verwirklichung des Absoluten zur Gottheit" dicitur. Ita Güntherus ipse. Similia habent ejus discipuli [6]). Processus autem hic theogonicus processui conscientiae sui in mente nostra superstruitur [7]). Quemadmodum enim, ajunt mens nostra cogitando, sentiendo et appetendo se sibimetipsi κατὰ φαινόμενον objicit, atque se tali modo sibi objiciendo, atque deinde tamquam sibi ἐν φαινομένῳ objectam seu suam ἀντίθεσιν velut secum eamdem deprehendendo sui conscia efficitur: ita etiam τὸ esse absolutum, ens absolutum, principium absolutum, seu sub-

---

1) Ib. p. 298. Cf. 1. B. p. 119.

2) Peregrin's Gastmahl. W. 1850. p. 149.

3) Euristheus und Heracles. W. 1843. p. 153.

4) Lydia, Jahrg. 1850. p. 55.

5) Ib. p. 56.

6) Cf. Pabst, Januskopfe. W. 1833. p. 145 ss. Der Mensch. 2. Aufl. W. 1847. p. 36. Adam und Christus. W. 1835. p. 1. — Zukrigl, Wissensch. Rechtfert. der christl. Trinitätslehre. W. 1848. p. 170 ss. — Knobt, Günther und Clemens. W. 1853. p. 89 ss.

7) Cf. Eur. u. Herakl. p. 450. Vorschul. B. 1. p. 104 ss. Knobt, op. c. p. 94 s. 101. 111.

stantia, essentia absoluta (ἡ θέσις) se sibi ipsi, et quidem non imperfecte seu κατὰ φαινόμενον, sed κατά πρᾶγμα, seu re ipsa opponit, i. e. per emanationem voluntate absoluta [1]) iterum ponit, seu se ipsam duplicat, ita ut haec substantia e priori emanans et ab ea posita, ipsique opposita (ἀντίθεσις), pariter sit substantia seu essentia absoluta, ens, principium absolutum; atque deinde ambo principia haec per novam emanationem utrimque factam suam identitatem (σύνθεσιν), tertio principio producto, contestantur, in quo utpote itidem principio, ente absoluto, seu substantia ac essentia absoluta, utrumque se integrum deprehendit, atque natura divina, divinitas seu Deus absolvitur. Insuper quodvis horum principiorum, quatenus se ad alterum sibi oppositum refert, et se ab eo distinctum agnoscit, atque hanc efficaciam velut sui φαινόμενον ad se tamquam causam seu principium reducit, subjectum sive persona, substantia sui conscia, efficitur. Unde adparet, in divinitate seu Deo esse tria principia absoluta sui conscia, tres personas seu hypostases, tres essentias seu essentialitates, tres substantias seu substantialitates [2]), a se realiter distinctas, quamvis non sejunctas, vel potius discretas, non autem secretas (gesondert, nicht abgesondert [3]), quae quidem unum sunt naturae identitate ac absoluta relatione seu formaliter ac organice [4]), non autem naturae seu substantiae singularitate sive realiter ac numero, vel ejusdem quidem, non autem simul unius naturae sive substantiae, velut totidem elementa seu totidem coëfficientes divinitatis, quae illis perficitur; et quae tamquam totidem subjecta (formaliter) sui conscia, una absolutam sui conscientiam divinam, τὸ absolutum ego, absolutam Dei personalitatem constituunt, quam, prout nonnisi una est divinitas, item nonnisi unicam esse oportet.

Quod autem ad hanc novam SS. Trinitatis theoriam attinet: putamus, eam mysterium illud non tantum non explicare, verum cum doctrina Catholica prorsus componi non posse. Etenim

1. secundum illam in Deo, prout tres a se realiter distinctae personae, ita quoque tres a se invicem, quamvis non separatae, tamen pariter distinctae substantiae seu essentiae sta-

---

[1]) Cf. Zukrigl, o. c. p. 250.

[2]) Pabst, Janusköpfe, l. c. Adam und Chr. l. c.

[3]) Cf. Knobt, o. c. p. 138.

[4]) Pabst, ib.

tuuntur: dum haec tres quidem realiter distinctas personas, *unam vero tantum naturam seu essentiam seu substantiam in tribus subsistentiis, Trinitatem in unitate et unitatem in Trinitate, unum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus, unam eamdemque trium deitatem, naturam et substantiam, ita ut nec minus aliquid habeat, cum unaquaeque persona Deus singulariter dicitur, nec amplius cum totae tres personae unus Deus enuntiatur, in relationeque personarum numerus cernatur, in divinitatis vero substantia quid numeratum sit, non comprehendatur, atque alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud, sed id, quod est Pater, sit et Filius, et Spiritus Sanctus, idem omnino, quia omnia sunt unum, ubi non obriat relationis oppositio*, seu paucis, *Deum unum quidem in tribus personis distinctis, non in tribus personis distinctum*[1]) profitetur.

2. Juxta doctrinam recentiorem, Deus ex tribus illis absolutis principiis seu substantiis demum conficitur, ita ut neque principium, prout illud adpellant, theticum, neque antitheticum, neque homotheticum Deus sit; dum secundum doctrinam Catholicam est *Deus Pater, Deus Filius, et Deus Spiritus Sanctus*, ita ut *singulariter unaquaeque persona plenus Deus, et totae tres personae unus Deus confiteatur et dicatur: una illis vel indivisa atque aequalis Deitas, majestas sive potestas, nec minoretur in singulis, nec augeatur in tribus: quia nec minus aliquid habet, cum unaquaeque persona Deus singulariter dicitur, nec amplius cum totae tres personae unus Deus enuntiatur*[2]).

3. Ex doctrina Güntherianorum tertium principium, i. e. Spiritus S. a duobus prioribus principiis, seu a Patre et Filio duplici emanatione sive spiratione producitur; dum secundum definitionem Conc. Lugdunensis II. et Florentini *Spiritus S. ex Patre et Filio, non tamquam ex duobus princi-*

---

[1]) Cf. Conc. Rom. a. 378. *an.* 24. Conc. Constantinop. II. *Can. 1.* Conc. Later. a. 649. *can. 1.* Conc. Tolet. XI. Conc. Later. IV. *c 1*—2. Conc. Flor. *Decr. pro Jacob. Const.* Pii VI. *Auctor. fid.* s. cc.

[2]) Cf. Conc. Tolet. XI. s. cit.

piis, sed tamquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit[1].

4. Porro quum patroni hujus systematis asserunt, tribus personis (non absolutis) unam absolutam hypostasin seu personalitatem Dei constitui; quum personalitas nonnisi, ut cum schola loquamur, forma personae sit, atque ambae notiones mutuo reciprocentur, ita ut nonnisi personalitate sibi propria substantia sit persona, eâque autem simul constituatur persona, et hinc qualis personalitas, talis quoque sit persona, et vicissim: nolentes volentes quaternitatem hypostaseon seu personarum, unius absolutae et trium non absolutarum adstruunt, in Ecclesia, quae ubique *Deum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum in essentia, trinum in personis* profitetur, prorsus inauditam[2].

5. Est axioma Theologiae Catholicae inconcussum, in absoluta Dei necessitate ac perfectione fundatum, quae in Deo fiant, ut sunt divinae processiones, aut a Deo fiant, ut est mundi creatio etc., ideo fieri, quia ipse perfectus est, non autem ut ipse perficiatur; nam quemadmodum rebus contingentibus ac finitis proprium est esse incipere et in tempore perfici, ita Deo, enti infinito ac necessario, naturâ ac essentiâ a rebus finitis diverso, proprium est aeternum esse perfectum. Adeoque Deus *τρισυποστατικός*, i. e. Pater et Filius et Spiritus Sanctus est, quia Deus est, non autem primum Deus verus fit, quia trinus est. Deinde, Deum sibi conscium esse, negari non potest, attamen negari atque pernegari debet, eum per similem processum, quo spiritus finitus propter finitam suam naturam ad sui conscientiam excitatur, pariter ad conscientiam sui eluctari. Conscientia autem sui, quae nihil aliud est, quam scientia naturae intelligentis de se ipsa, nequaquam tribus, sed duobus tantum constat elementis, et ab illo processu bene discernenda est. Quod

[1]) *Defin.* Harduin. *Act. Conc.* T. 7. c. 705. *Decr. un. Graec.* Ib. T. 9. c. 423.

[2]) Verum quidem Güntherum nunquam vocem, *una persona absoluta*, adhibere, sed semper voce, *una absoluta personalitas*, uti, ubi de SS. Trinitate disserit. Attamen alibi utrumque vocabulum passim velut synonymum usurpat. Caeterum notatu dignum, Güntherum in Deo, quamvis sint tres divinae personae, unam personalitatem adstruere, in Christo autem, quamvis filium hominis in ipso Filio Dei opponat, eique tum tamquam homini tum tamquam Deo propriam personalitatem vindicet, tamen nonnisi unam personam esse asserere. Cf. Vorsch. 2. B. p. 291 ss.

adeo evidens est, quam est manifestum, mentem ut sui phaeonomenon ad se referat, jam sui consciam esse debere; secus enim illud minime tamquam suum, et se tamquam ejus causam agnoscere posset. Ut alia omittamus.

Alii tandem ita disputant: Deus tamquam ens perfectissimum perfectissimâ quoque sui cognitione seu scientiâ, qua simul omnia, quaecumque sunt, aut esse possunt, exhaurit, gaudeat necesse est. Cognitio autem, quae etiam verbum mentis sive interior sermo dicitur, tamquam interna, in mente quasi expressa, rei similitudo, eo verior ac perfectior est, quo magis cum re sua convenit, quo magis ad ταυτότητα ejusdem accedit; et hinc cognitio absolute perfecta est, quando rem prorsus exaequat objectiva, ut ajunt, aequalitate, seu quando cum ipsa re, cum suo objecto, prorsus congruit ac coalescit, ei, ut loquuntur, identificatur. Quapropter in Deo necessario ejusmodi cognitio seu imago, cui essentia divina, quae utpote infinita ac simplicissima nullam multiplicationem, nullamque divisionem admittit, communicata ac identificata est, dari debet; atque hinc Deus prout vi exsistentiae suae infinitae per se ac pro se exsistit seu subsistit, ita etiam vi hujus cognitionis infinitae per se ac pro se exsistere debet. — Porro Deus, qui in infinita sui cognitione semet qua summum bonum intuetur, se quoque, et quidem amore perfectissimo ac infinito amare debet. Amor vero eo est perfectior, quo cum perfectiori sui conscientia conjungitur, quo enim imprudentior, eo ignobilior; et ideo amor absolute perfectus erit, qui cum absolute perfecta sui conscientia est consociatus, quae nonnisi in essentia divina datur. Quapropter etiam amori huic, ut ad absolutam perfectionem evehatur, natura seu substantia divina communicetur, eique identificetur necesse est; atque eapropter etiam amor hic infinitus, seu Deus propter amorem hunc infinite perfectum pro se, et ideo per se tamquam res singularis, completa et incommunicabilis exsistit, seu subsistit.

Tali ergo modo exsistentia absoluta in Deo, intellectu ac voluntate infinita instructa, in absolutam sui cognitionem, eidem uni substantiae divinae, adeoque et eidem perfectissimo intellectui atque perfectissimae voluntati identificatam, et in amorem ex utraque procedentem, sed pariter uni, eidemque substantiae divinae, seu intellectui infinito ac voluntati absolute perfectae identificatum abit. Sicque sunt in Deo, vel potius Deus est tres subsistentiae relativae, tria supposita, sibi quidem opposita, in-

telligentia ac voluntia, et hinc sui absolute conscia, seu tres personae, unius tamen, ejusdemque naturae, illis absque ulla multiplicatione identificatae. Seu, ut Klee scribit: Als absolutes Selbst, Leben, Geist, ist Gott dreipersönlich. Der unendlich Persönliche ist nach dem dreifachen Momente des Seins, Erkennens und Wollens dreifach personirt. Das absolute Selbst denkt auf die vollkommenste, somit substantiellste Weise sein Wesen, und ist so Vater, und die dem Vater wesensgleiche Selbst-Erkenntniß oder Aussprache oder Wort ist der Sohn. Wäre das Wort nicht substantial, und dem Vater consubstantial, so wäre es nicht das seinem Grunde und Objecte gleiche, nicht das vollkommenste. Erst durch das Denken Seiner ist das absolute Selbst Vater, darum denkt es sich nicht als Vater, sondern dadurch, daß es sich denkt, ist es Vater. Der höchst vollkommene, mithin substantiellste Wechselwille(?) des Vaters und des Sohnes, als des vollkommensten Gleichbildes seines Wesens, ist der eben deßhalb beiden consubstantiale heilige Geist [1]).

Praeter haecce tria, exsistentiam, cognitionem atque amorem, et praeter duas divinas vires, intellectum et voluntatem, per quas Deus, spiritus infinitus, intra se producere potest, quarumque cujuslibet terminus, utpote in natura infinita positus, infinitus, totam virtutis divinae foecunditatem exhaurit, et ideo unicus in suo ordine est, in divinitate nihil datur [2]). Hinc neque Filius, licet intelligens, qua talis quidquam gignit aut producit, quum sit terminus, non principium intellectionis divinae, seque non tamquam gignentem, sed potius tamquam genitum scit, neque etiam Spiritus S., quamvis volens, ex eadem ratione, quoniam scilicet ipse terminus τῆς βουλήσεως seu dilectionis divinae, nequaquam autem hujus, aut etiam intellectionis divinae principium est, et se tamquam procedentem, minime tamquam gignentem novit [3]). Eapropter neque pauciores, neque plures personae divinae sunt, aut esse possunt. Per Verbum Pater cognoscit tam se ipsum, quam cetera omnia, quorum expressa est imago Verbum, sed naturae divinae inprimis et essentiae: Filius

---

[1]) Kathol. Dogmatik. Mainz, 1835. 2. B. p. 109 s.

[2]) Cf. Augustin. *Adv. Maximin. l. 2. c. 12. n. 3.* Opp. T. 8. c. 701.

[3]) Cf. Athanas. *Or. 3. cont. Arian. n. 4.* Opp. T. 1. P. 1. p. 553. — Cyrill. Alex. *Comm. in Joan. l. 1. c. 5.* Opp. T. 4. p. 45 ss. — Augustin. *Tr. 21. in Joan. n. 3.* Opp. T. 3. P. 2. c. 457. *Tr. 40. n. 3 ss.* c. 565 ss. et al.

seu Verbum ceu semetipsum intelligit; et etiam Spiritus S. quaecumque cognoscit, per idem Verbum comprehendit; neuter autem hoc producit, quia jam productum est. Ita quoque Spiritui S. alio amore opus non est, quo amet ipse, cum amor amore, hoc est, seipso amet, quidquid amari potest. Quare nec aliud Verbum, amoremve alium, sive alias personas exsistere necesse est, quamvis quaelibet persona intelligat et amet, quum eadem sit prorsus numero perceptio seu intellectio, eademque dilectio, licet notionibus distincta.

Hic triplex divinae substantiae seu naturae subsistendi modus, sive haec triplex Dei persona nequaquam est tantum accidens et ad essentiam divinam adjecta, sed ad naturam divinam pertinens, necessaria ac aeterna, quum in Deo nil accidens detur [1]). Quapropter et una persona ab alia non procedit sola voluntate et libertate, sed naturae divinae necessitate, quae ab ejus summa perfectione profluit, quaque fit, ut **Pater** intelligendo non possit non producere **Verbum**, et **Pater** et **Filius** sese (necessario ac libere) una voluntate, utrique communi, amando non possint non producere **Spiritum S.**; Deus enim semetipsum negare non potest. Quaevis porro harum subsistentiarum est in se infinita, cui nil deest, cum defectus tantum ibi obtineat, ubi enti alicui quidquam deficit, quod ei, ut in suo genere esset perfectum, praesto esse deberet.

Quoniam autem porro cognitio, seu ut loquuntur Scholastici, intellectio (das Erkennen) ad perfectam similitudinem cognoscentis exprimendam tendit, quod generationis est, dilectio autem non item, sed per modum impulsus vitalis fiat: explicatur, quare Deus, quatenus se cognoscens seu intelligens cogitatur **Pater**, cognitio autem, in qua se cognoscit **Filius**, ideo etiam **Sapientia**, **imago Dei** dictus [2]), atque amor, in quo se uterque diligit, **Spiritus S.**, etiam **charitas** propterea, **communio**, **unitas**, **amplexus** cognominatus, nuncupatur [3]). Simul autem cognoscitur, quare Pater Filium, Pater et Filius Spiritum S. mittere dicantur, Pater autem non mittatur.

---

[1]) Cf. **Augustin.** *De Trinit. l. 5. c. 5. n. 6.* Opp. T. 8. c. 834 s. — **Arnob.** jun. *Conflict. c. Serapion.* In *Bibl. max. PP.* Lugdun. T. 8. p. 206. D. s.

[2]) 2. Cor. 4, 4. Col. 1, 15. Hebr. 1, 3. Cf. Joan. 8, 19. 14. 9.

[3]) Cf. **Augustin.** *De Trinit. l. 15. c. 17. n. 29. 31.* Opp. T. 8. c. 988 s.— **S. Thom.** *1. q. 39. art. 8.* Opp. T. 20. p. 288 s.

manca il foglio

23.

eo asserit: *Qui ex ipso est, ipsique essentialiter inest*[1]). Nota porro erat Ecclesiae Orientali epistola Hormisdae P. ad Imper. Justinum a. 521. conscripta, in qua haec occurrunt: *Notum est, quia proprium est Patris, ut generaret Filium: proprium Filii, ut ex Patre Patri nasceretur aequalis: proprium Spiritus S., ut de Patre et Filio procederet sub una substantia deitatis*[2]). Nec tamen quisquam Graecorum movit querelam. Hinc et Armeni nobiscum sentiunt, atque contra Graecos recentiores processionem Spiritus a Patre et Filio defendunt[3]). Quapropter

C. nonnisi antiquam fidem ac Ecclesiae doctrinam enuntiat Symbolum Athanasianum, quod habet: *Spiritus S. a Patre et Filio: non factus, nec genitus, sed procedens.* Nec non eamdem produnt Concilia illa, quae Symbolo Nicaeno - Constantinopolitano particulam adjecerunt, ut Conc. Tolet. I. a. 400 vel a. 407.[4]), Conc. Tolet. III. a. 589.[5]), Conc. Forojul. a. 791.[6]), Conc. Aquisgran. a 809.[7]), et Concilium Arelat. a. 813.[8]). Solemnis tamen definitio doctrinae in sinu Ecclesiae custoditae clarius prolata fuit in Concilio Lateran. IV. a 1215., cui una cum aliis non paucis graecis Praesulibus interfuerunt Patriarchae, Constantinopolitanus et Hierosolymitanus, et in quo consentientibus Orientalibus et Occidentalibus, at brevi pace rupta, definitum est: *Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus S. pariter ab utroque: absque initio, semper, ac fine*[9]). Tum a Conc. Lugdun. II. a. 1274. sub Gregorio X., ubi restituta unione, Graeci et Latini Symbolum cum particula, *Filioque*, bis decantarunt[10]). Demum a Conc. Florentino a. 1439., ubi omnibus, in quibus dissidebant Graeci et Latini, capitibus diligenter

---

[1]) Ib. T. 5. c. 15. Cf. Conc. Ephes. *Act. 1. Epist. Cyrill. ad Nestor. n. 10.* Ib. c. 1079. — Conc. Chalced. *Act. 1.* Ib. T. 6. c. 650 ss. *Act. 2.* c. 958s. — Conc. V. CPtn. II. *Coll. 6. et 8.* Ib. T. 9. c. 297—346. 367—388.

[2]) *Epist. 79.* Ib. T. 8. c. 521. E.

[3]) Cf. Conc. Armen. a. 1342. Ib. T. 25. c. 1188.

[4]) *Reg. fid.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 3. c. 1003.

[5]) *Fid. S. 150 PP. CPolit.* Ib. T. 9. c. 981. *Anath. 3.* c. 985.

[6]) *Symb. fid.* Ib. T. 13. c. 842.

[7]) Ib. T. 14. c. 17 ss.

[8]) *Can. 1.* Ib. c. 58.

[9]) *C. 1. De fid. Cath.* Ib. T. 22. c. 981—2.

[10]) Ib. T. 24. c. 66.

excussis, communi consensu definitum fuit, omnes Christianos profiteri debere, quod *Spiritus S. ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet, ex Patre simul et Filio, aeternaliter ex utroque, Patre et Filio, tamquam ab uno principio, et unica inspiratione procedat,* simulque declaratum, additionem, *Filioque*, licite et rationabiliter Symbolo fuisse appositam, excepto Marco Ephesino, qui deinde nonnullos sequaces nactus est. Nulla tamen publica fidei professione impugnata sunt, quae in Synodo Florentina statuta et definita erant [1]).

D. Deinde Ecclesia utraque firmiter semper tenuit, ordinem personarum, prout illum Christus Dominus verbis: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.*, indicavit, nullo modo immutari aut inverti posse [2]). Jam nulla ratio videtur subesse, quare Spiritus S. tertius ordine ponatur, nisi a Filio simul originem habeat. Porro in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio; nam in Deo nulla alia oppositio relativa, quae non adversetur infinitae ejus perfectioni, dari potest praeter eam, quae fundatur in processione unius personae ab alia. Si ergo Spiritus S. non procederet a Filio: ab eo realiter non posset distingui [3]).

E. Tandem si Spiritus S., ut supra ostendimus, non est, nisi amor absolutus ὑποστατικός seu personalis, in quo Deus, se summumBonum in Verbo intelligens, se diligit; amor autem hic neque a Patre neque a Filio solo, sed a Patre et Filio simul procedit, utpote quia uterque amat essentiam divinam, quae in utroque una est, et quidem voluntate essentiali, pariter in utroque una, ita ut Spiritus S. amor utriusque concors, vel potius unicors sit: ex ipsa Spiritus S. indole patet, ipsum necessario, ut a Patre et Filio, et quidem tamquam uno principio procedentem cogitandum esse; quoniam, licet duo sint amantes, unus est tamen amor, quo se, seu essentiam divinam diligunt [4]).

Unde una colligitur, quare Spiritus S. non per generationem, uti Filius, sed per simplicem processionem seu spira-

---

[1]) *Defin.* Ib. T. 31. c. 1026 ss.

[2]) Cf. Basil. *De Spir. S. c. 18. n. 46.* Opp. T. 3. p. 40.

[3]) Cf. Gregor. Nyss. *Ad Ablar.* Opp. T. 2. p. 459.

[4]) Cf. Anselm. *De process. Spir. S. c. 18.* Opp. p. 57.

tionem a Patre et Filio procedat. Nam quum processio Spiritus S. fiat per actum voluntatis: non fit secundum rationem similitudinis, sed secundum rationem vitalis impulsus; amor enim non tendit ad exprimendam similitudinem amati, sed est inclinatio vitalis in illum. Spiritus S. quidem perfecte similis est Patri et Filio; at hoc non habet ex vi processionis suae, sed solum inde, quod natura divina amori divino, utpote necessario ὑποστατικῷ, communicetur ac identificetur.

Ex hucusque disputatis porro liquet, quid de eo sentiendum sit, quod nobis continuo Graeci objiciunt, ac si Ecclesia Catholica corruperit Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, addendo particulam, *Filioque*. — Corruptio tunc tantum obtineret, si sententia jam definita illâ particulâ additâ fuisset eliminata, aut contraria ab illa statuta; quod autem nequaquam factum est. Non enim dixerat Concilium Constantinopolitanum: *qui a solo Patre procedit*, sed tantum, *qui a Patre procedit*, quod recte a Macedonianis negabatur, in medio relinquens, quae porro vera erant, et ipsum scivit de processione ejusdem Spiritus S. a Filio. Insuper causam hujus reticentiae assignare valemus. Macedonius scilicet, contra quem Concilium Constantinopolitanum I. convocatum erat, Spiritum S. creaturam Filii esse, asserebat, ejusque servum, qui itaque ex Patre minime sit aut procedat [1]). A Filio quoque Spiritum S. procedere, noluit itaque Synodus adjicere, quoniam de hoc nemo quaerebat, neque dubitabat [2]), vel ne occasio praeberetur Macedonianis opinandi, Ecclesiam vel a longe ex illorum parte stare. Caeterum, si objectio illa valeret: deberet quoque Concilium Constantinopolitanum accusari, quod Symbolum Nicaenum, cui plures articulos adjecit, corruperit. Leo III. quidem noluit additionem particulae, *Filioque*, Concilio Aquisgranensi a. 809. postulante, et ipso Carolo Magno auctoritatem suam interponente, adprobare atque ad universam Ecclesiam extendere, quamvis palam professus sit, ut testantur acta legationis, Spiritum S. etiam a Filio procedere [3]), partim quoniam nulla necessitas id exigebat, ut inter Sacrorum solemnia publice Symbolum cum illa additione decantaretur, par-

---

1) Cf. Basil. *Adv. Eunom. l. 2. n. 34.* Opp. T. 1. p. 271.
2) Cf. Epiphan. *Haer. 74. n. 14.* Opp. T. 1. p. 904.
3) Cf. Conc. Aquisgr. a. 809. Mansi, *Coll. Conc.* T. 14. c. 13 ss.

tim quia praecipue nolebat inspectantibus Graecis contra litteram Concilii Ephesini agere, quo sancitum est, *alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, praeter definitam a SS. Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu S. congregati fuerunt* [1]; quod tamen aperte de fide contraria aut diversa a fide in Symbolo Nicaeno proposita, aut vero de ulteriori declaratione per personas privatas addenda intelligendum est; alioquin Orientales ipsi primi fuissent hujus decreti violatores, quum Concilium Chalcedonense, licet renovaverit sanctionem Ephesinam, Symbolum a Patribus Constantinopolitanis erectum receperit, et in usum communem totius Ecclesiae deduxerit [2]. Unde et Patres Concilii Florentini, graeci et latini, declarare potuerunt, *explicationem verborum illorum: „Filioque", veritatis declarandae gratia, imminente tunc necessitate, licite et rationabiliter Symbolo fuisse appositam* [3].

Quod vero attinet ad Theodoretum, qui blasphemum ac impium esse dicit [4], *ex Filio aut per Filium* exsistentiam habere Spiritum S.: constat, ejus scripta una cum scriptis Theodori Mopsuesteni et epistola Ibae in Concilio Constantinopolitano II. a. 553. condemnata esse. Caeterum ipse nonnisi videtur negare, Spiritum S. per Filium aut a Filio creatum esse, quod a Cyrillo verbis illis, *ipsum Spiritum Filii proprium esse,* assertum, animo praeoccupato obcoecatus, aut disputationis aestu abreptus, arbitratus est. Unde ait: *Docuit nos (Apostolus) etiam in his verbis unam divinitatis naturam. Sanctum enim Spiritum et Dei appellavit, et Christi: non quod, ut volunt exsecrandi haeretici, ex Deo per Filium creatus sit, sed quia est ejusdem cum Patre et Filio substantiae, et ex Patre quidem procedit juxta Evangeliorum doctrinam: ejus autem gratia iis, qui digni sunt, per Christum suppeditatur* [5]. Hinc Cyrillus quoque respondens ad confutationem sui anathematismi, Theodoretum non arguit negatae processionis Spiritus S. a Filio, sed tantum conqueritur de imposita sibi ab eo calumnia, quasi divinitatem Spiritus S. in du-

---

[1]) *Act. 6. Decr. de fid.* Ib. T. 4. c. 1362 s.
[2]) *Act. 5.* Ib. T. 7. c. 114 s.
[3]) *Def. S. oec. Syn. Flor.* Ib. T. 31. c. 1031.
[4]) *Repreh. 12 cap. Cyrill. Alex. Repr. an. 9.* Opp. T. 4. p. 716.
[5]) *In Epist. ad Rom. 8. 11.* Opp. ed. Sirmond. Hal. 1771. T. 3. p. 84.

bium revocasset, neque Theodoretus contra hoc Cyrilli responsum, in quo diserte asserit, Verbum omnia communia habere cum Patre, una excepta Paternitate, reposuit, falso Cyrillum id adstruere, quando quidem communem cum ipso non habeat vim spirandi aut producendi Spiritum S., et etsi disertis ac expressis verbis non dicit, Spiritum S. a Filio procedere, ea tamen doctrinae proponit principia, ex quibus processio Spiritus S. a Filio aperte ac necessario colligitur.

Joannes Damascenus tandem quidem ait: *Spiritum S. et ex Patre esse dicimus, et Patris Spiritum nominamus. At vero eum ex Filio esse non dicimus, Filii tamen Spiritum vocitamus* [1]). Ast verbis hisce S. Pater tantum a Filio principalem causam divinarum processionum, quam Graeci τὴν προκαταρκτικὴν αἰτίαν adpellant, nequaquam autem ipsam processionem excludit. Nempe citatis verbis id unum ipse vult, Filium non esse principium absque origine, sed solum esse principium Spiritus S. cum origine, eo quod solus Pater tale principium sine origine sit; cum omnia, quae Filius habet, a Patre accipiat. Ideo confestim addit S. Doctor: *Solus Pater principium*, i. e. primus fons, est, uti rerum omnium finitarum sua voluntate, ita sua natura ac essentia non tantum Filii, sed et Spiritus Sancti. Quae notio fuit apud Graecos pervulgata. Ita explicant hunc locum ipsi Doctores Graeci, Manuel Calecas, Demetrius, Bessarion [2]). Enimvero noluisse per citata verba Joannem Damascenum excludere processionem Spiritus S. a Filio, patet ex pluribus locis, in quibus expresse tradit, Spiritum S. a Patre per Filium produci vel procedere. Sic ab ipso dicitur Pater *Verbi genitor, ac per Verbum manifestantis Spiritus productor;* et *Spiritus S. Filii quoque Spiritus, non velut ex ipso, sed per ipsum ex Patre procedens* [3]). Atque alibi: *Spiritus S.*, ait, *est ex Patre, siquidem per Filium et Verbum procedens, non tamen filiationis modo* [4]). Et iterum: *Spiritus S. Spiritus est Filii, sed non est ex Filio. Est tamen ad Filium, quia emanat per*

---

[1]) *De fid. orth. l. 1. c. 8.* Opp. T. 1. p. 141 s.

[2]) Cf. Petav. *De Trinit. l. 7. c. 17. n. 8—11. De theol. dogm.* Antv. 1700. T. 2. p. 433 s.

[3]) *De fid. orth. l. 1. c. 12.* Opp. T. 1. p. 148.

[4]) *Epist. de hymn. Trisag. n. 28.* Ib. p. 497.

illum et ex illo. At non est ex Filio, quia Pater una est causa, tum Filii, tum Spiritus S., utriusque ex aequo [1]).

§. 59. Relatio personarum divinarum ad res creatas.

Ab interna trium divinarum personarum ad invicem relatione quoque modus divinae efficaciae ad extra pendet. Non potest enim Deus in mundum agere, nisi naturae suae convenienter; et hinc quaevis persona divina, licet opera divina ad extra sint indivisa, modo *ἰδιότητι* suae congruo efficax sit, seu ad illa concurrat necesse est. Quoniam ergo Pater est principium Filii ac Spiritus S., ipse autem sine principio est: Pater quoque relate ad mundum principium primum, *ἡ αἰτία προκαταρκτική*, dicitur, atque ei prima cogitatio ac voluntas, seu consilium mundum, omniaque, quae in eo sunt ac fiunt, procreandi adscribitur, quo sensu etiam Creator universi *κατ' ἐξοχὴν*, seu *ἀρχὴ τῶν ὄντων* vel *πάντων* cognominatur [2]). Porro ex eadem causa quoque Pater immediate ad extra non agit, sed per Filium creat ac redimit, atque in Spiritu S. per Filium aut cum Filio sanctificat ac secum unit; et hinc ei prae Filio et Spiritu S. quasi *ἡ ἀορασία* attribuitur [3]).

Filius vero, utpote cognitio ac sapientia Dei *ὑποστατική*, est rerum omnium *ἰδέα* et *ἐνέργεια*; secundum quem itaque, et

---

[1]) *Exposit. fid. n. 2.* Ib. p. 664. c. 2. D. Cf. *De fid. orth. l. 1. c. 13.* p. 151. B. *Cont. Manich. n. 5.* p. 432. etc. Le Quien. in not. ult. ad. *c. 8. l. 1. De fid. orth.* p. 141.

[2]) Cf. 1. Cor. 8, 6. Ephes. 4, 6. 3, 15. Matth. 28, 39. 42. 2, 23. 25, 34. Act. 1, 7. 1. Cor. 1, 1. 2. Cor. 1, 1. Ephes. 1, 1. 1, 4—6. 9, 1. 1. Col. 1, 1. Hebr. 10, 7. 9. — Basii. *De Spir. S. c. 16. n. 38.* Opp. T. 3. p. 31 s. — Gregor. Nyss. *De Bapt. Christ.* Opp. T. 2. p. 804.

[3]) Joan. 1, 18. 1. Joan. 4, 12. Col. 1, 15. 1. Tim. 6, 16. Cf. Matth. 5, 18. 45. 48. 7, 11. Jac. 1, 17. — Justin. *Dial. c. Tryph. n. 127.* Opp. p. 232. *Epist. ad Diognet. n. 7.* p. 249. — Iren. *Cont. haer. l. 4. c. 20. n. 6. 11.* p. 254 s. 256. *l. 5. c. 16. n. 2.* p. 313. c. 1. — Origen. *Select. in Gen. 9, 68.* Opp. T. 2. p. 32. *In Joan. l. 32. n. 18.* T. 4. p. 451. — Basil. *De Spir. S. c. 18. n. 47.* Opp. T. 3. p. 39. — Ephrem. Syr. *Adv. Scrut. Serm. 6.* Opp. s. l. T. 3. p. 12. — Tertull. *Adv. Marcion. l. 5. n. 19.* Opp. V. 2. p. 398. *Adv. Prax. n. 14. 15.* p. 418. — Novatian. *De Trinit. c. 18.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 3. p. 300. — Mar. Victorin. *Cont. Arian. l. 3. n. 2.* Ib. T. 8. p. 180.

per quem omnia fiunt [1]). Quapropter et a Patribus jam δημιουργικὴ αἰτία [2]), jam δημιουργὸς τῆς κτίσεως [3]) adpellatur. Prout enim Dei ἰδέα seu cogitatio sui ipsius vera et perfecta in **Filio** redditur, ita quoque Dei ἰδέα seu cogitatio mundi per **Filium** exsecutioni mandatur; et qui interna Dei imago substantialis est, ille quoque auctor est externae imaginis; quique **Patrem** interne repraesentat, eum quoque externe manifestat. Eapropter autem porro non tantum per **Filium** ad ἰδέαν **Patris** mundus fieri, sed et a Deo avulsus ipsi restitui debuit. Unde **Filius** uti **Conditor**, ita et mundi **Salvator** ac **Redemtor** est [4]).

Tandem quae **Filius** in nomine **Patris** agit, agit in **Spiritu S.**, tamquam voluntate ac amore Dei substantiali, qui quemadmodum absolutam vitam deitatis perficit ac complet, etiam rerum extra Deum causa perficiens, τελειωτικὴ αἰτία, seu τελειωτικὸν τῶν πάντων est [5]). Hinc **Spiritus S.** est, per quem **Christus Dominus** quoad carnem conceptus est [6]), ejiciebat daemones [7]), atque semetipsum obtulit immaculatum Deo [8]), quique eum ut hominem signavit [9]), unxit [10]), in desertum duxit [11]), suscitavit a mortuis [12]), ejusque opus redemtionis Ecclesiam regendo atque mentes fidelium illustrando ac sanctificando exsequitur [13]).

---

1) Cf. Joan. 1, 3. 10. Col. 1, 16. Hebr. 1, 2.

2) Basil. *De Spir. S. c. 16. n. 38.* Opp. T. 3. p. 31.

3) Gregor. Nyss. *De Bapt. Christ.* l. c. — Gregor. Naz. *Or. 24.* Opp. T. 1. c. 386. C.

4) Rom. 5, 10. Joan. 2, 2. Cf. Joan. 1, 14.

5) Cf. Basil. l. c. — Gregor. Nyss. l. c. *Quod non sint tres dii.* T. 3. p. 454 s. — Gregor. Naz. *Or. 24.* Opp. T. 1. c. 386. C. — Cyrill. Alex. *De fid. ad Reg. Or. 2. n. 51.* Opp. T. 5. P. 2. p. 171. — J. Damasc. *De fid. orth. l. 2. c. 2.* Opp. T. 1. p. 154.

6) Matth. 1, 18. 20. Luc. 1, 30—35.

7) Matth. 12, 28.

8) Hebr. 9, 14.

9) Joan. 3, 33—34.

10) Luc. 4, 18. Act. 10, 38. Cf. Matth. 12, 18. Rom. 1, 4.

11) Matth. 4, 1. Luc. 4, 1. Cf. 4, 4.

12) Rom. 8, 11.

13) Joan. 14, 16. 17. 26. 16, 8—15. Act. 5, 32. 8, 29. 39. 10, 19, 13, 4. 15, 28. 16, 6. 20, 22. Joan. 3, 5 s. Rom. 5, 5. 8, 9 s. 14. 1. Cor. 12, 13. Gal. 4, 6. 1. Cor. 6, 11. Philipp. 1, 19. Cf. Apoc. 5, 6. 1, 4. Ps. 103, 30. — Iren. *Cont. haer. l. 3. c. 17. n.* 2. p. 208. — Basil. *Epist. 105.* Opp. T. 3. p. 200. *De Spir. S. c. 9. n. 23.* T. 3. p. 20. — Augustin. *De mor. Eccl. Cath. l. 1. c. 13. n. 23.* Opp. T. 1. c. 696.

Ut ergo, quae hucusque dicta sunt, uno verbo comprehendamus: quaecunque a Deo ad extra fiunt, aut hominibus conceduntur, fiunt ac conceduntur a Patre per Filium in Spiritu Sancto. *Ita,* ut scribit Athanasius, *unus Deus in Ecclesia praedicatur, qui est super omnia, et per omnia, et in omnibus. Super omnia quidem ut Pater, ut principium et fons: per omnia vero, nempe per Verbum in omnibus denique, in Spiritu S.* [1]). Et Concilium Constantinopolitanum II.: *Unus enim Deus et Pater, ex quo omnia; et unus Dominus Jesus, per quem omnia; et unus Spiritus S., in quo omnia* [2]).

Vice versa autem Pater ultimus rerum omnium est finis. Ad Patrem ideo omnes nostrae cogitationes, actiones atque orationes in Spiritu S. coeptae per Filium dirigendae sunt, ita ut in uno Spiritu per Jesum ad Patrem accedamus [3]).

Quapropter et χαρακτηρισμὸς Filii est διά, et Spiritus S. εἰς vel ἐν, quin tamen inde, ut ex dictis per se patet, ad aliam quam originis dependentiam concludere liceat. *Est,* ait Cyrillus Alex., *secundum propriam hypostasim perfectissimus Pater: similiter Filius, et Spiritus S.: sed unius horum creatrix voluntas, quacumque in re versari dicatur, efficacitas quidem est ipsius, verumtamen omnem divinitatem permeat, et supernaturalis substantiae est commune velut quoddam opus, sed unicuique personae singillatim conveniens, tamquam per tres hypostases etiam seorsim unicuique congruat hypostasi, per se absolutissimae. Operatur itaque Pater, sed per Filium in Spiritu: operatur item Filius, sed tamquam virtus Patris, qui ex*

---

1) *Epist. ad Serap. 1. n. 28.* Opp. T. 1. P. 2. p. 676 s.

2) *C. 1.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 9. c. 378. Cf. 1. Cor. 8, 6. — Athanas. *Epist. ad Serap. n. 24.* Ib. p. 673. *Epist. 3. n. 5.* p. 694. — Theophil. Antioch. *Ad Autol. l. 2. n. 10.* Opp. Justin. p. 378 s. — Iren. *Cont. haer. l. 4. c. 20. n. 1—4.* p. 253 s. — Origen. *De princ. l. 1. c. 3. n. 4.* Opp. T. 1. p. 61. — Basil. *De Spir. S. c. 8. n. 19.* Opp. T. 3. p. 16 s. — Cyrillus Alex. *Cont. Julian. l. 3.* Opp. T. 6. P. 2. p. 97. C. — J. Damasc. *De fid. orth.* l. *1. c. 12.* Opp. T. 1. p. 148. — Augustin. *De ver. rel. c. 7. n. 13.* Opp. T. 1. c. 752. — Hieron. *Quaest. hebr. in Gen. 1, 1.* Opp. T. 3. c. 305 s. Etc.

3) Ephes. 2, 18. Cf. Matth. 6, 9. 18, 19 s. Joan. 14, 13. 15, 10. 16, 23. 24. 26, Ephes. 3, 21. 5, 20.

ipso et in ipso esse intelligitur secundum peculiarem existentiam. Operatur quoque Spiritus: Spiritus enim est Patris, et Filii, universorum opifex [1]).

Quibus hoc solum addimus, ad expressa fidei Catholicae dogmata pertinere, opera trium divinarum personarum externa esse indivisa, Etenim Conc. Lateranense IV. diserte declarat: *Quod unus solus est verus Deus, — Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus: — unum universorum principium: Creator omnium visibilium et invisibilium* [2]). Atque insuper speciatim addit: *Unigenitus Dei Filius Jesus Christus a tota Trinitate communiter incarnatus — verus homo factus* [3]). Atque ante illud Conc. Toletanum XI. ab universali Ecclesia receptum: *Incarnationem quoque hujus Filii Dei tota Trinitas operasse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis.* [4]). Similia habet Conc. Lateran. I. a. 649. [5]) et *Decretum* Eugenii IV. *pro Jacobitis* [6]).

Observ. Ex quibus colligitur, minime fidei Catholicae consona videri haecce: „Wie jedes Moment in der Offenbarung des absoluten Princips, wieder Princip (Hypostase) ist und als dieses persönlich wird; so muß auch in der Offenbarung Gottes nach Außen Alles persönlich ausfallen, d. h. einer bestimmten Person und keiner Anderen, noch weniger allen zusammen als Operation und Opus operatum beigelegt werden [7]).

1) *De Trinit. Dial. 6.* Opp. T. 5. P. 1. p. 618. D. ss.
2) *C. 1. de fid. C.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 22. c. 981—2.
3) Ib.
4) *Prof. fid.* Ib. T. 11. c. 135.
5) *Can. 1.* Ib. T. 10. c. 1151.
6) Hard. *Act. Conc.* T. 9. c. 1023.
7) Günther, Vorschul. 2. B. p. 369.

Pars Secunda.

De operibus divinis, seu de relatione Dei ad mundum universim.

(*Κοσμολογία.*)

§. 1. Ingressio.

Exposita doctrina de Deo, in se spectato, transimus ad tradendam doctrinam de operibus divinis, seu de Deo ad mundum relato. Quemadmodum enim Deus ad intra modo necessario sua infinita cognitione atque dilectione semetipsum generat, et hac ratione suam infinitam perfectionem atque absolutam vitam spiritualem testatam facit, ita ad extra libere mundum finitum ac contingentem, utpote sibi enti infinito ac necessario oppositum, procreat, suamque majestatem, exsistentiam, sapientiam, potentiam ac charitatem absolutam, quasi in speculo ac imagine manifestam reddit, ita ut *invisibilia ipsius — per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciantur*[1]).

§. 2. Mundus.

Mundi, *τοῦ κόσμου*, nomine venit complexio omnium, quae praeter Deum dantur, rerum spiritualium aeque ac corporearum cum suis exsistendi modis, proprietatibus, viribus, affectionibus, seu complexio omnium rerum finitarum, cum infinitus solus Deus sit.

In SS. Litteris mundus seu rerum natura plerumque *coelum et terra* adpellatur, quibus *mare et omnia, quae in eis sunt*, seu *omnis ornatus eorum* adjicitur [2]); porro *exercitus*, צָבָא, qua voce non stellae solum, sed omnes omnino res creatae intelliguntur, utpote quae omnes voluntatem divi-

---

[1]) Rom. 1, 20.

[2]) Gen. 1, 1. Ps. 113, 15. Gen. 2, 1. Act. 4, 24. et al.

nam exsequuntur [1]; deinde quoque עוֹלָם et עוֹלָמִים, αἰὼν et αἰῶνες, *saeculum et saecula*, quoniam mundus in tempore seu cum tempore exsistit, continente quasi pro contento posito, vel quia perdurat, quae posterior notio etiam hebraicae voci חֶלֶד, de mundo pariter adhibitae, inest [2]. **Isaias** mundum חֶדֶל, *rem inanem, vanam*, adpellat, quae notio postea quoque vocabulo κόσμος, *mundus*, propter rerum finitarum inconstantiam atque incitationem ad malum subjecta est [3].

Interdum mundus in S. Scriptura solum orbem terrarum [4], vel etiam genus humanum [5]) tantum indicat.

§. 3. Divisio.

Non exsisteret autem mundus, nisi Deus eum condidisset, atque jugiter conservaret ac gubernaret, seu providentissimam ejus curam gereret. Quapropter tractatum huncce de mundo generatim spectato dividimus in duas sectiones, quarum

1. agit de creatione mundi, seu de Deo mundi Creatore;
2. de divina providentia, i. e. de mundi conservatione ac gubernatione, seu de Deo mundi Conservatore ac Gubernatore.

SECTIO I.

De creatione mundi, seu de Deo mundi Creatore.

§. 4. Creationis notio.

Deum esse mundi Creatorem, indubitatum et gravissimum fidei Catholicae dogma est. Creare autem est solo volun-

[1] Cf. Ps. 102, 20—22.
[2] Ps. 40, 2. 4.
[3] 1. Joan. 2, 15—17. 5, 4—5.
[4] Marc. 16, 15.
[5] Joan. 3, 16.

tatis actu aliquid, quod antea non exstitit, efficere. Creatio itaque erit ea libera voluntatis divinao actio ad extra, qua solo nutu, sine instrumentis ac ullo conamine, res ex nihilo, i. e. quae antea prorsus non, neque quoad formam neque quoad materiam, exstiterunt, producuntur. Sic creatio abunde distinguitur a fabricatione, quae et materiam et instrumenta et laborem exigit. Et haec quidem est creatio sensu strictissimo ac quam maxime proprio accepta. Nam vera ac propria quoque est creatio, quando Deus ex materia praejacente, quaecumque vult, operatur. Sensu latiori autem ac improprio creatio sumitur, quando subinde de quacumque rei fabricatione adhibetur [1]).

Solent inter creationem primam et secundam distinguere, quamvis diversi modo diverso. Alii enim sub creatione prima intelligunt procreationem materiae inhabilis ac indigestae; sub secunda ex hacce rerum corporearum omnium formationem, quibus constat mundus aspectabilis [2]). Alii primam creationem eam esse dicunt, qua factum est, ut res omnes, substantiae cum viribus suis, esse inciperent, et secundam, seu continuatam, mediatam, quae per causas secundas, i. e. vires ac leges naturae, perpetuo cursu continuatur, quaque efficitur, ut res aliae perpetuo maneant, aliae vero novae in locum priorum intereuntium succedant [3]). Aliis iterum creatio prima illa est, qua mundus ante multa annorum millia sit factus, et secunda, qua fuerit reformatus seu restitutus.

Dogma Catholicum, Deum mundi esse Creatorem, itaque dicit, Deum et non aliud ens aliquod, mundum, i. e. omnia omnino entia finita, ex nihilo, seu cum antea prorsus non essent, neque quoad formam neque quoad materiam, solo omnipotenti ac liberrimo voluntatis secundum sapientissimam cognitionem actu in, vel potius cum tempore excitasse.

§. 5. Mundus a Deo creatus.

Licet veritas de creatione mundi ex nihilo, incognita Gentilibus, ex revelatione divina Christianis plena luce illuxerit: nihilominus non pauci primis statim a Christo nato temporibus Gentilium tenebras divinae revelationis luminibus praeferre amabant.

---

[1]) Eccli. 24, 14.

[2]) Cf. Sap. 11, 18.

[3]) Cf. Gen. 1, 11. 22. 28. Job. 10, 8—12. Ps. 139, 13—16. Act. 17, 25—28.

Triplex est autem error, qui doctrinae Catholicae opponitur. Et quidem primo commentum **Epicuri**, quo statuitur, mundum atomorum fortuita quadam ac turbulenta concursione per adhaesionem, copulationemve esse ortum [1]). — Deinde **Hylozoismus**, error primis Ecclesiae saeculis apud haereticos vulgatissimus, quo aeternam materiam (*ὕλην ἀγέννητον*) fuisse, ex qua mundus tum vel per Deum vel per Angelos, sive bonos sive malos, formatus sit, sumitur. Prius, mundum scilicet a Deo ex materia subjacente conditum esse, docuit post **Platonem** et alios graecos philosophos **Hermogenes** cum suis asseclis [2]). Posterius vero, mundum per Angelos formatum esse, contendebant **Simon Magus**, **Menander** et alii [3]). Cui errori affinis est sententia **Marcionitarum**, **Manichaeorum** et **Priscillianistarum**, materiam ac mundum corporeum, ex ea fictum, principio malo tribuentium [4]). — Tum systema mundi aeterni, quod bifariam in pantheismum, Deum cum mundo confundentem, et emanationis doctrinam abit. Cui systemati quoque **Cabbalistae**, radiationes divinae naturae defendentes [5]), et ex parte etiam **Gnostici**, varias generationes in eadem assumentes [6]), adhaerebant.

Contra huncce itaque triplicem errorem dogma Ecclesiae Catholicae defendendum est, atque ostendendum, mundum non ex materia aliqua jam praeexsistente fabricatum, verum ex nihilo, quum omnis omnino abesset praeter Deum substantia, immediate a **Deo** esse conditum, et quidem ab ipso nulla vi aut necessitate coacto, sed sua sponte ac voluntate liberrima. Est autem haec

A. definita doctrina SS. **Litterarum** tum A. tum N. T.. Quod ad A. T. attinet: veritas illa nobis in ipsius limine occurrit. Nam **Moyses** sic exorditur librum **Geneseos**: *In principio creavit*, בָּרָא, *Deus coelum, et terram* [7]). Vox ברא quidem etiam *fingere*, seu *creare ex materia praejacente*, significat, et hoc significatu adhibita statim inferius [8]) occurrit.

---

1) Cf. **Cic.** *De nat. deor. l. 1. n. 24. De fin. l. 1. n. 6 ss.* — **Lactant.** *De ira D. c. 9.* Opp. T. 2. p. 142.

2) Cf. **Fritz**, Ketzerlexikon. Würzb. 1828. 3. B. 79 ss.

3) Cf. Id. ib. 5. B. 299 ss. 4. B. p. 329 s.

4) Cf. Id. ib. B. 4. p. 264 ss. p. 226 ss. 362 ss.

5) Cf. **Kleuker**, Ueber die Natur und den Ursprung der Emanationslehre b. d. Kabbalisten. Rig. 1786.

6) Cf. **Fritz**, o. c. 3. B. p. 17 ss.

7) Gen. 1, 1.

8) v. 27. coll. 2, 7.

Attamen in loco nostro de creatione sensu strictissimo sumi debet; quoniam non tantum nulla prorsus materiae mentio injicitur, sed de ulteriori materiae formatione primum in sequentibus versibus sacer auctor loquitur, et quidem in oppositione versus primi, ita ut in hocce non de illa ipsa, et ideo dumtaxat de vera et propria molis indigestae procreatione sermo esse possit. Sic quoque Judaei locum nostrum intelligebant. Nam nonnisi inde explicatur communis eorum fides in creationem mundi ex nihilo, cujus luculentissimum nobis praebent testimonium verba matris Machabaeae, quibus affatur septem filiorum adolescentiorem, dum ait: *Peto nate, ut aspicias ad coelum, et terram, et ad omnia, quae in eis sunt: et intelligas, quia ex nihilo, ἐξ οὐκ ὄντων, fecit illa Deus*[1]). Quae sane verba pulcherrimus verborum Mosaicorum sunt commentarius. Porro in reliquis A. T. libris id ipsum ubique recurrit, et quidem ita, ut creatio tamquam actio certo divina describatur, et ceu nota characteristica Dei veri sistatur. *Verbo Domini*, ait Psalmista, *coeli firmati sunt: et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. — Quoniam ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt*[2]). Et iterum: *Qui* (Deus) *fecit coelum, et terram, et omnia, quae in eis sunt*[3]). Atque: *Omnia quaecumque voluit, Dominus fecit in coelo, in terra, in mari et in omnibus abyssis*[4]). Porro Isaias: *Levate in excelsum oculos vestros, et videte, quis creavit haec: qui educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine vocat: prae multitudine fortitudinis, et roboris, virtutisque ejus, neque unum reliquum fuit*[5]). Et: *Haec dicit Dominus redemtor tuus, et formator tuus ex utero: Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum*[6]) — Jeremias: *Qui facit terram in fortitudine sua, et prudentia extendit coelos*[7]). — Nehemias: *Tu ipse, Domine, solus tu fecisti coelum, et coelum coelorum, et omnem exercitum eorum: terram, et*

[1]) 2. Machab. 7, 28.
[2]) Ps. 32, 6—9.
[3]) Ps. 145, 6.
[4]) Ps. 134, 6. Cf. Ps. 101, 26. 123, 8. 113, 15.
[5]) Is. 40, 26.
[6]) Is. 44, 24. Cf. 37, 16. 45, 6—7. 12. 18. 48, 13. 51, 13. 66, 2. Mal. 2, 10.
[7]) Jer. 10, 12. Cf. 32, 17.

universa, quae in ea sunt: maria, et omnia, quae in eis sunt: et tu vivificas omnia haec, et exercitus coeli te adorat[1]). Et auctor libri Sapientiae: *Deus patrum meorum, et Domine misericordiae, qui fecisti omnia verbo tuo*[2]). In quibus locis itaque recte illud, quod Ecclesia Catholica docet, traditur, Deum nimirum, et non ens aliquod aliud, aut etiam Angelos, omnia, quaecumque secundum infinitam voluerit sapientiam, nullaque necessitate coactum, sola omnipotenti virtute sua, et nulla etiam materia praeexsistente, condidisse. — In libris N. T. autem, et quidem in Actis Apostolorum ajunt Paulus et Barnabas ad Lystrenses, qui illis tamquam diis sacra facere volebant: *Viri quid haec facitis? et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit coelum, et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt*[3]). Alibi scribit idem Paulus: *Quoniam in ipso (Filio) condita sunt universa in coelis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, et in ipso creata sunt*[4]). Atque iterum: *Fide intelligimus, aptata esse saecula verbo Dei: ut ex invisibilibus visibilia*, ἐκ μὴ φαινομένων τὰ βλεπόμενα, i. e. τὰ ὄντα ἐξ οὐκ ὄντων, *fierent*[5]). Et Joannes: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam*, διὰ τὸ θέλημά σου, *erant, et creata sunt*[6]). Docent ergo etiam auctores N. T., a Deo ad suum arbitrium omnia esse condita ex nihilo, ita ut ex non exsistentibus exsistentia fierent.

B. Ita quoque Ecclesiae Patres antiquiores dogma Catholicum contra errores varios supra expositos strenue defendunt, atque Deum esse rerum omnium Creatorem sensu quam maxime proprio docent. Sic sententiam de mundo ex fortuita atomorum concursione orto irridet Lanctantius,

---

1) 2. Esdr. 9, 6. Cf. 2. Machab. 1, 24.
2) Sap. 9, 1. Cf. 1, 14. 13, 3—9. et Prov. 8, 22 ss.
3) Act. 14, 14. Cf. 17, 24. 4, 24.
4) Col. 1, 16. Cf. Joan. 1, 3.
5) Hebr. 11, 3. Cf. Rom. 4, 17. 11, 36. 1. Cor. 8, 6. Hebr. 3, 4.
6) Apoc. 4, 11. Cf. 10, 6. 14, 7.

et postquam ineptiam hujus commenti ostenderat, concludit hisce verbis: *Est igitur divina providentia, cujus vi ac potestate omnia, quae videmus, et facta sunt, et reguntur. Nec enim tanta rerum magnitudo, tanta dispositio, tanta in servandis ordinibus temporibusque constantia, aut olim potuit sine provido artifice oriri, aut constare tot saeculis sine incola potenti, aut in perpetuum gubernari sine perito ac sentiente rectore: quod ratio ipsa declarat. Quidquid est enim, quod habet rationem, ratione sit ortum necesse est. Ratio autem sentientis sapientisque naturae est: sapiens vero sentiensque natura nihil aliud potest esse, quam Deus. Mundus autem, quoniam rationem habet, qua et regitur, et constat, ergo a Deo factus est*[1]). Et alibi: *Nemo quaeret, ex quibus ista materiis tam magna, tam mirifica opera Deus fecerit; omnia enim fecit ex nihilo*[2]). — Errorem materiae Deo coaevae impugnant Theophilus Antioch., Tatianus, Athenagoras, Origenes, Athanasius, Augustinus, et inprimis Tertullianus. Theophilus Ant. inter alia ait: *Quid autem magni esset, si Deus ex materia subjecta mundum faceret? Opifex enim apud nos, cum materiam ab aliquo acceperit, ex ea quidquid placuerit, effingit. Dei autem potentia in eo spectatur, ut ex nihilo faciat, quaecumque voluerit: quemadmodum animam et motum dare, non est alterius cujusquam praeterquam Dei*[3]). Et: *Ac primo quidem summo consensu docuere (Prophetae), Deum ex nihilo omnia creasse. Nihil enim Deo coaevum, sed cum sibi ipse locus sit, nec ulla re egeat, ac saeculis antiquior sit, hominem facere voluit, cui innotesceret: huic homini mundum praeparavit*[4]). — Tatianus: *Universorum Dominus, quatenus quidem mundus nondum erat creatus, solus erat. — Non enim caret initio materia, quemadmodum Deus: nec Deo, ut principii expers, parem habet potestatem, verum creata est: nec ab alio facta est, sed a solo universorum opifice producta*[5]). — Athenagoras: *Nobis autem,*

---

1) *De ira Dei. c. 10.* Opp. T. 2. p. 151.
2) *Div. instit. l. 2. c. 9.* T. 1. p. 145.
3) *Ad Autol. l. 2. n. 4.* Opp. Justin. p. 373.
4) *Ib. n. 10.* p. 378.
5) *Cont. Graec. n. 5.* Cf. *n. 12.* Ib. p. 261 s. 268.

qui Deum a materia disjungimus, — ac plurimo utrumque intervallo distare demonstramus (Deum enim increatum et aeternum esse, ac sola mente ac ratione cognosci posse, materiam autem creatam et corruptioni obnoxiam), nonne immerito atheorum nomen imponitur [1])? — Origenes non solum creatam materiam affirmat, sed et impietatis eos arguit, qui eamdem Deo coaeternam esse effutierunt [2]), et diserte tradit, hanc de temporaria mundi origine doctrinam ad articulos fidei Christianae pertinere, quum ait: *Species eorum, quae per praedicationem Apostolicam manifeste traduntur, sunt istae: primo quod unus Deus est, qui omnia creavit atque composuit, quique cum nihil esset, esse fecit omnia* [3]). — Athanasius: *Novit enim (Christi fides), res non fortuito factas esse, quia providentia gubernantur: neque ex materia prius exsistente, quia Deus imbecillis non est: sed Deum omnia, neutiquam prius exsistentia, ex nihilo per Verbum fecisse, ut essent, uti per Moysem ait: „In principio fecit Deus coelum et terram“* [4]). Et alibi: *An ita Deus creat, ut homo? — Deus quidem creat, ea, quae non erant, vocans, ut sint, nullaque re ad creandum indgens* [5]).—Tertullianus; *Quod colimus, Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum majestatis suae, unde et Graeci nomen κόσμον accommodaverunt* [6]). Alibi, ubi regulam fidei, a Christo institutam et ab omnibus admissam, propo-

---

1) *Leg. pro. Christ. n. 4.* Cf. *n. 19.* Ib. p. 300. 313 *s.*

2) *Ex Comm. in Gen. c. 1. v. 12.* Opp. T. 2. p. 2 *s.*

3) *De Princ. Praef. n. 4.* T. 1. p. 47. Cf. *l. 1. c. 3. n. 3.* p. 61. *l. 2. c. 1. n. 4. 5.* p. 78 *s. In Joan. t. 32. n. 9.* T. 3. p. 429. B. Mundum tamen praesentem Origenes nequaquam habet primum, sed (*De princ. l. 3. c. 5. n. 3.* T. 1. p. 149) alios ante hunc mundos exstitisse, a Deo creatos, statuit. Ad quam sententiam refutandam librum singularem, *De rebus creatis, περὶ γεννητῶν,* Methodius conscripsit, cujus epitome in Photii *Bibliotheca Cod. 235.* exstat. Caeterum jam Clemens Alex. plures ante hunc orbem terrarum fuisse deinceps exortos docuerat. Cf. Phot. *Bibl. Cod. 109.*

4) *De Incarn. Verb. D. n. 3.* Opp. T. I. p. 49.

5) *Epist. de decr. Nic. Syn. n. 11,* p. 217.

6) *Apolog. n. 17.* Opp. V. 1. p. 42.

nit, primum hunc articulum collocat: *Unum omnino Deum esse; nec alium praeter mundi Conditorem; qui universa de nihilo produxerit, per Verbum primo omnium demissum* [1]. Praecipue autem huc pertinet liber ejus *contra Hermogenem*, qui totus in illo errore refellendo versatur [2]. — Augustinus: *Non enim debemus similes esse istis, qui omnipotentem Deum non credunt aliquid de nihilo facere potuisse, cum considerant fabros et quoslibet opifices non posse aliquid fabricare, nisi habuerint, unde fabricent. — Omnipotens autem Deus nulla re adjuvandus erat, quam ipse non fecerat, ut quod volebat, efficeret. Si enim ad eas res, quas facere volebat, adjuvabat eum aliqua res, quam ipse non fecerat, non erat omnipotens: quod sacrilegum est credere* [3]. — Similia sunt, quae habent Ambrosius [4], Fulgentius [5]. — Errorem asserentium, mundum ab aliqua creatura praecellente factum esse, vel a Deo quidem originem trahere, sed mediantibus Angelis, perstringunt Irenaeus, Epiphanius, Cyrillus Alex., Athanasius et omnes alii Patres, qui Verbum non creaturam, — qua mundus conditus est, sed Deum esse, Patri consubstantialem, defendunt. Irenaeus ait: *Qui autem ab Angelis mundum dicunt fabricatum, vel ab alio quodam mundi fabricatore, praeter sententiam ejus, qui super omnia Pater est, primo quidem ex hoc ipso peccant, praeter voluntatem Dei talem et tantam conditionem Angelos fecisse dicentes: quasi efficaciores sint Angeli, quam Deus, etc.. Si autem non praeter voluntatem ejus, sed volente et sciente; — jam non Angeli, vel mundi fabricator causae erunt fabricationis istius, sed voluntas Dei. — Sit fortasse hic sermo suasorius, sive seductorius apud eos, qui ignorant Deum, et qui hominibus assimilant eum inopibus, et his, qui non possunt statim aliquid ex parato fabricare, sed indigentibus multis organis ad eorum fabricationem: non autem verisimilis in totum apud eos, qui sciunt, quoniam nullius indigens omnium Deus, Verbo condidit omnia et fecit, neque*

---

[1]) *De praescr. n. 13.* Opp. V. 1. p. 306.

[2]) V. 1. p. 349—381. Cf. *Adv. Marc. l. 5. n. 1.* V. 2. p. 347.

[3]) *De Gen. cont. Manich. l. 1. c. 6. n. 10.* Opp. T. 1. c. 649. *Ad Oros. cont. Priscillian. c. 2.* T. 8. c. 611 s. *De lib. arbitr. l. 1. c. 2. n. 5.* T. 1. c. 571. *Conf. l. 12. c. 7. n. 7.* T. 1. c. 211.

[4]) *Hexaëm. l. 1. c. 5.* Opp. T. 1. p. 8—10.

[5]) *De fid. ad Petr. c. 3. n. 25—26.* Opp. p. 510 s.

Angelis indigens adjutoribus ad ea, quae fiunt: neque virtute aliqua valde inferiori ab illo, et ignorante Patrem; neque aliqua labe, neque ignorantia, ut is, qui inciperet eum cognoscere, homo fieret: sed ipse in semetipso, secundum id, quod est inenarrabile, et inexcogitabile nobis, omnia praedestinans fecit, quemadmodum voluit; omnibus consonantiam, et ordinem suum, et initium creationis donans; spiritualibus quidem spiritualem et invisibilem, et supercoelestibus coelestem, et Angelis angelicam, et animalibus animalem, et natantibus aquatilem, et terrigenis terrigenam, omnibus aptam qualitatis substantiam: omnia autem, quae facta sunt, infatigabili Verbo fecit [1]). — Cyrillus Alex.: *Praecipua Dei veri proprietas est, ut a nihilo possit substantias producere* [2]). Et: *Potestas creandi divinae solummodo inest naturae: et haec est inter alias Deo convenientes dignitates praecipua* [3]). — Dualismum speciatim rejiciunt Justinus [4]), Cyrillus Hieros. [5]), Tertullianus, qui quinque libros *adversus Marcionem* conscripsit [6]), Ambrosius [7]) et Augustinus [8]). Quorum Tertullianus inter alia ait: *Cum Deum hoc gradu expellimus, cui nulla conditio tam propria et Deo digna, quam Creatoris testimonium praesignarit*, i. e. signum praetulerit, unde cognoscatur, *narem contrahentes impudentissimi Marcionitae, convertuntur ad destructionem operum Creatoris. Nimirum, inquiunt, grande opus, et dignum Deo, mundus. Numquid ergo Creator minime Deus? Plane Deus. Ergo nec mundus Deo indignus; — etsi omne opus inferius est suo artifice* [9]).

---

[1]) *Cont. haer. l. 2. c. 2. n. 1—4.* p. 117 s. Cf. *l. 1. c. 22.* p. 98. *l. 2. c. 9.* p. 126. *l. 3. c. 8. n. 2—3.* p. 183. *l. 4. c. 2. n. 1—2.* p. 229. *l. 4. c. 20. n. 1—4.* p. 253 s. *l. 5. c. 18.* p. 315. etc. Cf. Tatian. *Cont. Graec. n. 19.* Opp. Justin. p. 277.

[2]) *Thes. l. 6. c. 2.* Opp. Par. 1604. T. 1. p. 187. c. 1. Cf. *l. 14. c. 6.* p. 236. c. 1.

[3]) *Cont. Julian. l. 2.* T. 2. p. 577. c. 2. C. D.

[4]) *Apol. I. n. 58—59.* Opp. p. 80.

[5]) *Cat. 6. n. 12 ss.* Opp. 94 ss.

[6]) Opp. V. 2. p. 146—402.

[7]) *Hexaëm. l. 3. c. 7. n. 32.* Opp. T. 1. c. 45.

[8]) *De Gen. cont. Manich. l. 1. c. 16. n. 25—26. c. 21. n. 32.* Opp. T. 1. c. 654 s. 658.

[9]) *L. 1. n. 13.* p. 158.

Sententiam tandem, quae statuit, mundum esse ab aeterno, confutant Justinus, Basilius, Ambrosius, Augustinus et J. Damascenus. Justinus senem interrogantem inducit: *Sed tu an ipsum mundum ingenitum dicis?* Cui respondet: *Sunt, qui dicant, sed his ego non assentior.* Ad quae senex reponit: *Recte facis. Quam enim habet rationem corpus adeo solidum et durum et coagmentatum, quodque immutatur, perit et nascitur quotidie, non ab aliqua causa ortum censere* [1])? — Basilius: *Nos autem,* ait, *et creaturis aeternitatis testimonium praebere, et creaturarum Dominum hac confessione privare, ejusdem esse amentiae arbitramur* [2]). — Ambrosius: *Quid tam inconveniens, quam ut aeternitatem operis cum Dei omnipotentis aeternitate conjungerent* (Peripatetici) [3])? — Augustinus: *Omnino incomparabilis est illa natura Trinitatis, et ob hoc ita aeterna, ut ei coaeternum aliquid esse non possit* [4]). — J. Damascenus: *Creatio autem in Deo, cum sit voluntatis opus, Deo profecto coaeterna non est. Haud enim natura comparatum est, ut quod ex nihilo producitur, eamdem cum eo, quod initio caret et sempiternum est, aeternitatem aut perpetuitatem habeat* [5]). — In specie autem emanatismum aggrediuntur: Irenaeus, qui scribit: *Quod dicunt ex lacrymis Achamoth humectam prodiisse substantiam, a risu autem lucidam, a tristitia autem solidam, et a timore mobilem, et in his altum sapere, et inflatum esse, quomodo haec non digna irrisione, et vere ridicula? Qui non credunt quidem, quoniam ipsam materiam, cum sit potens et dives in omnibus Deus, crearit, nescientes, quantum potest spiritualis et divina substantia; credentes autem, quoniam Mater ipsorum, quam foeminam a foemina vocant, a praedictis passionibus emisit tantam conditionis materiam: et quaerentes quidem,*

---

1) *Dial. c. Tryph. n. 5.* Opp. p. 111.

2) *Cont. Eunom. l. 2. n. 17.* Opp. T. 1. p. 253.

3) *Hexaëm. praef. n. 2.* Opp. T. 1. c. 2.

4) *De Gen. ad litt. l. 8. c. 23. n. 44.* Opp. T. 3. P. 1. c. 240. Cf. *De Gen. cont. Manich. l. 1. c. 2. n. 4.* T. 1. c. 647. *Conf. l. 11. c. 4—5. n. 6—7.* T. 1. c. 197. *De civ. D. l. 12. c. 10. 14. 17.* T. 8. c. 308 s. 312. 315 ss.

5) *De fid. orth. l. 1. c. 8.* Opp. T. 1. p. 133 s.

unde suppeditarit fabricatori conditionis substantia; non quaerentes autem unde Matri ipsorum, quam Enthymesin et impetum Aeonis errantis dicunt, lacrymas tantas, aut sudores, aut tristitias, aut reliqua materiae emissio. Attribuere enim substantiam eorum, quae facta sunt, virtuti et voluntati ejus, qui est omnium Deus, et credibile, et acceptabile, et constans, et in hoc bene dicetur, quoniam „quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.“ Quoniam homines quidem de nihilo non possunt aliquid facere, sed de materia subjacenti: Deus autem, quam homines hoc primo melior, eo quod materiam fabricationis suae, cum ante non esset, ipse adinvenit. Dicere autem de Enthymesi Aeonis errantis prolatam materiam, et longe quidem Aeonem ab Enthymesi ejus separatam, et hujus rursus passionem et affectionem extra ipsam quidem ejus esse materiam, et incredibile, et fatuum, et impossibile, et inconstans [1]).—Augustinus, qui ait: *Hanc ergo Trinitatem dici unum Deum, cumque fecisse, et creasse omnia, quae sunt, in quantum sunt, Catholica disciplina credi jubet, ita ut creatura omnis sive intellectualis sive corporalis, — non de Dei natura, sed a Deo sit facta de nihilo* [2]). Et alibi: *Haec facta sunt: nec ea genuit de se ipso, ut hoc essent, quod ipse est; sed ea fecit de nihilo, ut non essent aequalia nec ei, a quo facta sunt, nec Filio ejus, per quem facta sunt* [3]). — Pantheismum convellunt: Lactantius, qui habet: *Si Deus est mundus, et partes ejus utique immortales sunt; ergo et homo Deus est, quia pars est (ut dicitis) mundi. Si homo; ergo et jumenta, et pecudes, et caetera genera bestiarum, et avium, et piscium; quoniam et illa eodem modo sentiunt, et mundi partes sunt. At hoc tolerabile est: nam et haec colunt Aegyptii. Sed res eo pervenit, ut et ranae, et culices, et formicae dii esse videantur, quia et ipsis inest sensus, et partes mundi sunt. Ita semper argumenta ex falso petita in-*

---

1) *Cont. haer. l. 2. c. 10. n. 3—4.* p. 127.
2) *De Gen. imperf. c. 1. n. 2.* Opp. T. 3. P. 1. c. 93.
3) *De Genes. cont. Manich. l. 1. c. 2. n. 4.* T. 1. c. 647. Cf. *De lib. arbitr. l. 1. c. 2. n. 5.* T. 1. c. 571.

eptos et absurdos exitus habent [1]. Porro **Origenes** [2], **Maximus** [3], **Augustinus** [4], praeter alios [5].

C. Id ipsum, Deum scilicet universum ex nihilo sua omnipotenti ac liberrima voluntate condidisse, semper quoque ac ubique **Ecclesia** tenuit ac publice professa est. Hoc sensu enim, et non alio intellexit primum articulum **Symboli Apostolorum**: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae;* et **Symboli Nicaeno-Constantinopolitani**: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Factorem* (ποιητὴν) *coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium;* quod adjectum est, ne quid a Deo non factum cogitari possit.

D. Solenniter autem definitum dogma est nostrum in pluribus Conciliis particularibus, ut in **Conc. Tolet. I.** a. 400. [6] et **Conc. Bracarensi** a. 563. [7], atque praecipue in **Conc. oecum. Lateran. IV.** a. 1215., quod in capite saepius jam citato de Deo dicit, quod sit *unum universorum principium, Creator omnium invisibilium et visibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, Angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam* [8]. Ubi addendo particulam, *de nihilo*, verbum, *condidit*, de vera et propria creatione quasi per definitionem explicavit; et conjungendo, *utramque naturam*, id magis declaravit. Est enim evidens, spiritualem creaturam nonnisi per propriam creationem potuisse produci; cum autem eodem prorsus modo, utramque naturam conditam esse, Concilium statuat, spiritualem et corporalem: hanc quoque ex nihilo productam esse, necessum est. Unde et **Catechismus Rom.** habet: *Deus enim non ex materia aliqua mundum*

---

1) *Div. inst. l. 2. c. 6.* Opp. T. 1. p. 135.
2) *De orat. n. 23.* Opp. T. 1. p. 236. A.
3) *Schol. in Dionys. de coel. Hierarch. c. 2. §. 3.* Opp. Dionysii. T. 1. p. 27.
4) *Enarr. in Ps. 85. n. 12.* Opp. T. 4. c. 909.
5) Cf. *P. 1. §. 6.* p. 89.
6) *Can 1. et 9.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 3. c. 1003 s.
7) *Can. 13.* Ib. T. 9. c. 775.
8) *Cap. 1. de fid. Cath.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 22. c. 981—2.

fabricatus est, sed ex nihilo creavit; idque nulla vi aut necessitate coactus, sed sua sponte et voluntate instituit [1]).

E. Nec non tandem idem sana ratio statuere cogitur. Nam mundus hic, ut jam ex testimonio sensus nostri intimi, porro ex mutationibus continuis, et quidem non tantum internis ac ipsâ naturâ insitis, sed et externis ac arbitrariis, quibus res mundum constituentes subjiciuntur, nec non ex harum finibus ac limitibus necessario colligitur, est contingens, qui etiam posset non exsistere, seu haud necessarius. Quod si vero mundus contingens est: temporalis quoque, qui aliquando non fuit, sit necesse est [2]); nam mundus aeternus, qui ab alio ente haud repeteret suas origines, per se exsistere, adeoque absolute necessarius esse deberet. Si autem porro mundus temporalis est, qui prorsus non erat aliquando: ipse solummodo omnipotenti ac liberrima voluntate entis absoluti seu Dei ex nihilo cum tempore oriri potuit, nec inter Creatorem Deum et creaturam quidquam dari potest interjectum ac medium.

Accedit, per ideam creationis solummodo, uti principiis rationis nostrae theoreticae, ita quoque libertati nostrae ac moralitati consuli. Qui enim creationem mundi per omnipotentiam voluntatis divinae negant: aut debent assumere, mundum casu fortuito esse ortum, aut mundum fatali necessitati adscribere, aut vero eum cum Deo confundere. Jam primum est insulsum, utpote rationem omnem destruens, quae necessario postulat, ut quaevis res exsistens causam seu rationem exsistentiae suae habeat, atque facit, ut sine hac prorsus cogitari nequeat; insuper ordinem in mundo ubique conspicuum inexplicatum sinit; atque legem moralitatis omni auctoritate, qua tamen carere non potest, exuit. Secundum mundum contingentem necessarium esse statuit, quod sibi repugnat. Paeterea, ut a casu fortuito nullus exspectari potest ordo, ita quoque a fato nulla potest repeti libertas, a materia nulla spiritualitas. Quod ad tertium tandem attinet, quo mundus ejusdem naturae ac substantiae cum Deo esse asseritur, sive caeterum hujus explicatio aut evolutio, ut ajunt, sive emanatio sit: mundus tam parum Deus esse potest, quam per omnia finitum, imper-

---

1) Ed. Vienn. 1830. p. 22.

2) Cf. Prov. 8, 22 ss. Ps. 101, 26.

fectum ac contingens simul esse infinitum, absolute perfectum ac necessarium. Insuper etiam systema hoc omnem libertatem moralem, et ideo omnem religionem evertit, atque Deum, prout actionum bonarum, ita etiam omnium scelerum, turbarum ac seditionum auctorem facit.

Asserere autem velle, mundum per aliud ens, quam Deum ipsum, creatum esse, idem est ac infinitam sapientiam ac potentiam, quae manifeste ad actum creationis requiritur, enti finito ac contingenti vindicare, quum tamen utraque nonnisi enti infinito ac independenti competere possit.

Caeterum nos actum creationis haud comprehendere, qui universim actui infinito percipiendo haud sumus pares, ultro fatemur; attamen id perspicimus, creationem in se nequaquam impossibilem esse, quod hic scire manifeste sufficit; quum ab omnipotentia divina omne, quodcumque impossibile non est, effici queat.

Observ. Contra doctrinam Catholicam de mundi creatione objiciunt:

1. Ab omnibus hominibus admissum esse axioma illud, ex nihilo fieri nihil. — Attamen axioma hoc, vel potius adagium sensu suo genuino acceptum, quatenus enuntiat, nihil fieri posse absque efficiente causa jam exsistente, dogmati nostro de mundo ex nihilo creato non obstat, quum eo, mundum non ex nulla causa, sed ex voluntate divina processisse, statuatur. Alio sensu autem sumtum, ac si scilicet etiam a Deo nil, nisi ex materia subjacente procreari posset, aperte falsum est, et etiam sensui communi minime probatum.

2. Distantiam inter rerum exsistentiam et nihilum esse infinitam, haud superandam. — Ast distantia inter nihilum et rerum exsistentiam, seu inter τὸ non-exsistere et τὸ exsistere quidem, ut ajunt, negative infinita est, quatenus scilicet, tamquam a termino negativo progrediens, mensurari non potest, non autem positive infinita, et ideo a potentia infinita quoque superari potest. Ratio itaque illa nimium probat. Et sane si illa sententia vera esset: etiam rebus creatis novas formas, ipsis haud proprias, induere haud possemus.

3. Voluntatem divinam esse efficacissimam; et hinc mundum, quum Deus tamquam absolute immutabilis inde ab aeterno mundum creare voluit, etiam ab aeterno exsistere debuisse. — Attamen vo-

luit sine dubio Deus ab aeterno, ut mundus fieret, sed non ab aeterno, quod repugnat, verum quando ipse disposuit [1]).

4. Incredibile esse, Deum mansisse otiosum per infinita temporis, quae ante creationem fluxere, spatia. — Ast quum Deus inde ab aeterno creare voluit, vel adcuratius loquendo, creavit: eo ipso otiosus non fuit. Insuper de tempore ante mundum conditum, quicum primum tempus factum est, dicere, fas non est [2]). Caeterum si lubet Deum eatenus otiosum dicere, quatenus nulla res ab ipso ante mundum conditum facta sit: otium hoc nil habet absurdi; quoniam Deus sibi sufficientissimus rebus creatis nullatenus indiget, et mundum, quem libere creavit, etiam nusquam creare potuisset. Enimvero illo ratiocinio semel admisso, mundus necessario deberet esse aeternus, et hinc aut per se exsistens, aut vero ab aeterno creatus. Quocumque enim tempore creatus assumatur: semper infinita illa, ut ajunt, temporis spatia fluxissent, quibus Omnipotens fuisset otiosus. Mundus autem per se haud exsistit, quum sit manifeste finitus ac contingens; aeterna autem creatio sibi ipsi repugnat. Perbelle in rem nostram canit Gregorius Naz.:

Quod si posterius te condidit ille, quid ante,
Quam fieres, variasque tibi Deus undique formas
Inderet, imperitans tam multa in saecla patrabat?
Imperfectum etenim non est mihi Numen, inersque.
Scilicet ille suae splendorem cernere formae
Gaudebat, Numenque suum triplici parique
Luce nitens, soli ut notum est ipsique, piisque.
Hoc quoque praeterea, quo se exerceret, habebat
Sancta Trias: mundi formas namque ipsa futuri,
Jam sibi praesentis, lustrabat mente beata.
Cuncta etenim, quae jam vel praeteriere, vel adsunt,
Quaeque etiam exstabunt, Triadi sunt promta, patentque.
Haec enim tempus mihi sic distinxit, ut illud
Ante sit, hoc retro; Deus autem prorsus in unum
Cuncta tenet, sinibusque suis collecta coërcet.
Quocirca quidquid vel mens mea reperit unquam,
Aut etiam audivit, mens parturiebat id omne
Numinis aetherei, post autem foetus in ortum

1) Cf. S. Thom. *Cont. Gent. l. 2. c. 31 ss.* Opp. T. 18. p. 114 ss.

2) Cf. Clem. Alex. *Strom. l. 6. n. 16.* Opp. T. 2. p. 813. — Ambros. *Hexaëm. l. 1. c. 6. n. 1.* Opp. T. 1. c. 10. — Augustin. *De civ. D. l. 11. c. 5—6.* Opp. T. 7. c. 276.

Tempore maturo erupit, cum cuncta retexit
Unigenus Sermo, claraque in luce locavit [1]).

5. Tandem ipsam S. Scripturam aeternitatem materiae adstruere; quum in libro Sapientiae legatur: *Omnipotens manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisa, ἐξ ἀμόρφου ὕλης, immittere illis multitudinem ursorum, etc.* [2]). — Verumtamen S. Scriptor, loquens de punitis multiplici flagello idololatris Aegyptiis, verbis illis solummodo dicere vult, non impossibile id Deo fuisse, qui per omnipotentiam suam e materia indigesta, quam e nihilo procreaverat, mundum finxerit, et animalia in terra constituerit; minime autem materiae creationem negat [3]).

§. 6. Mundus a Deo ex liberrimo consilio aeterno juxta sapientissimam ipsius ideam pariter aeternam creatus.

Si mundus a Deo, ut mox demonstravimus, creatus, i. e. e nihilo solo voluntatis omnipotentis actu productus est: necessario inde consequitur, illum ex liberrimo consilio Dei atque secundum perfectissimam ejus cognitionem, seu secundum ideam, quam inde ab aeterno conceptam de mundo Deus tenuit, in tempore seu cum tempore factum esse; ita ut haecce sententia nonnisi praecedentis dogmatis uberior sit expositio ac perfecta ejusdem explicatio.

Non Deus mundum creavit, quoniam hic, aut in se spectatus, aut vero relate ad Deum consideratus, est necessarius, sed quoniam ipse voluit, ita ut voluntas divina liberrima vera ac propria mundi sit causa. Hoc docet

A. S. Scriptura, quae ubique definitis verbis tradit, Deum omnia, quaecumque voluerit, fecisse, et secundum consilium voluntatis suae operari. Sic Psalmista: *Omnia*, ait, *quaecumque voluit, Dominus fecit in coelo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis* [4]). Et: *Deus autem noster in coelo: omnia, quaecumque voluit, fecit* [5]). Paulus: *In quo*

---

[1]) *Arcan. Carm. 4. v. 19—29.* Opp. T. 2. c. 142 s.
[2]) Sap. 11. 18 ss.
[3]) Cf. Augustin. *De Gen. cont. Manich. l. 1. c. 5. n. 9.* Opp. T. 1. c. 649.
[4]) Ps. 134, 6.
[5]) Ps. 113, 3.

(Christo) etiam, et nos sorte vocati sumus praedestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae[1]). Et Joannes: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam, διὰ τὸ θέλημά σου, erant, et creata sunt*[2]).

B. Ea est quoque doctrina unanimis a SS. Patribus tradita. Sic Athenagoras ait: *Mundus autem non ideo factus, quod eo indigeret Deus. Omnia enim ipse sibi Deus est, lumen inaccessum, mundus perfectus, spiritus, potentia, ratio*[3]). — Irenaeus: *Neque ab aliquo motus, sed sua sententia et libertate fecit omnia*[4]). — Augustinus: *In eo vero, quod dicitur: Vidit Deus, quia bonum est; satis significatur, Deum nulla necessitate, nulla suae cujusque utilitatis indigentia, sed sola bonitate fecisse, quod factum est, id est, quia bonum est*[5]).

C. Id ipsum porro semper professa est Ecclesia, atque sententiam, ut statim dicetur, de aeternitate mundi, quae hujus necessitatem necessario sequitur, tamquam haereticam condemnavit, sed et per Eugenium IV. in *Decreto pro Jacobinis, approbante Concilio Florentino,* definivit: *Firmissime credit, profitetur et praedicat (Romana Ecclesia), unum verum Deum, — esse omnium — Creatorem, qui, quando voluit, bonitate sua universas tam spirituales quam corporales condidit naturas*[6]). — Conc. vero Constantiense hanc propositionem Wicleffi damnavit: *Omnia de necessitate absoluta eveniunt.* Atque Catechismus Rom. disertis verbis pronuntiat: *Deus non ex materia aliqua mundum fabricatus est, sed ex nihilo creavit; idque nulla vi aut necessitate coactus, sed sua sponte, et voluntate instituit*[7]).

D. Tandem si Deus necessitate aliqua adactus mundum procreavisset: id aut propterea tantum factum esset, quoniam

[1]) Ephes. 1, 11.
[2]) Apoc. 4, 11. Cf. Jer. 18, 6.
[3]) *Legat. pro. Christ. n. 16.* Opp. Justin. p. 310.
[4]) *L. 2. c. 1. n. 1.* p. 116. Cf. *l. 3. c. 8. n. 3.* p. 183.
[5]) *De civ. D. l. 11. c. 24.* Opp. T. 17. c. 291. Cf. *De Gen. ad litt. l. 6. c. 15. n. 26.* T. 3. P. 1. c. 207.
[6]) Hard. *Act. Conc.* T. 9. c. 1023.
[7]) Ed. Ven. 1833. p. 22.

mundus pro sua natura, seu, ut loqui amant, pro sua notione (in Folge der Idee) erat necessarius, aut vero quia Deus prorsus mundo indigebat. Attamen mundus neque in se est necessarius, utpote contingens, neque ejus Deus indigus, quum sit pro sua perfectione infinita sibi sufficientissimus. Deus, qui per rerum naturam primum explicari aut evolvi, et in homine primum ad divinitatis conscientiam evehi debet, Deus non est. Quapropter et mundus neque ad essentiam Dei pertinet, neque ejus totum, neque ejus pars esse potest.

Quoniam autem ex liberrimo consilio, etiam haudquaquam imprudens, sed secundum sapientissimam cognitionem mundum creavit Deus. Quia res creandas bonas esse inde ab aeterno cognovit, illas etiam inde ab aeterno creare decrevit; et quia easdem creare decrevit, futuras quoque esse praescivit[1]). Deum secundum sapientissimam suam cognitionem mundum condidisse, tradunt item

A. SS. Litterae. *Qui fecit*, canit de Deo Psalmista, *coelos in intellectu*[2]). Et Propheta: *Qui facit terram in fortitudine sua, praeparat in sapientia sua, et prudentia sua extendit coelos*[3]). Atque auctor Proverbiorum ait: *Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit coelos prudentia*[4]). Et iterum: *Dominus possedit* (Sapientia loquens inducitur) *me in initio viarum suarum* (operum suorum), *antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terrae. Quando praeparabat coelos, aderam: quando certa lege, et gyro vallabat abyssos: quando aethera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens: et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore*[5]).

---

1) Eccli. 39, 25. 23, 29. Dan. 13, 42. Act. 15, 18.
2) Ps. 135, 5.
3) Jer. 10, 12.
4) Prov. 3, 19.
5) Prov. 8, 22—30.

B. Ea quoque semper fuit doctrina ac fides Ecclesiae, quae uti ab omni necessitate, ita et ab omni imprudentia (Gedanken- und Bewußtlosigkeit) ac coecitate in agendo ad extra in Deo assumenda abhorret. *Haec igitur*, ait Augustinus, *antequam fierent, utique non erant. Quomodo ergo Deo nota erant, quae non erant? Et rursus, quomodo ea faceret, quae sibi nota non erant? non enim quidquam fecit ignorans. Nota ergo fecit, non facta cognovit. Proinde antequam fierent, et erant, et non erant. Erant in Dei scientia, non erant in sua natura*[1]). Et Catechismus Rom. iterum habet: *Quemadmodum autem sua bonitate adductus, quaecumque voluit, fecit: ita non exemptum aliquod, aut formam, quae extra se posita esset, cum universa conderet, secutus est; verum quia omnium exemplar divina intelligentia contineretur, id summus artifex in se ipso intuens, ac velut imitatus, summa sapientia, et infinita virtute, quae ipsius propria est, rerum universitatem initio procreavit*[2]).

C. Denique id ipsum sana quoque ratio praecipit. Etenim quum Deus, ut demonstravimus, non coactus, sed sponte sua ac liberrime mundum creavit: ad sapientissimam suam cognitionem consilium creandi mundum ceperit, et ideo mundum ad ideas suas condiderit necesse est; secus enim assumi deberet, Deum coece, sine conscientia, ratione ac fine, et tamen libere ad extra agere, quod in se jam est impossibile, et cum infinita Dei perfectione, nec non cum ordine in mundo ubique conspicuo absolute conciliari non potest. Quod si enim mundus sine ratione esset conditus: necessario etiam sine ratione ac fine, sine lege ac harmonia exsisteret.

Idea divina definitur, quid mundus sit; consilio vero divino, ut revera sit. Et hinc, ut mundus exsistat, Deus et necessario eum cogitare et velle debet, atque creatio, qua nonnisi ejus cognitio perfectissima atque sapientissimum consilium perficitur, actus et scientiae vivae et voluntatis liberrimae ac efficacissimae est.

Ideae porro rerum, non autem, quas Plato statuebat extra Deum subsistentes, sed quae inde ab aeterno in infinito Dei in-

[1]) *De Gen. ad litt. l. 5. c. 18. n. 36.* Opp. T. 3. P. 1. c. 193. Cf. Anselm. *Monol. c. 9 (8).* Opp. p. 7. — Thom. *1. q. 15. art. 1.* Opp. T. 20. p. 101 s.
[2]) Ed. Vien. 1833. p. 22.

tellectu exsistunt snnt *πρωτότυπον* et *παράδειγμα*, seu exemplar mundi (*κόσμος νοητὸς*), quin imo, quoniam iisdem res, earumque proprietates determinantur, vera ac propria ratio rerum, earumque lex, quae nonnisi illius phaenomenon externum sunt. Propterea autem minime idea mundi idea ipsius Dei est, et quidem tam parum, quam parum Deus mundus ipse esse potest. Unde si Deus idea mundi dicitur, id solummodo significat, Deum in se ideam mundi habere, in qua quidem aeterna ipse mundum tamen tamquam non aeternum intuetur, minime autem revera ipsam mundi ideam exsistere. Porro mundus quidem ad similitudinem Dei creatus est, quatenus attributa divina perfectissima in eo resplendent, et manifeste conspiciuntur; cum Deus nonnisi perfectioni suae infinitae convenienter ad extra agere queat. Ast hoc non obstante mundus a Deo suâ essentiâ differt, atque ei oppositus, non-Deus est, ita ut Deus nequaquam vere ac proprie mundi *πρωτότυπον*, sed nonnisi improprie dici possit, quatenus scilicet suam bonitatem cum illo, utpote finito, finite communicavit.

Tandem quum idea mundi ad cognitionem Dei infinitam pertineat, atque cognitio divina, pro infinita sua perfectione subsistens, Dei Filius seu *Λόγος* sit: recte Filius tamquam verus bajulus ideae mundi cogitatur, atque jure statuitur in ipso mundum praeexstitisse, et per ipsum in Spiritu S., tamquam *βούλησι* divina, pariter per se exsistente, Patri et Filio communi, conditum esse. *Quia in ipso Verbo*, ait Augustinus, *omnia opera Dei. Quidquid enim facturus erat Deus in creatura, jam in Verbo erat; nec esset in rebus, nisi esset in Verbo: quomodo et in te non esset fabrica, nisi esset in consilio* [1]). Hinc etiam Sapientia divina seu *Λόγος*, quatenus scilicet rerum creandarum causa exemplaris et dirigens est, *omnium artifex* adpellatur [2]).

---

[1]) *Enarr. in Ps. 44. n. 5.* Opp. T. 4. c. 384. Cf. Clem. Alex. *Cohort. ad gent. n. 1.* Opp. T. 1. p. 6.

[2]) Sap. 7, 21. Cf. Joan. 1, 3. 10. Col. 1, 16. Hebr. 1, 2. — Justin. *Cohort. ad Graec. n. 15.* Opp. p. 19. — Tatian. *Or. cont. Graec. n. 5.* Ib. p. 262. — Iren. *Cont. haer. l. 5. c. 18. n.* 2—3. p. 315. *l. 5. c. 12. n. 6.* p. 307. *l. 5. c. 24. n. 4.* p. 322. — Origen. *In Joan. t. 1. n.* 22. Opp. T. 4. p. 20. — Athanas. *Or. cont. gent. n. 4.* Opp. T. 1. p. 39 s. *Expos. fid. n.* 2. p. 100. E. — Epiphan. *Ancorat. n. 28.* Opp. T. 2. p. 33. — Theodoret. *In Col. 1, 15. 16.* Opp. T. 3. p. 347. Etc.

Quoniam tamen idea mundi, uti omnis cognitio divina, a Patre originem habet, et quia uti Pater principium est reliquarum personarum divinarum, ita quoque creatio initium ac fundamentum quodammodo reliquorum operum divinorum: creatio, licet etiam Filio, nec non Spiritui S. adscribatur, tamen per appropriationem, ut ajunt, Patri attribuitur.

Quodsi vero porro Deus mundum ex liberrimo consilio juxta sapientissimam suam cognitionem condidit: eum in tempore seu verius cum tempore condidisse necessum est. Etenim quod haud necessario, et quidem neque interna neque externa necessitate, sed nonnisi liberrima voluntate divina exsistit, aeternum esse nequit. Quod adeo evidens est, ut probatione prorsus non indigeat. Quapropter hic adnotasse sufficiat, sententiam contrariam ad propositiones ab Ecclesia damnatas pertinere. Nam Joannes XXII. hasce propositiones Ekkardi haereseos stigmate notavit: *Quam cito Deus fuit, tam cito mundum creavit*[1]).— *Concedi posse, quod mundus ab aeterno fuerit*[2]). — *Quod simul et semel, quando Deus fuit, quando filium sibi coaeternum per omnia coaequalem Deum genuit, etiam mundum creavit*[3]). Atque Conc. Lateran. IV. declarat: *Deum sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse naturam*[4]). Accedit, sententiam Origenis de mundi aeternitate ab omnibus Patribus jam fuisse impugnatam et ab Ecclesia antiqua rejectam[5]). Deum non omnia fecisse, quae possibilia sunt, prout Pantheistae contendunt, quorum dogma fundamentale est, nihil esse possibile, nisi quod actu exsistat, jam supra ostensum est[6]). Sententia opposita Abaelardi, ut ibidem jam monstravimus, in Conc. Senonensi a. 1180. ab Innocentio II. approbato atque Wicleffi in Conc. Constantiensi rejecta est. Illud enim hanc Abaelardi propositionem damnavit: *Quod ea solummodo possit Deus facere vel demittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore, quo facit, et non alio*[7]). Et hoc istam Wi-

1) *Prop. 1.* Hartzheim, *Conc. Germ.* T. 4. c. 631.

2) *Prop.* 2. Ib.

3) *Prop.* 3. Ib.

4) L. c.

5) Cf. Huet. *Origen. l. 2. q. 12. n. 4—6.* Opp. Origen. T. 4. P. 2. p. 235 *ss.*

6) *P. 1. §. 20.* p. 189 ss.

7) Denzinger, *Enchirid. Symb. et defin.* Wirceb. 1854. p. 104.

cleffi sententiam: ***Deus nihil potest annihilare, nec mundum majorare vel minorare***[1]).

Errori huic damnato proxima est opinio eorum, qui statuunt, Deum non alia facere posse, quam facit, non quidem quod agat necessitate naturae coactus, sed quod agat necessitate sapientiae et justitiae suae, quae non patitur, res vel alias vel alio ordine fieri, quam revera factas videmus; quae pari modo a sana ratione rejici debet. Nam haec quidem intelligit, Deum, si agit, necessario sapienter et juste agere; attamen simul perspicit, per certum aliquem, quem Deus sequitur, agendi modum ac ordinem non omnes agendi modos ac ordines sapientes ac justos exhauriri, atque illo divinam sapientiam ac justitiam tam parum finiri, quam rebus revera exsistentibus omnipotentiam; quum infinita dari possint, quae si Deus agere vellet, juste et sapienter ageret[2]).

Observ. Ex dictis sponte colligitur, a doctrina Catholica prorsus dissonam esse doctrinam scholae Güntherianae, quae statuit, Deum non potuisse non creare[3]); porro atque inter creationem mundi et processiones divinas non dari aliud *prius* ac *posterius*, quam inter has ipsas[4]), et hinc mundum sempiternum esse[5]); atque Deum nihil aliud condere potuisse, quam quod revera condidit, et propterea mundum hunc optimum esse, non quia inter mundos possibiles est perfectissimus, sed quia unicus possibilis[6]).

§. 7. Modus creationis.

Ad doctrinam certo revelatam dumtaxat pertinet, quod hucusque exposuimus, videlicet mundum a Deo uno ex nihilo, liberrimo consilio secundum sapientissimam suam cognitionem, in seu cum tempore esse productum; quae autem ulteriora sunt,

---

[1]) Mansi, *Coll. Conc.* T. 27. c. 751. P. 28. c. 121. Cf. Ambros. *In Ps. 118. n. 37.* Opp. T. 1. c. 1231 s. *In Luc. l. 2. n. 75.* Ib. c. 1305. — Hieron. *In Matth. c. 3.* Opp. T. 7. c. 18.

[2]) Cf. Thom. *1. q. 25. art. 5.* Opp. 5. 20. p. 162 s.

[3]) A. Günther, Euristh. u. Herakl. W. 1843. p. 517. Cf. Thomas a Scrup. W. 1835. p. 220 s. Vorschul. W. 1846—48. 2. B. p. 78. 1. B. p. 112. Süd- und Nordlicht. W. 1832. p. 215.

[4]) Eur. u. Herakl. p. 513 s.

[5]) Vorsch. 2. B. p. 139. Cf. Eur. u. Harakl. p. 514.

[6]) Peregrins Gastmahl. p. 154. Cf. Knoodt, Günther und Clemens. W. 1853. 1. B. p. 157 ss.

quomodo scilicet haec creatio facta sit, num nempe uno temporis instanti, an vero per temporis aliquod spatium, et quod, dogmatice non constat.

Quod auctore Moyse desuper comperimus, huc redit:

1. *In principio,* i. e. in primis, ante omnia, quum nihil esset praeter Deum, *creavit,* i. e. ex nihilo produxit, *Deus coelum et terram,* h. e. primordialem illam operis totius molem, elementa seu semina omnium ac singularum rerum divina potestate efficiendarum continentem, quae a Moyse תֹהוּ וָבֹהוּ, juxta Septuaginta *ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, invisibilis et incomposita* seu *informis,* juxta Vulgatam *inanis et vacua,* juxta Symmachum *ἀργὸν καὶ ἀδιακρίτον, rudis et indiscreta,* atque etiam *abyssus et aqua* adpellatur [1]).

2. Indigestae illi moli nova creatione Deus formam addidit [2]), atque ut tellurem nostram formaret, et omnem ejus ornatum absolveret, usus est spatio sex dierum. Praemissa enim universi creatione, Moyses solam terrae ulteriorem fictionem describendam sibi assumit, ac de coelo nonnisi obiter loquitur, quatenus nimirum systema coeleste cum systemate telluris connexum est.

a. Primo die dedit Deus luci originem, i. e. voluit, ut materia seu aether, aut potius vis lucis ac caloris, utrumque enim vox אוֹר significat, et forsan etiam reliquae vires pondere destitutae fierent, utpote quae causae principales (Grundbedingungen) omnium rerum terrestrium sunt.

b. Secundo die originem dedit aëri, seu expanso illi, quod terram ambit, atque superioribus aquis, seu nubibus, ulterioribus causis rerum tam organicarum quam non organicarum; i. e. voluit, ut aër, qui massae indigestae commixtus sive ligatus inerat, evolveretur atque vapores modo exorientes reciperet.

c. Tertio die distinxit Deus aquas reliquas ab arida, et

---

[1]) Cf. S. Basil. *Hom. 1. in hexaëm. n. 7.* Opp. T. 1. p. 8. — Justin. *Apol. 1. n. 10. 59.* Opp. p. 49. 80. — Iren. *Cont. haer. l. 2. c. 10. n. 4.* p. 127. — Augustin. *De Gen. cont. Manich. l. 1. c. 5—7. n. 8—12.* Opp. T. 1. c. 648 ss. *Conf. l. 12. c. 3—6.* T. 1. c. 210 s. — Gregor. M. *Moral. l. 32. c. 12. n. 16.* Opp. T. 1. c. 1055. — Hugo a S. Vict. *De Sacr. l. 1. c. 2. 4.* Opp. ed. Rothom. 1648. T. 3. p. 488. 489.

[2]) Cf. August. *Conf. l. 12. c. 8.* c. 211 s. — Gregor. M. *Moral.* l. c. — Isidor. *De differ. spir. n. 9.* Opp. p. 186.

in mare collegit; terramque jussit producere herbas et arbores omnis generis, postquam, aqua excreta, fossilia, ut saltem conjicere licet, quoque oriri fecerat.

d. Quarto die constituit solem et lunam una cum sideribus reliquis, i. e. in terra nebulis sparsis, plene comparere fecit, vel, ut alii putant, astris vim aetherem lucis, ut luceat, concitandi indidit, aut, ut alii iterum autumant, materiam lucis ad sidera religavit.

e. Quinto die procreavit pisces et volucres cum reliquis animantibus in aëre et in aquis; atque

f. sexto die animalia terrestria ac inprimis hominem, maximum operis divini decus, rerumque omnium in orbe terrarum dominum.

3. *Die septimo requierit Deus ab universo opere, quod patraverat*, i. e. destitit deinceps a novis rerum finitarum speciebus producendis, non autem a provida earumdem cura, conservatione et gubernatione [1]; *et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum*, h. e. constituit, ut homo quoque a labore conquiesceret, diemque hunc studio Dei potentiam, sapientiam ac bonitatem summam admirandi, beneficiorum ejus recordandi, eum semper magis, magisque cognoscendi atque diligendi impenderet, seu quieti animae in Deo dicaret [2]. Quemadmodum enim a Deo res ortum suum, ita in ipso finem quoque ac terminum ultimum, ad quem tendant, habent.

Haec jam Moysis narratio a diversis diversimode exponitur. Alii enim illam sensu prorsus litterali accipiendam esse censent, ita ut de diebus naturalibus cogitent. Alii eamdem pariter sensu litterali quidem sumunt, attamen sub diebus spatia longiora, indefinita, intelligenda esse praecipiunt. Alii iterum litterali sensui quidem inhaerentes, opus sex dierum tamen, prout a Moyse refertur, non de primordiali molis indigestae formatione, sed de mundi collapsi in praesentem formam restitutione interpretantur, idque per verba, *terra autem erat inanis*

---

1) Cf. Clem. Alex. *Strom. l. 6. n. 16.* Opp. T. 2. p. 813. — Theodoret. *Quaest. in Gen. Interr. 24.* Opp. T. 1. p. 23 s. — Chrysostom. *Hom. 10. in Gen. n. 7.* Opp. T. 4. p. 79 s. — Augustin. *Cont. Adimant. Manich. c. 2. n. 1.* Opp. T. 8. c. 112. — Thom. *1. q. 73. a. 1. ad* 3. Opp. T. 20. p. 395.

2) Cf. Augustin. *De civ. D. l. 11. c. 8.* T. 7. c. 277 s.

et vacua, quod idem sit ac, *facta est inanis et vacua,* indicari autumant [1]). Alii narrationem nostram allegorice explicant, tradentes, omnia momento temporis creata esse, et sex dies nonnisi diversos ordines rerum creatarum significare, ut Clemens Alex. [2]), Origenes [3]), nec non Augustinus [4]). Juxta mentem hujusce S. Patris mundus primo instanti, unoque verbo creatus fuit, integro suo ornatu perfectus et pulcher; verum illum nonnisi per partes secundum sex diversa rerum creatarum genera cognoverunt Angeli, et quidem quamvis partem primo in essentia divina, et dein in rerum natura intuentes, quapropter et cognitionem priorem, utpote multo clariorem ac lucidiorem, matutinam, posteriorem vero vespertinam dici. In libris tamen serius exaratis in eam descendit sententiam, quae sex dies creationis divinae defendit dies esse veros [5]). Alii tandem creationis narrationem Moysis mythum esse contendunt, cui nonnisi veritas, Deum auctorem esse universi, subjecta sit, reliqua omnia ornatus ac vestitus causa esse excogitata.

Quod jam ad has varias opiniones attinet: ante omnia tamquam certum ac exploratum statuendum est, mythicam expositionem narrationis Mosaicae prorsus rejiciendam esse. Etenim

1. Moyses Israëlitis, ut a nemine negatur aut ignoratur, historiam generis sui et Legem a Deo datam conscribere, atque sic populares suos in cultu veri Dei confirmare voluit. Cui fini aperte mythus in capite operis positus haudquaquam convenit, idque eo minus, quum narratis fides in unum Deum verum, lex sabbati, atque tota constitutio rei Mosaicae superstruatur. Legislatorem enim ac historiographum manifeste figmenta condere haud decet. Quemadmodum itaque in sequentibus veram historiam refert, ita quoque hic in nostro loco vera narrat, quibus populum de initiis mundi certiorem reddat, a cultu astrorum, animalium ac plantarum, utpote propter hominem condi-

---

1) Cf. Meyer, Inbegriff der chr. Glaubenslehre, Kempt. 1832.
2) *Strom. l. 6. c. 16.* Opp. T. 2. p. 813 ss.
3) *De princ. l. 4. n. 16.* T. 1. p. 174. s.
4) *De Gen. ad litt. l. 5. c. 5. n. 12—16.* Opp. T. 3. P. 1. c. 185 ss.
5) *De catech. rud. c. 17. n. 28.* T. 6. c. 282.

tarum, deterreat, atque legem sabbati exemplo Dei quasi confirmet [1]).

2. Assumto mytho in primis Geneseos capitibus, omnia incerta et vacillantia redduntur; quum eodem prorsus stylo, eademque oratione narratio in his et sequentibus capitibus decurrat, atque haecce nonnisi ulteriorem explicationem ibi memoriae proditarum rerum contineant. Principium enim illud, ea esse rejicienda, quae facile haud perspicimus, i. e. quae nobis non arrident, ne in historia profana quidem, et eo minus in historia sacra admitti potest; nam tali principio adoptato nihil certum ac firmum stare poterit, sed omnia necessario concutientur ac subvertentur, prout id exempla eorum ostendunt, qui in interpretandis SS. Litteris vanis ingenii sui suggestionibus potius indulgere, quam litterae inhaerere maluerunt.

3. Si historia creationis, prout a Moyse narratur, non revelationi divinae in acceptis est referenda, sed Moysi aut alii auctori ante ipsum viventi: viri hi in perspicacissimos philosophos convertuntur, quales nec cultissima Graecorum ac Romanorum aetas tulit, et in illa prima generis humani aetate exspectari aut assumi nullo modo possunt. Sane enim, si philosophorum aut poëtarum qualiumcumque etiam in hacce re placita cum narratione Mosaica conferantur: sole clarius patet, ne a longe quidem hancce exaequare.

4. In aliis libris tam A. quam N. T., in omnibus locis, ubi de mundi exordiis sermo habetur, formatio terrae eodem modo prorsus enarratur, ubique verâ historiâ in prioribus Geneseos capitibus suppositâ aut assertâ, et ne unicus quidem est locus, ubi discussa mythi umbra, nude et simpliciter id, quod res sit, edisseratur [2]).

5. SS. Patres narrationem Mosaicam de creatione secundum litteram intellexerunt consensione magna; atque etsi pauciores quidam illam allegorice interpretati sunt, mythice tamen nemo [3]).

6. Quamvis Ecclesia definitionem de sensu historiae creationis, prout a Moyse narratur, non tulerit: mythicam tamen interpretationem prorsus a mente ejus abhorrere, tam certum est, quam illam SS. Libros integros cum omnibus suis partibus

---

[1]) Cf. Gen. 2, 3. Exod. 20, 9—11. 31, 15—17.

[2]) Cf. Exod. 20, 9—11. Deut. 5, 12—15. Ps. 32, 6 ss. 103, 19 ss. 135, 5 ss. Marc. 10, 5—6. Act. 17, 24 ss. 1. Cor. 11, 8. 2. Cor. 4, 6.

[3]) Cf. Petav. *De oper. sex dier. l. 1. De theol. dogm.* T. 3. p. 117 ss.

pro inspiratis ac canonicis suscipere [1]; quum mythi cum inspiratione divina nullo modo conciliari possint.

7. Sententiam nostram quoque confirmant vetustissimarum gentium testimonia, quae omnia cum Moysis narratione mire consentiunt, quum omnes populi memoriam creationis intra septem dies aut longiora spatia servant, atque per hebdomadas digesta tempora habent.

8. Accedit testimonium plurium, eorumque doctissimorum geologorum, ut Hermenegildi Pini [2], Hensleri [3], De Luc [4], André [5], Buckland [6], Daubuisson, Humboldt, Steffens, aliorumque, qui docent, Mosaicam cosmogoniam apprime convenire cum suis observationibus, et speciatim, ut tradunt Brochi [7], Demerson [8] et Boubée [9], seriem operum singulorum dierum recte esse illam, quae per naturam rerum creatarum desideretur.

Caeterum non negamus, multa in narratione Mosaica occurrere modo infantili, utpote solo primae aetati generis humani conveniente, adumbrata, atque actiones divinas, quae memoriae produntur, esse symbolicas, quibus Deus auctori illius narrationis vel protoparenti per visionem creationem rerum, harumque indolem patefacere voluit. Huc pertinent varii sermones Dei, etc.

Si vero putant, Deo successivam terrae formationem indignam esse: observandum est, in successiva rerum creatione non minus, quam simultanea omnipotentiam et sapientiam ostendi, quum et illa et haec non tam ex tempore, sed potius ex multitudine ac praestantia rerum productarum aestimetur, quin imo per successivam creationem utramque magis, quam per simultaneam ob oculos hominum poni. Quemadmodum ita-

---

1) Cf. Conc. Trid. *Sess. 4. Decr. de can. Script.*

2) Cf. *Observationes in Geneseos loca selecta.*

3) Cf. *Geological essay.* p. 35.

4) *Lettres sur l'histoire physique de la terre, adressées à M. Blumenbach.* Par. 1798.

5) *Théorie de la surface actuelle de la terre.* Par. 1806.

6) *Vindiciae geologicae.* Oxon. 1821, et *De la géologie et de la minéralogie dans leurs rapports avec la théologie naturelle.* Par 1838.

7) *Conchiologia fossile subapenina.* Mil. 1814. T. 1. p. 217.

8) *Géologie.* Par. 1829. p. 408. 461.

9) *Géologie élémentaire.* Par. 1833. p. 63.

que Deus optimus Maximus uno temporis momento mundum sine dubio creare, ita quoque sine dubio illum aliquo temporis spatio, breviori aut longiori, efficere potuit. Quod autem elegerit, dumtaxat per revelationem edoceri possumus, licet intelligamus, posteriorem modum legi, uti ajunt, continuitatis atque parsimoniae, quam per totam rerum naturam ubique observatam cernimus, magis consonum esse. — Neque locus Ecclesiastici: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul* [1], ullam difficultatem parit; nam in textu graeco est *κοινῇ*, quod est idem, ac *ad unum omnia, sine exceptione,* ita ut sensus hujus loci sit: Omnia et singula Deus creavit, nihilque exsistit, quod aliunde aut ab alio creatum sit.

Magis adridet sententia, quae narrationem Mosaicam sensu quidem historico accipit, attamen sub diebus longiora spatia indefinita intelligit, minime autem negat, Deum suam efficientiam immediatam interposuisse, ubi necessarium fuerit. Neque expositioni huic quidquam obstat. Nam *dies,* יוֹם, ut apud Graecos et Latinos, non semper diem naturalem, sed et interdum tempus lucis [2]), interdum vero indeterminatum temporis spatium significat, uti in ipso secundo Geneseos capite, ubi Moyses scribens ait: *Istae sunt generationes coeli, et terrae, — in die, quo fecit Deus coelum, et terram, et omne virgultum agri etc.* [3]); atque *dies septima,* qua Deus ob omni opere, quod patrarat, quievisse perhibetur, aperte diem naturalem significare non potest, quum adhuc perduret. Et sane si Clementi Alex. [4]), Origeni [5]), ac praesertim S. Augustino [6]) licuit, salva fide, sex dies creationis allegorice interpretari, ac totum creationis opus momento temporis expletum asserere; si absque temeritatis nota plures Theologi eamdem sententiam tueri potuerunt [7]), atque non admodum dissimilem expositionem primi Geneseos capitis Cajetanus et Melchior Canus

---

1) Eccll. 18, 1.
2) Gen. 1, 5.
3) Gen. 2, 4—5. Cf. Ps. 19, 10. 2 Petr. 3, 18.
4) *Strom. l. 6. c. 16.* Opp. T. 2. p. 813.
5) *De princ. l. 3. c. 5.* Opp. T. 1 p. 148.
6) *De gen. ad. litt. imperf.* T. 3. P. 1. c. 93 ss. *De Gen. ad litt. l. 5. c. 2—6. n. 4—19.* Ib. c. 183 ss.
7) Cf. Perrone, *Prael. theol.* Lov. 838 ss. T. 3. p. 82.

impune dederunt [1]): aperte consequitur, nil obesse, quominus expositio de sex periodis indeterminatis admittatur, si evidentes observationes nos cogant a communi interpretatione recedere, eo magis, cum jam S. Augustinus doceat, nil temere de natura dierum creationis pronuntiandum esse. *Quid dies*, enim ait, *cujusmodi sint, aut perdifficile nobis aut etiam impossibile est cogitare, quanto magis dicere* [2]).

Mundum antiquum, aut plures plane collapsos, et exinde per Dei voluntatem novum factum esse, putamus sine sufficiente ratione statui. Nam e sacro textu id erui nequit [3]), et quae ad confirmandam hanc sententiam proferuntur, uti sunt in montibus conchae marinae, cadavera animalium, herbae et arbores in saxum conversae, cujusmodi terrae regiones, in quibus inveniuntur, nunquam tulere, alii ex diluvio universali explicant [4]). Opinio tamen Origenis de infinita mundorum se excipientium a Deo creatorum serie [5]) ab Ecclesia diserte condemnata est [6]).

Observ. 1. Historiam creationis solummodo revelationi in acceptis referendam esse, quum utpote omnem hominum memoriam, imo ipsam mundi originem excedens aliunde repeti nequeat, per se patet. Num autem illa primum Moysi contigerit, an vero jam protoparentibus data, et deinde per traditionem, sive ore sive scripto postea, propagata fuerit, perinde est; quoniam, si et posterius, quod reapse verosimilius esse videtur, obtinuerit, tamen narratio illa non sine speciali auxilio divino, quo universim Moyses usus est, litteris mandata est.

Observ. 2. Quae adversus narrationem Mosaicam obmoventur, ad haec redeunt:

---

1) Cajetanus *in Comment. in c. 1. Gen. v. 5. Comm. in S. Script.* Lugd. 1639. T. 1. p. 6. — Melchior Canus ap. Suarez. *1. q. 74. a. 2. Schol. Comment. in S. Thom.* Duac. 1614. T. 2. p. 96.

2) *De civ. D. l. 11. c. 6.* Opp. T. 7. c. 276 s. Cf. *De Gen. ad litt. l. 4. c. 1.* T. 3. P. 1. c. 159 s.

3) Cf. Gen. 2, 1.

4) Cf. 2. Petr. 3, 6. Ps. 103, 6—9.

5) *De princ. l. 3. c. 5.* Opp. T. 1. p. 158 ss. Caeterum jam Clemens Alex. plures ante hunc orbem terrarum fuisse exortos, significaverat. Cf. Phot. *Bibl. C. 109.* Contra Origenis sententiam Methodius singularem librum, *De rebus creatis*, conscripsit. Ap. Phot. *Bibl. C. 235.*

6) Conc. V. CPolit. II. *Coll. 8. anath. 11.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 9. c. 383. Cf. Justin. Imper. *L. adv. Orig.* Ib. c. 487 ss.

1. Moysem terram universi cardinem habere, cujus commodis sol ac luna cum reliqua siderum multitudine inserviant, astra vero splendentia corpora esse in coelo expanso firmata. Inde etiam tantum explicari, quare ex mente Legislatoris populi Israëlitici cum corporibus coelestibus fabricandis unus tantum dies sufficiat, in formanda, instruendaque terra quinque dies consumantur. — Moyses quidem minime physicam et astronomiam docere voluit; verum etiam in mente ejus falsae phisicae et astronomiae notiones minime haeserunt. Illud credidisse Moysem, quod ab adversariis objicitur, nequaquam ex ejus verbis conjici poteat. Quodsi enim exhibet solem, lunam et sidera terrae commodis inservientia, ratio in promtu est; voluit enim nonnisi historiam ortus telluris conscribere, et ideo de coelestibus corporibus tantum eatenus loqui, quatenus ad illam referuntur. Minime autem propterea ullo modo indigitat, se sententiam tenere, aut docere velle, hunc unicum coelestium corporum finem esse, ut terrae utilitati inserviant, et multo minus asserit, ea corpora esse veluti in coeli fornice affixa.

2. Juxta chronologiam Mosaicam sex circiter annorum millia a primi hominis creatione effluxisse; quum tamen ex Aegyptiorum, Chaldaeorum, Indorum atque Sinensium annalibus et historicis monumentis constet, longe antiquius genus humanum esse epochâ illâ a Moyse constituta. — Ast haec frustra asseruntur. Nam objecta Babylonensia et Aegyptiaca chronica tamquam omni fide historica destituta ab omnibus viris antiquitatis peritis rejiciuntur. Varro, qui inter Romanos archaeologus scientissimus habebatur, annos bis mille ante aeram Christianam Aegyptiacis rebus assignat. Et certe quum Moyses libros suos coram Aegyptiorum gente, universoque orbe scriberet: nullum poterat tunc monumentum exstare, quo falsitatis argui potuisset. Flavius Josephus in sua Archaeologia, ut probabiliora Romanis redderet Mosaica instituta, non semel imminuit facta prodigiosa; nunquam tamen aliquid immutat de Mosaica chronologia, imo eam consulto in libris contra Appionem tuetur. Celsus, inter religionis Christianae impugnatores satis eruditus, qui data opera creationis epocham Mosaicam aggreditur, post plures irritos conatus tandem vel invitus fateri debuit mundi novitatem, neque gentem ullam aut monumentum aut factum reperiri, quod epocham a Moyse definitam praetergrederetur [1]). Demum Democritus, peragratis Aegypti, Chaldaeae, Persidis, Aethiopiae ac Indorum regionibus, prout

[1]) Cf. Origen. *Cont. Cels. l. 1. n. 20.* Opp. T. 1. p. 338.

refert Diogenes Laërtius [1]), omnibus documentis sedulo excussis, in Graeciam tandem se recipiens, mundum recens ortum proclamavit, nec ullum monumentum Thebarum bello aut Trojae excidio antiquius reperiri affirmavit. — Nec magis firmum fundamentum constitui potest in Sinensium annalibus. Tres enim in epochas dispertiri possunt. Prima ex integro mythologica est; fabulis anilibus altera plane scatet; postrema aliquam historiae speciem prae se ferre videtur, quae tamen vix ad tempus vocationis Abrahami assurgit [2]). — Ad Indicas vero antiquitates quod spectat: a sodalibus Anglorum societatis Calcutii demonstratum est, eas non ascendere ultra Sinensium atque Aegyptiorum monumenta [3]). Ezour Vedae autem codicem, cui tanta antiquitas et auctoritas tribuebatur, librum esse spurium, critici nuper deprehenderunt [4]). — Praeterea scientiarum atque artium initia et progressus infantiam generis humani invicte demonstrant. Ante Hebraeorum Legislatorem nullum indigitari potest germanae qualiscumque scientiae vestigium. Cadmus enim primus perhibetur, saltem ex communiori sententia, qui litteras in Graeciam detulerit XII. aut XVI. saeculo ante aeram Christianam. Ante Thaletem et Pythagoram vix audita est philosophiae notio. Pingendi atque sculpendi artes felicioribus dumtaxat temporibus apud Graecos excelluerunt, earumque auctores fere omnes noti sunt. Jam vero si hominis creatio tot annorum myriadibus, quas fabulantur adversarii, supra epocham Mosaicam altius ascenderet: undenam factum est, ut hominum ingenium incultum prorsus tanto temporis spatio contra ipsius naturam permanserit? Accedunt observationes geologicae, juxta quas nuspiam hactenus reperta sunt ossa fossilia humana, vel si qua novissimis temporibus reperta perhibentur, rarissima sunt, et etiam nulla instrumenta metallica aut alia ab hominibus fabrefacta aut elaborata in locis et adjunctis, quae nimiam antiquitatem ostendant; ita ut inde patere videatur, non modo genus humanum epochâ Mosaica antiquius non esse, sed fortasse etiam tempore diluvii Noëtici non ita dispersum fuisse, nec ita multiplicatum, ut multi putant.

3. Chaldaei jam ab Alexandri M. aetate, teste Diodoro Siculo [5]), astronomicas observationes servabant quadringentorum septuaginta duorum annorum millium. Herodotus prae-

---

1) *L. 9. segm. 35.*

2) Cf. Gerdil. *Saggio d' istruzione teologica: De Deo creat.* Opp. ed. Rom. T. 10.

3) Cf. *Bibliot. britannique.* Genev. 1801. T. 16. p. 347 ss.

4) Cf. *Researches asiatic.* V. 14.

5) *Bibl. l.* 2. ed. Laur. Rhodoman. Hanov. 1604. p. 118.

terea refert, se accepisse a Sacerdotibus Aegyptiis, a primo ipsorum Rege Vulcano 330 Reges regnasse usque ad Moërim, qui juxta illos regnabat a. 1350. a. Ch. n., et usque ad Setum alios 341 regnasse per annos 11,340; eosdemque ei ostendisse 345 lignea simulacra, imagines prae se ferentia totidem Pontificum, qui a patre in filium alter alteri successerant; addebant, tanto illo temporis spatio bis solem ortum esse ad occidentem, bis invicem ad orientem occidisse [1]). Observationes astronomicae Indorum atque Sinensium ejusdem sunt aut majoris adhuc antiquitatis. Accedunt sodiaci cum planisphaerio non ita pridem detecti in templis Tentyrae atque Latopolis (Esne), ex quibus patet, juxta regulas processionis aequinoctiorum a duodecim ferme annorum millibus ea exsculpta esse. — Jam quod attinet ad observationes astronomicas Chaldaeorum, quae ad nos pervenerunt, La Place ostendit, eas octingentis annis non excedere aeram Christianam, neque antiquiorem esse astronomiam Aegyptiorum [2]). Et sane jam illa, quae de ortu et occasu solis ipsi narrasse traduntur, satis ostendunt, quanta fuerit veterum Aegyptiorum scientia. Indorum autem tabulas recentiores esse adhuc, ac ipso Ptolomaeo posteriores, idem Astronomus evicit [3]). Ad Sinenses autem quod attinet: longe probabilius Delambre censet, eos mutuatos esse suam doctrinam astronomicam ab Indis primo, et deinde a Muhamedanis. Accedit, omnes antiquas observationes, illis ipsis fatentibus, periisse nec nisi a. 104. ante Christum Sse- Ma- Tsien nonnulla monumenta ac praecepta collegisse ad metiendum planetarum motum, et ad ecclipses determinandas. Idem praeterea Delambre ostendit, omnes recensitos populos adhuc in infantia scientiae astronomicae versari, nec nisi elementares aliquot atque imperfectas illius notiones habuisse, vel etiam adhuc habere, quae nec scientiae nomen mereantur [4]). — Quod autem attinet ad sodiacos et planisphaerium Tentyreuse: sunt inter illos, qui definire conati sunt aetatem eorum, tot sententiae, quot capita. Planisphaerium Lutetium delatum accurate examinavit Delambre, qui decernere non dubitavit, illud Alexandro M. posterius esse, et praesertim Biot, qui ex accuratis mensuris et calculis deduxit, illud exhibere coeli formam seu statum, prout erat a septingentis ante Christum annis, addit tamen, illud post aeram Christianam constructum esse. Verum hae

---

1) *Herod. l. 2.* ed. Henr. Stephan. 1566. p. 55. et 61.

2) *Exposition du système du monde L. 5. ch. 1.* p. 291.

3) Ib. p. 294. Cf. *Delambre, Histoire de l'astronomie ancienne.* Par. 1817. *l. 1. ch. 1.* p. 11 s.

4) Cf. Delambre, l. c. p. 350 s.

disquisitiones fere inutiles sunt. Architectura enim et sculpta vel picta signa ostendunt, ad epocham non valde remotam pertinere templa Tentyrae et Latopolis. Deinde in templo Tentyrae, ubi erat planisphaerium, adest porticus, cum zodiaco adhuc superstite, quae, ut docet graeca inscriptio, consecrata fuit *Saluti Tyberii.* In minori templo Latopolis, quod jactabant aedificatum saltem a. **2700.** vel **3000.** ante Christum, adest columna sculpta et picta, et quidem eodem stylo, quo proximus zodiacus, a. **10.** Antonini, seu a. **140.** aerae Christianae. Praeterea divisio illa zodiaci, quam putabant solstitium indicare, nullam cum eo necessitudinem habet. Nam arca cadaveris juvenis cujusdem, defuncti a. **116.** aerae nostrae, prae se fert zodiacum cum eadem prorsus distributione signorum, ut zodiacus in templo Tentyrae. Quae omnia argumento sunt invictissimo, inepta prorsus esse, quae increduli non ita pridem inde contra revelationem se intorquere posse censebant [1]).

4. Tandem obmovent, multa millia annorum requiri, ut lux proximae stellae fixae ad nos perveniat, ita ut jam inde pateat, saltem sidera esse longe antiquiora, quam ex Geneseos narratione sequi videatur. — Haec objectio ad chronologiam Mosaicam, quae solam aetatem generis humani, non autem ipsius terrae aut universi exhibet, minime attinet. Insuper putamus, calculos illos de lucis stellarum propagatione institutos haud solidis niti rationibus. Etenim primo non evictum est, omnem lucem eadem celeritate, ut hic assumitur, propagari. Deinde ipsa natura lucis non constat. Nam hypothesis, qua statuitur, lucem esse materiam e corporibus lucentibus emanantem, a plurimis physicis merito est derelicta, sed et altera hypothesi, vibrationis dicta, non omnia lucis phaenomena explicari possunt, ita ut illorum sententia fors praeferenda sit, qui lucem simplicem vim habent, cujus propagandi celeritas a sola densitate corporum pellucidorum, uti aeris, pendeat. Quod si verum esset, stellae omnes eodem fere temporis momento a nobis conspicerentur, et de tot myriadibus annorum, quibus opus est juxta sententiam adversariorum, ut lux viam a stellis fixis usque ad terram absolvat, cogitandum haud esset [2]).

---

[1]) Cf. **Biot**, *Recherches sur plusieurs points de l' astronomie égyptienne,* Par. 1823. — **Perrone**, *Praelect. theol.* ed. Lov. 1838 ss. V. 3. p. 94—107.

[2]) Cf. **Steffens**, Anthropologie. Bresl. 1824. — Chr. Religionsphilosophie. Bresl. 1839. — **Schubert**, Symbolik des Traumes. Bamb. 1814. — Geschichte der Natur. Erl. 1835—37. — Die Urwelt und die Fixsterne. Dresd. 1832. — Ueber die Einheit im Bauplan der Erdfeste. Münch. 1834. — **Schrank**, Hexaëmeron, ꝛc. Augsb. 1829. — *Commentar. litter. in Gen.* Salisb. 1835. —

§. 8. Finis creationis ultimus.

Quum Deus infinite sit sapiens; sapientiae autem sit nil sine ratione ac fine agere: jure quaeritur, quanam causa motus fuerit, quidque intenderit Deus, ut mundum conderet.

Non agitur autem hic de fine proximo, quem singulis rebus creatis Deus praefixerit, quas scilicet, licet media aliarum, exceptis naturis intelligentibus, sint, simul tamen fines sibi proprios praescriptos habere cernimus; neque de omnium finium primo ac nobilissimo, cui reliqui quodammodo inserviunt ac subordinantur: sed agitur de causa ultima ac propria, qua Deus adductus mundum creaverit, seu de rerum fine omnium ultimo, et ideo etiam communi, qui omnes alios simul comprehendit ac excedit.

Non potest autem ultimus hic creationis finis, seu haec ultima rerum creatarum ratio extra Deum quaeri, quum ipse, utpote Bonum infinitum in se, nil extra se appetere queat [1]), et propterea nil aliud esse, quam ipsa summa Dei perfectio ac bonitas. Hoc enim interest inter operantem Deum et creaturam, quod omnis creatura operatur, ut bona sit, i. e. ut perfectionem acquirat aut conservet, Deus autem operatur tantum, quia bonus est, i. e. ut perfectionem suam cum rebus finitis, quoad fieri potest, communicet, et sic illam ad extra manifestet, cum ipse nullius ulterioris perfectionis aut felicitatis indigeat, nec illius assequendae capax sit.

Creavit itaque Deus mundum, quia se tamquam ens perfectissimum ad extra exhibere, quia suam bonitatem seu perfectio-

---

Schlegel, Philosophie der Geschichte. Wien, 1830. — Görres, Ueber die Grundlage, Gliederung und Zeitenfolge der Weltgeschichte. Bresl. 1830. — Ure, Neues System der Geologie. Wien. 1830. — Cuvier, *Sur les révolutions de la surface du globe.* — Schmid, Uebereinstimmung der Geologie und der Genesis in Beziehung auf die Schöpfung. In Sengler's relig. Zeitschrift. 1833. — Fuchs, Ueber die Theorie der Erde. Münch. 1837. — Pustkuchen, Die Urgeschichte der Menschheit. Lemgo. 1821. — Marc. de Serres, Die Kosmogonie des Moses im Vergleiche mit den geolog. Thatsachen. Tüb. 1841. — Wiesemann, Zusammenhang der Ergebnisse wissenschaftlicher Forschung mit der geoffenbarten Religion. Regensb. 1840. — Buckland, Geologie und Mineralogie in Beziehung zur natürlichen Theologie. Neuchat. 1838. — Waterkeyn, *La science et la foi sur l'oeuvre de création.* Liége. 1845.

nem rebus finitis impertiri voluit. Id ipsum autem recte est, quod docent

A. SS. Litterae, quae disertis verbis tradunt, Deum mundum condidisse, prout exstat, ut suae infinitae perfectioni convenienter ageret, hujusque res finitas participes efficeret, et hinc quoque omnia ejus opera ejus virtutem ac majestatem patefacere, atque homines teneri ad bonitatem divinam in ejus operibus agnoscendam, suaque agendi ratione manifestandam. *Universa,* ait auctor Proverbiorum, *propter semetipsum,* i. e. quoniam perfectus est, propter suam perfectionem, non ob aliquod externum commodum, *operatus est Dominus* [1]). — *Et omnem,* inquit nomine Jehovae Isaias, *qui invocat nomen meum, in gloriam meam,* i. e. quia bonus sum, et ut bonitas mea naturis rationalibus patefiat, *creavi eum, et formavi eum, et feci eum* [2]). — Psalmista: *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam: non sunt loquelae, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines terrae verba eorum* [3]). — Paulus: *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque* (scilicet) *ejus virtus, et divinitas* [4]). — Christus Jesus ipse: *Sic luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est;* quod vobis scilicet talem gratiam concesserit [5]). Eamdem ob causam et se omnia facturum esse, quae homines Patrem in nomine suo petierint, *ut* scilicet *glorificetur Pater in Filio,* i. e. ut et Pater et Filius tamqnam omnipotens atque benignissimus cognoscatur [6]), promitit. Et Paulus iterum: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite,* i. e. in omnibus bonitatem divinam sese prodentem agnoscite [7]).

---

1) Prov. 16, 4.
2) Is. 43, 7.
3) Ps. 18, 2—5.
4) Rom. 1, 20. Cf. Eccli. 17, 7. 38, 6. Bar. 3, 35.
5) Matth. 5, 17. Cf. Luc. 17, 18. Ezech. 28, 22. Deut. 26, 19.
6) Joan. 14, 13. Cf. 8, 49.
7) 1. Cor. 10, 31. Cf. Col. 3, 17. Ephes. 1, 16. 1. Petr. 4, 11.

B. Deum mundum ob suam bonitatem condidisse, docent quoque SS. Patres Ecclesiae. Sic Athenagoras ait: *Deus autem nec frustra hominem fecit; est enim sapiens, nullum autem sapientiae opus inutile: nec ad proprium suum usum, nulla enim re indiget; qui autem nulla re indiget, sua ei opera nihil ad proprium usum attulerint. Sed nec ob aliquam rerum a se creatarum hominem condidit. — Quamobrem si nec sine causa, nec frustra creatus est homo —, nec ad ipsius Creatoris usum, nec ad alterius cujuspiam rei ab ipso conditae; liquet Deum, si prima et latius patens consideretur ratio, propter se ipsum et elucentem in omnibus ipsius operibus bonitatem et sapientiam adductum fuisse, ut hominem facerel; si vero proprior et ipsis hominibus creatis interior ratio spectetur, propter ipsorum vitam, quae quidem non ad breve aliquod tempus succendenda, ac postea omnino exstinguenda sit* [1]. — Origenes: *Cum in principio crearet ea, quae creare voluit, id est rationales naturas, nullam aliam habuit creandi causam, nisi propter se ipsum, id est: bonitatem suam* [2]. — Joan. Damascenus: *Quoniam igitur bonus, omnique bonitate praestantior Deus, non satis habuit sua ipsius contemplatione frui; sed pro nimia sua bonitate quaedam esse voluit, quae ipsius afficerentur beneficiis, ejusque bonitatis participes forent, eamque ob causam producit conditque universa* [3]. — Tertullianus: *Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum majestatis suae* [4]. — Augustinus: *Completis omnibus inferens (Scriptura): „Et vidit Deus omnia, quae fecit, et ecce bona valde:“ nullam aliam causam faciendi mundi intelligi voluit, nisi ut bona fierent a bono Deo* [5]. Atque hinc

C. Catechismus Rom. nonnisi antiquam Ecclesiae fidem expressit, ubi ait: *Neque alia fuit causa, quae illum (Deum)*

---

1) *De resurr. mort. n. 12.* Opp. Justin. p. 345 s.

2) *De princ. l. 2. c. 9. n. 6.* Opp. T. 1. p. 99. c. 1.

3) *De fid. orth. l. 2. c. 2.* Opp. T. 1. p. 154.

4) *Apolog. c. 17.* Opp. V. 1. p. 42.

5) *De civ. D. l. 11. c. 23.* Opp. T. 7. p. 289. Cf. *c. 24.* c. 291. *Enchir. c. 9.* T. 6. p. 198. *Conf. l. 13. c. 21.* T. 1. c. 225. *Epist. 102. n. 17.* T. 2. c. 279. *Epist. 138. n. 6.* c. 412. et al. saep.

ad opus creationis impelleret, nisi ut rebus, quae ab ipso effectue essent, bonitatem suam impertiretur [1]). Tandem

D. ipsa ratio, quemadmodum intelligit, aliqua causa Deum pro sua infinita sapientia motum esse debuisse, ut potius mundum crearet, quam non crearet, ita quoque perspicit, Deum non posse ad efficaciam, nisi infinita sua perfectione ac bonitate moveri [2]). Quod si autem Deus, seu voluntas divina ad agendum dumtaxat absoluta perfectione destinatur: ipse quoque solummodo se ipsum, Bonum infinitum, atque quod sibi conveniens est, suamque imaginem, i. e. bonitatem ac perfectionem prae se fert, velle, et ideo etiam tantum eatenus ac propterea mundum, seu res extra se procreare potest, ut cum iis bonitatem suam communicet, seu in iisdem se sapientissimum, omnipotentem, benignissimum, sanctissimum, justissimum, etc. exhibeat; et rerum creatarum ideo necessario est, hanc perfectionem divinam sibi impertitam testatam facere atque divinam gloriam annuntiare.

Quoniam tamen in communicatione perfectionis charitas se manifestam facit: recte quoque statuitur, rationem, qua Deus permotus mundum creaverit, charitatem esse, seu Deum ex charitate mundum condidisse. Quod pariter S. Scriptura edisserit, quum ait: *Diligis enim omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti* [3]).

Observ. 1. Cum his, quae modo de ultima rerum creatarum causa seu ratione disputavimus, minime pugnant, quae inferius ostensuri sumus, scilicet rationem seu finem creatarum naturarum rationalium esse studium veri ac honesti ex amore Dei, seu cognitionem atque cultum Dei, summi Boni, cum respondente aliquando futura beatitudine, atque naturarum animalium, praeter hominum commodum, propriam felicitatem, quod, uti ex indole harum rerum per rationem cognoscitur, ita etiam in SS. Litteris verbis definitis traditur [4]). Nam finis ille rerum creatarum tam

---

[1]) Ed. Vien. 1833. p. 22.

[2]) Cf. S. Thom. *1. q. 44. art. 4.* Opp. T. 20. p. 260. *Contr. Gentil. l. 1. c. 93. n. 7.* T. 18. p. 82. *l. 3. c. 17. s.* p. 230 *ss.*

[3]) Sap. 11, 25. Cf. Augustin. *De civ. D. l. 11. c. 24.* Opp. T. 7. c. 291.

[4]) Cf. Marc. 16, 15 *s.* Joan. 17, 3. Matth. 6, 33. 1. Tim. 2, 4. — Matth. 19, 17. 5, 3. 10. 16. 6, 9—10. 7, 21. 22, 27—40. Rom. 2, 13. Gali. 5, 5—6. Col. 3, 12 *ss.* Hebr. 12, 11 *ss.* 13, 16. Jac. 1, 25. 2, 14. 24. 26. 1. Petr. 1, 15—16. 2. Petr. 1, 10. — Matth. 25, 31—46. Rom. 6. 22—23. 2. Tim. 4, 7—8. Hebr. 12, 11. 2. Petr. 3, 7. 14. etc.

ratione praeditarum quam carentium, **finis earumdem quidem proximus, non vero ultimus est; quoniam manifeste Deus homines et** Angelos ad sanctitatem ac respondentem felicitatem, et animalia ad felicitatem condidit, ut se in iisdem, suam ipsis perfectionem communicando, benignissimum, sanctissimum ac justissimum demonstraret. Item dictis de ultima rerum conditarum causa, seu creationis fine haud adversatur, quando statuitur, mundum, seu terram nostram propter hominem, utpote inter res creatas orbis terrarum nobilissimum, esse conditam; nam et hicce finis ultimam creationis causam haud excludit, sed potius ejus effectus est. Unde ipsae SS. Litterae, nec non SS. Patres eumdem finem orbi terrarum assignant. Sic Deus, hominem creaturus, ipse ait: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra*[1]). Et Psalmista: *Constituisti eum* (hominem) *super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, et boves universas: insuper et pecora campi. Volucres coeli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris*[2]). — Justinus autem scribit: *Cum bonus sit* (Deus), *omnia illum ab initio ex informi materia propter homines condidisse accepimus*[3]). — Tatianus: *Opus ab eo nostra causa conditum adorare nolo. Sol et luna propter nos creata sunt*[4]). — Origenes: *Multis nos accusat* (Celsus), *quod a Deo omnia propter hominem facta esse dicamus*[5]). Similiter quoque loquuntur Cyrillus Hierosolym.[6]), Gregorius Naz.[7]), Tertullianus[8]) et Lactantius[9]).

Observ. 2. Porro quando Deus dicitur omnia ad nominis sui gloriam condidisse: eo minime, Deum aut proprii commodi studiosum, aut vero sibi haud esse sufficientissimum, adstrui, ex supra pertractatis non potest esse dubium. Nam sensus illius sen-

1) Gen. 1, 26. Cf. 1, 28.
2) Ps. 8, 7—9.
3) *Apol. I. n. 10.* Opp. p. 49.
4) *Or. cont. Graec. n. 4.* Ib. p. 260.
5) *Cont. Cels. l. 4. n. 74.* Opp. T. 1. p. 559.
6) *Catech. 12. n. 5.* Opp. p. 165.
7) *Orat. catech. c. 5.* Opp. ed. Par. 1638. T. 3. p. 51. Cf. *De Hom. opif. c. 2.* T. 1. p. 50 s.
8) *Adv. Marcion. l. 1. n. 13.* Opp. V. 2. p. 138.
9) *Instit. div. l. 7. c. 3.* Opp. T. 1. p. 522. s. *De ira D. c. 13.* T. 2. p. 155. ss.

tentiae nequaquam est, Deum perfectionem seu bonitatem ad extra manifestasse, ut sic externo honore frueretur, aut plane hac gloria indigeret, sed quia in se bonus est, etiam in operibus, quum se negare non possit, bonum esse, cum iisque suam perfectionem participare, et sic se summum Bonum simul in illis naturis rationalibus cognoscendum exhibere voluisse.

§. 9. Mundi perfectio.

Perfectum esse mundum, atque ad finem aptissimum, ad quem a Deo creatus est, nemo dubitabit, quicumque de bonitate sapientissimi et potentissimi rerum architecti persuasus fuerit. Moyses historiam creationis describens, rerumque creatarum seriem recensens, saepe saepius repetit istiusmodi verba: *Et vidit Deus, quod esset bonum, quod fecit* [1]. Et in fine creationis addit: *Viditque Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona,* i. e. optima et perfecta [2]. Atque in cantico suo ait: *Dei perfecta sunt opera, et omnes viae ejus judicia, i. e.* justae [3]. Similia in aliis S. Scripturae libris leguntur. Sic Siracides docet: *Opera Domini universa valde bona* [4]. Et Apostolus: *Quia omnis creatura Dei bona est* [5].

Ecclesia autem Manichaeos et alios haereticos contrariam sententiam defendentes e sinu suo ejecit.

Et ita quoque ratio intelligit, Deum in opere suo ab hoc, quod bonum est ac perfectum, recedere non posse. Non potest enim Deus optimus nisi bonum velle; opera autem ejus voluntati sanctissimae necessario respondere debent. Juvat ingentem rerum copiam, miram magnitudinem, diversitatem stupendam, graduum ascendentium et descendentium, specierum et generum ordinem tam concinnum, ubertate ac virtute ornatissimum, multitudinem pulcherrimam et copiosissimam pulchritudinem, res inter maximas, minimasque arctissimum intueri nexum. Res una alteri opem praestat, manumve altera porrigit alteri. Nil sibi soli, quam unus Deus. Leges, quae eaedem in rebus minimis et maximis, imo in universo conspiciuntur, sunt sim-

1) Gen. 1, 10. 12. 18.
2) Gen. 1, 31.
3) Deut. 32, 4.
4) Eccli. 39, 21. Cf. Ps. 103, 24. Is. 6, 3.
5) 1. Tim. 4, 4.

plicissimae, vires diversissimae, effectus maximi, mediis usque exiguis excitati. Tanta est rerum ad diversos fines ordinatarum abundantia, tanta mediorum simul parsimonia ac sufficientia, ut nonnisi sapientissimus praedicari possit hujus operis Conditor. Quare ab initio statim res creatas adpellarunt κατ' ἐξοχὴν κοσμόν, *ornatum*, conspectum pulcherrimum. Terra, quam incolimus, stellis majoribus adnumerari quidem nequit; eidem tamen 21 planetae socii et 18 comites adsistunt praeter cometarum majorem numerum. His omnibus antecellit sol, qui *tamquam sponsus procedens de thalamo suo*, ut gigas iter carpens velox. *A summo coelo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus, nec est, qui se abscondat a calore ejus* [1]). Sol vero hic tantus ac talis ad aliud systema stellarum, quas fixas nominant, refertur, sicut terra ad solem. Astra, quae viam lacteam constituunt, totidem systemata solaria secundi ordinis esse videntur, quae iterum circa aliquem communem solem centralem moventur, et systema solare tertii ordinis efficiunt. Viae lacteae autem quarum, uti Astronomi docent, plures dantur, sine dubio rursus omnes ad punctum aliquod medium referuntur, quo in systema mundi absolutum uniuntur. Quae nobis proxima est istius generis stella, tantum a terra distat, quantum annui cursus terrae diameter quadragesies millies protensus metitur. Stellarum fixarum ingens est numerus. In via lactea, ad quam systema nostrum pertinet, sola ultra octoginta milliones ab Astronomis recensentur. Stellis fixis praesto sunt planetae ac cometae innumerabiles. Quam mirabilia opera Domini! Quis est potentiae ac bonitatis ejus numerus?

Observ. 1. Multum et acriter inde a Leibnitii temporibus inter Theologos ac Philosophos disputatum est, utrum hic mundus sit optimus, nec ne. Putamus autem, distinguendum esse, quo sensu mundus optimus intelligatur. Nam si mundus eatenus optimus dicitur, quatenus sapientiae divinae hunc mundum condere quam maxime conveniebat; aut quatenus eidem finis quam maxime congruens praefixus; aut vero quatenus ipse ad hunc finem aptissimus constitutus est: mundus sine dubio optimus est; Dei enim perfecta sunt opera, atque valde bonum est, quodquod ipse fecit. — Si autem mundus optimus diceretur, ac si esset absolute bonus, seu bonus in se ac per se; aut quasi esset inter omnes

---

1) Ps. 18, 7.

mundos possibiles unicus optimus; aut tamquam si res singulae, seorsim spectatae, perfectiores esse non possint; ant vero ut si mundus per lapsum generis humani non sit corruptus: certe optimus haud est. Nam bonum absolutum unus solummodo est Deus; atque plures, qnin immo innumeri mundi dari possunt, quorum quemcnmque Deus condidisset, quoad ejus infinitam sapientiam ac sanctitatem perinde esset; porro, res singiilatim consideratas perfectissimas non esse [1]), testatur experientia; mundum autem per peccatum protoparentum in deterius mutatum esse, docet revelatio.

Observ. 2. Quaecumque exsistunt, nonnisi voluntate divina exsistnnt; malnm autem sanctitati divinae repugnat. Unde malum, prout principio in mundo adesse haud poterat, ita essentia seu substantia esse nequit, atque vera ac propria exsistentia careat est necesse. Haec quoque est unanimis doctrina SS. Patrum. Sic Ambrosius ait, Dominum non creasse malitiam, *quum utique non substantialis, sed accidens sit malitia, quae a naturae bonitate deflexit* [2]). Et Prosper: *Cum Deus incommutabiliter bonus, omnes creaturas fecerit bonas, nec ulla omnino, nisi ab ipso sit creata natura: nulla est substantia mali; quia quod auctorem Deum non habet, non est* [3]). Simili modo loquuntur de natura mali Origenes [4]), Basilius [5]), Gregorius Naz. [6]), Fulgentius [7]), Isidorus [8]), Dionysius Areop. [9]) et Augustinus [10]).

Observ. 3. Qnnm tanta atqne tam mirabilia sint opera Domini ex nihilo condita, in qnorum nullo non resideat et effulgeat Dei Creatoris magnitudo, sapientia et benignitas summa, ita ut vel minimum animalculum lucidissimum sit ejus speculum: nullam occasionem praetermittamus pios sensus admirationis ac laudis Dei in nobis eliciendi; dignus enim est honore et gloria, qui tot et tanta

---

1) Cf. S. Augustin. *De civ. D. l. 11. c. 22.* Opp. T. 7. c. 288. *Cont. Faust. l. 21. c. 5.* T. 8. c. 354.

2) *Hexaëm. l. 1. c. 8. n. 27.* Opp. T. 1. c. 16.

3) *Sentent. ex Aug. S. 177 (176).* Opp. c. 568.

4) *De princ. l. 2. c. 9. n. 2.* Opp. T. 1. p. 97.

5) *Hom. Deum non esse auct. malor.* Opp. T. 2. p. 72. Cf. *Hom. 2. in Hexaëm. n. 4.* T. 1. p. 16.

6) *Or. 40.* Opp. T. 1. c. 595 s.

7) *De remiss. pecc. l. 1. c. 16.* Opp. p. 372.

8) *De sum. bon. l. 1. c. 11.* Opp. p. 417.

9) *De nom. div. c. 4. n. 18—35.* Opp. T. 1. p. 570—589.

10) *De ver. rel. c. 13. n. 26.* T. 1. c. 756. *De civ. D. l. 11. c. 9.* T. 7. 279. E. c. 22. c. 288. E. *Conf. l. 7. c. 12. n. 18.* T. 1. c. 140. etc.

virtutis suae dedit documenta. — Simul autem memores simus tenuitatis nostrae, utpote qui aliquando nihil fuimus, et abesse quoque possumus, salva Dei nulla re egentis beatitudine, quique quidquid sumus, per gratiam Dei sumus, gratiasque perpetuas referamus Creatori benignissimo. Ad quas eo magis excitabimur, si perpenderimus, mundum, a Deo conditum, totum nostris inservire commodis. Coelum et terra, ignis, aqua, aër, et quidquid in eis continetur, famulantur homini, ejusque subduntur dominio. *Vide homo*, scribit quidam, *dicit mundus*, *quomodo amaverit te*, *qui propter te fecit me: servio tibi*, *quia factus sum propter te*, *ut servias illi*, *qui fecit et me et te*, *me propter te*, *et te propter se*. *Si sentis beneficium*, *redde debitum*: *si accipis benignitatem*, *redde charitatem*. — Praecipue autem in id intendamus omnes vires nostras, ut in vita nostra ad Dei sanctissimam legem instituta summam ejus sapientiam ac benignitatem manifestam reddamus; ne, qui Angelos judicaturi sumus, a rebus ratione destitutis aliquando condemnemur.

SECTIO II.

De divina providentia, seu de Deo mundi Conservatore et Gubernatore.

---

§. 10. Providentia divina.

Quemadmodum certum est ac exploratum, Deum mundi esse Creatorem atque architectum, ita quoque evictum est, ipsum esse mundi Conservatorem atque Gubernatorem. Prout enim mundus non est sine omnipotentia et sapientia divina ortus atque constitutus, sic etiam non sine summa potentia et summa ratione conservatur ac administratur. Unum ab altero divelli non potest. Hinc non propterea solum res universae a Deo pendent, quod illas condiderit, quasi satis sit, foetum edere, et simul cum eo omnem illius projicere curam; sed etiam eo, quod cunctis, quae edidit, provideat, seu causa sit, ut res omnes singulis momentis persistant, tam quoad suam substantiam quam quoad agendi vires cuilibet insitas, nec non iis, quae ad subsistendum sunt necessaria, praesto sint, atque

ut singulae ad fines, quos sibi praescriptos habent, perveniant.

Est igitur providentia divina, quae creationis nonnisi continuatio est, ea Dei actio ad extra libera, qua ipse rerum omnium ac singularum curam gerit [1]), seu qua res creatas omnes ac singulas conservat, et juxta sua sapientissima consilia gubernat.

Si autem dicimus, providentiam divinam esse curam, quam Deus omnipotens, benignissimus ac sapientissimus rerum omnium gerat: more humano loquimur, minime autem curam intelligimus, qualis in nobis est, cum metu ac dubitatione, aut labore et defatigatione conjunctam; cum haec aperte cum summa Dei perfectione componi haud queant. Deus enim sicut solo voluntatis nutu absque labore aut virium intensione universa condidit, ita eodem simplicissimo actu omnia tuetur ac gubernat.

Porro comprehendit providentia divina duas velut partes, unam, qua Deus omnia conservat, et alteram, qua omnia ordinat et ad fines suos dirigit, seu conservationem et gubernationem mundi. Quapropter prius de illa, et deinde de hac disseremus.

Doctrina de divina conservatione et gubernatione mundi seu providentia inter gravissimas religionis Christianae sententias refertur. Persuasio enim de divina providentia verae sapientiae ac pietatis fundamentum et basis est. Nam ipsa animum in rebus adversis fortem ac tranquillum reddit, spem certam auxilii divini atque laetioris, faustiorisque sortis in futura vita exspectandae excitat ac fovet, studioque virtutis ac honestatis constantiam et alacritatem addit. Unde praecipue nostris temporibus quam maxime confirmanda est atque excitanda, partim quia ab adversariis acriter impugnatur, partim quoniam ipsis rerum publicarum et privatarum vicissitudinibus et conversionibus in orbe terrarum factis fides in Dei providentiam in multis concussa ac debilitata esse videtur.

Observ. In SS. Litteris vocabulum *providentia*, cui Graecorum *πρόνοια* respondet, de cura rerum divina tantum in libro Sapientiae 14, 3 et 17, 2 atque Eccl. 5, 5. occurrit; eamdem tamen rem significant: *ὁ πάντα ἐφορῶν, qui universa conspicit* [2]), et ejusmodi.

---

[1]) Cf. Nemes. *De nat. hom. c. 42.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 7. p. 418. — J. Damascen. *De fid. orth. l. 2. c. 29.* Opp. T. 1. p. 196.

[2]) 2. Mach. 15. 2.

§. 11. Conservatio.

Prima ergo quasi pars providentiae divinae est mundi conservatio, sub qua ex mente Ecclesiae Catholicae intelligimus eam Dei omnipotentis actionem liberam, ad extra transeuntem, qua fit, ut res creatae omnes et singulae, i. e. tum quatenus secum connexae totum constituunt, tum quatenus ceu individua subsistunt, et quidem tam quoad substantiam, quam quoad vires suas esse pergant, quousque pro earumdem natura atque ad universum relatione, seu consiliis sapientiae divinae conveniens fuerit, et ideo eis etiam necessaria ad subsistendum praesto sint.

Per hancce itaque notionem conservationis mundi divinae excludimus omnem casum fortuitum, cui Epicurei prout originem, ita et perseverationem mundi tribuebant; casu enim fortuito prout nihil oriri, ita et nihil potest persistere. Cum Epicureis quoad conservationem atque gubernationem mundi sentire non dedecori sibi duxerunt ex recentioribus Thom. Hobbes et Voltaire, praeter alios [1]). Pari modo arcemus porro conservationem mundi per se ipsum, prout et omnem coecam necessitatem, ac si videlicet res per vires solas, sibi a Creatore inditas, atque leges harum ab ipso constitutas persisterent, uti somniarunt Naturalistae; aut quasi Deus in perpetuitate mundi se ipsum nonnisi continuo produceret, quae est Pantheistarum sententia; aut vero, quod ad idem redit, tamquam si fato omnia fierent, quemadmodum contendebant Stoici, nam tali modo mundus contingens una necessarius assumi deberet. Tandem notione illa prohibetur etiam sententia, quae assumit, providentiam divinam ad sublunaria se non extendere, quem Aristotelis errorem primis Ecclesiae saeculis quidam Christiani adoptasse videntur [2]); divina enim conservatione, uti creatione, nulla res est indigna, nullaque non indigens; nec non opinio ea, quae conservationem mundi in eo reponit, quod Deus mundum non destruat, quod propugnarunt ex Arminianis Phil. a Limborch et Sim. Epi-

---

1) Cf. Wiest. *Instit. theol.* Ingolst. 1788. T. 4. p. 740 s.

2) Cf. Ambros. *De offic. l. 1. c. 13. n. 48.* Opp. T. 2. c. 14. — Augustin. *De Gen. ad litt. l. 5. c. 21. n. 42.* Opp. T. 3. P. 1. c. 195.

scopius, ex Socinianis Osterodus, et alii [1]). Conservat autem Deus mundum, quatenus sua omnipotenti substantia ac virtute ubique praesens atque operans, non quidem res ipsas novas efficit, verum substantiam rerum atque vires earumdem naturales, seu causas secundas, persistere sua omnipotenti voluntate facit, quarum illae effectus sunt. Deus itaque mundum conservans inexsistit ei, non tamen ita ut a mundo non sit diversus, eumque non simul transcendat, atque a mundo differt, eumque transcendit, non ita tamen, ut simul mundo non inexsistat.

Quum conservatio omnia comprehendat, atque ad res tam singulas, quam in suo nexu cosmico constitutas referatur, eaque fiat, ut non tantum individua rerum, sed et earum species ac genera, individuis certo tempore elapso intereuntibus, continua aliorum propagatione persistant: distingui solet conservatio individuorum et conservatio specierum, licet relate ad Deum unus, idemque actus simplicissimus sit.

Conservari autem a Deo mundum, seu omnes ac singulas res creatas, luculenta testantur A. S. Scripturae effata. Et quidem docetur:

a. Deum esse, cujus voluntate omnipotenti omnia et singula persistant. Sic legitur in Psalmis: *Fundasti terram, et permanet. Ordinatione tua perseverat dies,* i. e. tempus, seu ea, quae in tempore exsistunt: *quoniam omnia serviunt tibi,* i. e. a te pendent [2]). In libro Sapientiae: *Diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. Quomodo autem* (enim) *posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum* (exsistere jussum) *non esset,* (quomodo) *conservaretur* [3])? Apud Isaiam: *Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit haec: qui educit in numero militiam eorum,* i. e. oriri facit ordine quaeque suo, et vice, et loco, sibi assignato, *et omnes ex nomine vocat,* i. e. omnia ita nutui suo obsequentia habet, ut jussa mox instar promtissimorum militum adcurrant, et pareant [4]). Et rursus: *Dominus Deus*

---

1) Cf. Wiest, *Inst. theol.* Ingolst. 1788. T. 4. p. 736 ss. — Klee, Lehrb. der Dogmengeschichte. Mainz, 1837. 1. B. p. 330.

2) Ps. 118, 90—91.

3) Sap. 11, 25—26.

4) Is. 40, 26.

creans coelos, et extendens eos: firmans (conservans) *terram: et quae germinant ex ea: dans flatum populo, qui est super eam, et spiritum calcantibus eam* [1]. — Christus autem ait: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* [2]. Atque Apostolus: *Deus, qui fecit mundum, et omnia, quae in eo sunt, hic coeli, et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia: fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum, quaerere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso* (tamquam causa exsistendi) *enim vivimus, et movemur, et sumus* [3]. Et alibi: *Et ipse* (Filius) *ante omnes* (πρὸ πάντων, prior aut excelsior omnibus), *et omnia in ipso constant* [4]. Atque iterum: *Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis* [5].

b. Deum porro esse, qui singulis rebus creatis subministret, quae ad exsistendum ipsis sunt necessaria. Quod pulchre eloquitur Psalmista, quum canit: *Qui emittis fontes in convallibus: inter medium montium pertransibunt aquae. Potabunt omnes bestiae agri: exspectabunt onagri in siti sua. Rigans montes de superioribus suis* (nubibus videlicet): *de fructu operum tuorum* (i. e. qui provenit opera tua,) *satiabitur terra: producens foenum jumentis, et herbam servituti* (seu servientibus) *hominum. — Omnia a te exspectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate,* i. e. bonis, scilicet alimentis. *Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur. Emittes spiritum* (i. e. hali-

[1]) 42, 5.
[2]) Joan. 5, 17.
[3]) Act. 17, 24—28.
[4]) Col. 1, 17.
[5]) Hebr. 1, 3.

tum vivificantem) *tuum et creabuntur: et renovabis faciem terrae* [1]. Nec non auctor Jobi, quum ait: *Quis praeparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos* [2]? Id ipsum edisserunt verba Sapientis, quibus omnia sine exceptione Deum curâ suâ complecti docet: *Quoniam pusillum, et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus* [3]. Omnium autem pulcherrime Christus Dominus ipse doctrinam de divina rerum omnium cura ob oculos ponit, quum ait: *Ne solliciti sitis animae* (i. e. vitae) *vestrae, quid manducetis; neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est, quam esca: et corpus plus, quam vestimentum? Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester coelestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento, quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem foenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicae fidei* [4]. Quapropter nos admonet Petrus: *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis* [5]. Atque Deus est, ut ait Paulus, *qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum* [6]. Et: *Qui in praeteritis generationibus non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de coelo, dans pluvias, et tempora fructifera, implens cibo, et laetitia corda nostra* [7].

c. Tandem Deum esse speciatim, qui nobis vires necessarias, per culpam generis humani imminutas, addat, quibus officio nostro satisfaciamus, salutemque consequamur. *Nemo enim,* ait Christus, *potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me,*

---

1) Ps. 103, 10—14. 27—30. Cf. Ps. 146, 8—9 45, 1. 61, 1.
2) Job. 38, 41.
3) Sap. 6, 8. Cf. 12, 13.
4) Matth. 6, 25—30.
5) 1. Petr. 5, 7.
6) 1. Tim. 6, 17.
7) Act. 14, 15—16. Cf. 17, 25.

traxerit eum [1]). Et Paulus: ***Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum*** (seu hanc persuasionem ratione Dei habita nacti sumus): ***non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est*** [2]). Atque iterum: ***Deus enim est, qui operatur in vobis, et velle, et perficere pro bona voluntate*** [3]).

B. Ea est quoque SS. Patrum atque Ecclesiae omnium saeculorum doctrina. SS. Patres enim unanimi consensu agnoscunt et tradunt, naturam conservatione, uti creatione, divina et indigere, et ejusdem revera participem esse. *Sciamusque,* ait Hieronymus, *nos nihil esse, nisi, quod donavit, in nobis ipse servaverit. — Velle et currere meum est; sed ipsum meum, sine Dei semper auxilio non erit meum. Dicit enim idem Apostolus: „Deus est, qui operatur in nobis et velle et perficere;" et Salvator in Evangelio: „Pater meus usque modo operatur, et ego operor." Semper largitor, semperque donator est. Non mihi sufficit, quod semel donavit, nisi semper donaverit* [4]). — Gregorius Naz.: *Quonam modo universa haec rerum moles vel producta unquam fuisset vel consisteret, nisi Deus omnia in rerum naturam protulisset, atque conservaret* [5]). — Augustinus: *Sic credamus, aut si possumus, etiam intelligamus, usque nunc operari Deum, ut si conditis ab eo rebus operatio ejus subtrahatur, intereant* [6]). Atque Gregorius M.: *Cuncta ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret* [7]). Tribuunt autem conservationem rerum Deo ita, quin propterea efficaciam earum per vires a Deo sibi inditas excludant [8]).

1) Joan. 6, 44.

2) 2. Cor. 3, 4—5.

3) Philipp. 2, 13.

4) *Epist. 133. ad Ctesiph. n. 6.* Opp. T. 1. c. 1033.

5) *Orat. 34.* Opp. 1. c. 476. C.

6) *De Gen. ad litt. l. 5. c. 20. n. 40.* Opp. T. 3. P. 1. c. 194. Cf. *l. 4. c. 12.* c. 167 s.

7) *Mor. l. 16. c. 37. n. 45.* Opp. T. 1. c. 518. Cf. Basil. *De Spir. S. c. 8. n. 19.* Opp. T. 3. p. 16. — Chrysost. *In Gen. hom. 10. n. 7.* Opp. T. 4. p. 80. — Hilar. *In Ps. 91. n. 7.* Opp. T. 1. c. 269.

8) Cf. Basil. *De Spir. S. c. 5. n. 7.* Opp. T. 3. p. 7. — Augustin. *De Trinit. l. 3. c. 8. n. 13.* Opp. T. 8. c. 799 s.

Patres sequuntur Theologi scholastici, prout illi docentes, absque divina conservatione res omnes necessario in nihilum recasuras; quum exsistentia earumdem nonnisi effectus operationis virtutis divinae sit, atque ideo desinente hac, etiam illa desinere debeat [1]), et annihilatio rerum non sit, nisi cessatio communicationis τοῦ εἶναι, seu cessatio continuatae creationis [2]).

Mentem Ecclesiae perbelle explicat Catechismus Rom., qui habet: *Nec vero ita Deum creatorem, atque effectorem omnium credere oportet, ut existimemus, perfecto absolutoque opere, ea, quae ab ipso effecta sunt, deinceps sine infinita ejus virtute constare potuisse. Nam quemadmodum omnia ut essent, creatoris summa potestate, sapientia et bonitate effectum est; ita etiam nisi conditis rebus perpetua ejus providentia adesset, atque eadem vi, qua ab initio constituta sunt, illas conservaret, statim ad nihilum reciderent.* — Porro: *Non solum autem Deus universa, quae sunt, providentia sua tuetur atque administrat; verum etiam, quae moventur, et agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis secundarum causarum efficientiam non impediat, praeveniat tamen; cum ejus occultissima vis ad singula pertineat* [3]).

C. Id ipsum denique jam ipsa ratio exigit, quae ex una parte mundum, rerum diversas species, res singulas perseverantes, earumque vires, atque subsistendi media eis ubique suppeditata videt, ex altera parte autem simul intelligit, illa omnia, utpote non necessaria, nullo temporis momento rationem suae exsistentiae in se habere, et ideo necessario a Deo, ente absoluto, pendere, seu dumtaxat ejus omnipotenti voluntate exsistere, suamque exsistentiam continuare posse. Quod statui debet de omnibus et singulis rebus, earumque viribus, nec non suppeditatis ad subsistendum adjumentis; quum manifeste omnes res in mundo, earumque vires sint contingentes, et contingens quoque sit, quod iisdem, quibus ad subsistendum indigent, non desint. Et sane facies mundi, qualis nunc est, talis fere semper

---

1) Cf. S. Thom. *Summ. 1. q. 104. art. 1.* Opp. T. 20. p. 568 ss.

2) Id. *1. q. 104. art.* 2. p. 570 s.

3) Ed. Vien 1833. p. 24 s.

erat, ex quo mundus esse coepit. Corpora coelestia per tot jam saeculorum millia aequabili cursu moventur, et in ordine suo permanent. Rerum omnium, quas cernimus, species inde a mundi editi exordiis ad hanc usque diem perdurant. Genus humamum inter tot vitae discrimina, tot morborum myriades et bella continua perseverat. Natura rerum omnium semper eadem est. Omnibusque naturis animalibus ubique ac semper praesto sunt, quibus egent, vitae subsidia. Et tamen contingens tam parum potest sine absoluto consistere, quam parum cogitatio sine mente, radius sine sole, umbra sine corpore exsistere. Si mundus sine Deo est, Deus amplius non est Deus, sed mundo, utpote absoluto ac necessario, quod nonnisi unum esse potest, locum cessit. — Accedit per malum morale in mundum invectum, quo vinculum creaturam cum Creatore uniens abruptum est, ipsam naturam, jure exsistendi in homine amisso, ad nihilum ac interitum tendere, a quo solummodo voluntate divina ob eum, qui restauraturus universa in orbem terrarum venerat, sustentata a ruina custodiri potest.

Observ. Prout rerum creatio, et quodvis opus divinum externum, ita quoque conservatio omnibus tribus personis divinis ex aequo competit, et quemadmodum, ut monstravimus, omnia a Patre per Filium in Spiritu S. condita sunt, ita etiam omnia a Patre per Filium in Spiritu S. sustinentur. Unde in SS. Litteris atque in scriptis SS. Patrum rerum conservatio modo Patri [1]), modo Filio [2]), modo Spiritui S. [3]) adscribitur.

§. 12. Modus conservationis.

Ostensa veritate seu realitate divinae mundi conservationis pauca adhuc de modo ejusdem adjicienda veniunt. Quemadmodum enim sunt, qui mundum per se solum conservari asserunt, aut vi

---

[1]) Act. 17, 24 ss. Joan. 5, 17. 16, 23. Matth. 5, 45. 6, 11. 26. 32. — Clem. *1. Cor. n. 20.* — Coteler. *PP. ap.* Amstel. 1724. V. 1. p. 159 s.

[2]) Col. 1, 17. Hebr. 1, 3. Joan. 1, 3. 10. 5, 17. — Iren. *Cont. haer. l. 5. c. 18. n. 3.* p. 315. — Athanas. *Cont. Gent. n. 41.* Opp. T. 1. p. 40. *De Incarn. Verb. n. 17.* p. 61 s. — Basil. *De Spir. S. c. 8. n. 19.* Opp. T. 3. p. 16. — Chrysost. *In Hebr. hom. 2. n. 3.* T. 12. p. 17 s. Euseb. *Demonstr. Evang. l. 4. c. 2.* p. 146. — Theodoret. In Col. 1, 17. Opp. T. 3. p. 347.

[3]) Rom 8, 11. 1. Cor. 12, 4 ss. — Athanas. *Epist. 1. ad Serap. n. 19.* T. 1. P. 2. p. 667 s.

primitivae dispositionis divinae, aut quoniam Deum cum mundo confundunt: sic etiam alii exsistunt, qui mundum, licet non per substantiam divinam, tamen per voluntatem ac efficacitatem Dei immediate per omnia sustineri affirment, ita ut universa, quae in mundo sunt aut fiunt, unica voluntate divina sint et fiant, atque res creatae, seu earum instinctus aut voluntas tantum occasionem praebeant divinae efficientiae, inde et Occasionalistae dicti, inter quos eminent Nic. Malebranche [1]) et Cartesius [2]).

Verumtamen SS. Litterae, quamvis omnia in mundo ad omnipotentem virtutem Dei conservatricem referant, una rebus ipsis propriam subsistentiam atque efficientiam, etsi non a Deo prorsus independentem, tribuunt. *Quia ipse dixit,* ait Psalmista, *et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt. Statuit ea in aeternum, et in saeculum saeculi: praeceptum posuit, et non praeteribit* [3]). — *In aeternum, Domine, verbum tuum permanet in coelo. In generationem, et generationem veritas tua: fundasti terram, et permanet. Ordinatione tua perseverat dies: quoniam omnia serviunt tibi* [4]). Idem quoque, ut supra jam indicavimus, tradunt SS. Patres, nec non Theologi scholastici, et nominatim S. Thomas [5]). Et sane Deus mundum condidit, ut aliud a se esset, adeoque etiam ut tamquam a se diversus; non tamquam ipsi inhaerens seu immanens, sed per se, licet non independenter ab illo, exsisteret sive subsisteret, atque ideo prout propriam exsistentiam, ita et propriam efficientiam haberet. Unde quum per conservationem solummodo, quod initio a Deo fuit constitutum, perseveret: per eamdem illa mundi subsistentia propria atque efficacia minime potest tolli; neque autem etiam Dei efficientia excludi, quum vires illae seu causae secundae, quibus res in mundo sunt aut gignuntur, prout et ipsa harum substantia, e Deo tamquam causa prima prorsus pendeant, et nonnisi immediatae voluntati divinae earum exsistentia ac efficacia debeatur. Hinc conservatio non est talis, ac si fiat sine Deo, sed et non ejusmodi, ac si fiat sine rerum conditarum concursu. Sed conservatur mundus et per se, quatenus res mundanae viribus naturae procreantur ac per se invicem

---

1) Cf. *De la recherche de la verité.* Par. 1674. 1712. 4.

2) Cf. Tennemann, Grundriß der Gesch. der Philosophie. Ed. Wendt. §. 328.

3) Ps. 148, 5—6.

4) Ps. 118, 89—91.

5) *1. q. 104. art. 32.* Opp. T. 20. p. 570 s.

sustentantur, et per Deum, quatenus per ipsum solum, i. e. voluntatis ejus nutum vires illae agunt atque sunt, nec non rerum substantia perstat. Unde conservatio mundi divina est, quatenus spectat ad rerum vires ac substantias, immediata, quatenus autem refertur ad illarum effectus, mediata. Quod si autem divinam mundi conservationem immediatam adpellamus: id manifeste tantum eatenus fit, quatenus vires naturae ac substantia rerum immediatus effectus omnipotentis voluntatis divinae sunt, nequaquam autem forsan ac si mundum pro immediata substantiae divinae manifestatione haberemus; quod Pantheistarum commentum est, et conservationem mundi, imo ipsam Dei supramundani exsistentiam destruit.

Observ. Quum Deus mundum conservando vires naturarum, quibus hae operantur, i. e. certos effectus producunt, sustentet, et illae ex ipso per omnia tamquam causae secundae e causa prima pendeant: ad effectus illos concurrere ac naturis cooperari dicitur. Hinc concursus ac cooperatio divina, συγχώρησις, ἐπιτροπή, Theologorum. Est itaque concursus divinus nil aliud, quam virium, quibus res creatae ad agendum praeditae sunt, sustentatio. Ab hoc concursu divino, qui ad omnes res conditas refertur, et ideo generalis adpellatur, vel etiam physicus, distinguitur concursus specialis seu gratiosus, quo nos Deus per gratiam suam in operibus bonis adjuvat, et specialissimus, qui in inspiratione obtinet. Ideo autem Deum ad malitiam pravorum operum haud concurrere, seu auctorem peccati non esse, per se facile intelligitur. Nam quum Deus concursu suo solummodo vires nostras, earumque efficientiam, indeterminate spectatam, sustentet, usum vero illarum naturis liberis permittat: causa peccati nequaquam ipse, sed voluntas nostra prava est.

§. 13. Gubernatio.

Verum ut mundus fini suo satisfaciat, non sufficit, ut solummodo a Deo conservetur, sed ad conservationem accedere debet quoque ejus gubernatio. Est autem haecce ea Dei actio ad extra libera, qua res omnes in mundo secundum ipsius sapientissima consilia disponuntur ac diriguntur, ut fines, quos sibi praescriptos habent, attingant, seu praestent, quod eas pro sua natura seu ex sua idea praestare oporteat, adeoque naturae inferioris ordinis naturis ordinis superioris inserviant;

porro naturae vita animali quidem praeditae, attamen ratione carentes, felicitate, naturae vero ratione ac libertate instructae perfectione morali et aliquando beatitate congrua potiantur, in omnibus autem infinita Dei perfectio manifestetur.

Pro gubernatione itaque mundi divina, nil in mundo accidit aut fit, Deo inscio aut nolente, nil sine justa dispositione, nilque sine ratione ac fine, atque per eamdem omnis imprudentia seu *ἄνοια*, ac temeritas seu *ἀβουλία*, alle Gedankenlosigkeit und Planlosigkeit, excluditur, et ideo quoque omnis casus aeque ac fatalismus, prout error Manichaeorum [1]), Priscillianistarum et Catharorum [2]), nec non Gnosticorum, quorum illi mala omnia cujuscumque generis a principio malo, hi vero ab aeonibus e Deo emanatis et semper magis ab ipso recedentibus derivabant.

Porro licet gubernatio relate ad Deum unus ac simplex actus sit; quum tamen indoli rerum creatarum adcommodari debeat, res aliae in mundo sint ratione ac libertate destitutae, utpote ad fines solummodo physicos destinatae, aliae praeditae, utpote ad moralitatem creatae: duplex quoque mundi gubernatio, physica ac moralis, discerni potest, quarum illa ad mundum physicum refertur, haec ad entia libera attinet. Gubernatio physica itaque constat in mundi physici seu rerum ratione carentium dispositione et ad fines sibi praefixos directione, atque in ea necessitans locum obtinet influxus, nec aberrationi datur locus. Moralis autem mundi gubernatio in directione entium moralium ad finem suum ultimum consistit, atque vim cogentem seu, ut ajunt, necessitantem respuit.

Tandem gubernatio, prout conservatio, physica ac moralis tam ad res simul sumtas, quam ad singulas, et posterior iterum tum ad totum genus humanum, tum ad regnum Dei in mundo visibile seu ad Ecclesiam, tum ad singulum quemvis hominem refertur, et hinc etiam quatenus omnia una comprehendit, generalis seu universalis, quatenus autem ad res singulas spectat, specialis, vel vero, uti passim receptum est, quatenus ad partes totius, et speciatim ad Ecclesiam refertur, specialis, et quatenus ad res singulas, nominatim ad singulos homines attinet, specialissima audit.

1) Cf. Tit. Bostrens. *Adv. Manich. l. 1. n. 1.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 5. p. 269.

2) Cf. Klee, Dogmeng. Mainz, 1837. 1. B. p. 328.

Gubernationem divinam, et quidem tam generalem quam specialem ac specialissimam, seu rerum creatarum tam simul sumtarum quam singularum dari, docent

A. quam plurima SS. Litterarum testimonia. Huc

a. pertinet loca, quae generalem gubernationem tradunt, uti sunt: *Attingit* (pertingit Sapientia) *a fine usque ad finem fortiter* (suâ scilicet potentiâ vegetans ac movens omnia), *et disponit* (regit, administrat) *omnia suaviter* (gr. *utiliter*, adeo videlicet, ut nulla res in toto universo reperiatur, quae suo officio non apte fungatur, finique suo non respondeat) [1]. — *Tua, Pater, providentia gubernat: quoniam dedisti, et in mari viam, et inter fluctus semitam firmissimam* (navim scilicet dirigendo ac tuendo) [2]. — *Considera opera Dei* (i. e. persuasus esto, omnia sapientissime omnipotenti Dei virtute disponi), *quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit* (vel potius juxta textum originalem *quod ille incurvavit*, i. e. nemo potest immutare, quod Deus fieri decrevit). *In die bona fruere bonis, et malam diem praecave* (seu *paratus exspecta*): *sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus* [3]). Quaecumque itaque fiunt ex voluntate ac ordinatione divina fiunt [4]), et quidem ita, ut vel minimas et vilissimas res haud negligat, et etiam ea, quae nobis casu fieri videntur, ab ipso sint ordinata. *Nonne duo passeres*, ait Christus Dominus, *asse veneunt; et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro* (i. e. Patre inscio et nolente)? *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt* [5]). Et in Proverbiis legitur: *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur* [6]).

b. Speciatim autem curam hominum habet, eorumque fata dirigit. *Sit nomen Domini*, ait Daniel, *benedictum a saeculo, et usque in saeculum: quia sapientia, et fortitudo ejus sunt. Et ipse* (pro hac scilicet summa sapientia ac fortitudine) *mutat tempora, et aetates: transfert regna, atque constituit: dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligen-*

---

1) Sap. 8, 1.
2) Sap. 14, 3.
3) Ecc. 7, 14—15.
4) Cf. insuper Job. 5, 9 ss. Jer. 5, 23—24. 2. Par. 7, 13 ss.
5) Matth. 10, 29—30. Cf. 6, 25 ss.
6) Prov. 16, 33.

tibus disciplinam [1]). — Psalmista: *Dominus in coelo paravit sedem suam: et regnum ipsius omnibus dominabitur* [2]). — Sapiens: *Non est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus*, i. e. pro contextu, qui cunctis populis prospicit de debito cuique praemio vel poena [3]). Non tantum autem universis populis, sed et

c. singulis hominibus Deus pro infinita benignitate ac sapientia providet. *Dominus regit me*, canit Psaltes, *et nihil mihi deerit. In loco pascuae ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit* (i. e. ovem quasi erraticam ex inviis ad caulas reduxit). *Deduxit me super semitas justitiae, propter nomen suum* (i. e. propter semetipsum, quia scilicet Deus Redemtor est). *Nam, et si ambulavero in medio umbrae mortis* (i. e. in mediis periculis, in maximis angustiis), *non timebo mala: quia tu mecum es. Virga tua, et baculus tuus* (i. e. pastoralis tua cura et sustentatio): *ipsa me consolata sunt* [4]). Auctor Proverbiorum: *Cor hominis disponit viam suam: sed Domini est dirigere gressus ejus* [5]). — *Multae cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit* [6]). — *A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam* [7])? Et Psalmista iterum: *Ecce oculi Domini super metuentes eum: et in eis, qui sperant super misericordia ejus. Ut eruat a morte animas eorum: et alat eos in fame* [8]). — Nominatim docet S. Scriptura, vitae terminum cuique a Deo constitutum esse. *Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui praeteriri non poterunt* [9]). — Una autem traditur, fieri hanc omnem divi-

---

1) Dan. 2, 20—21. Cf. Is. 10, 5—12. Jer. 18, 7. Amos. 3, 6. Judith. 9, 4—5.

2) Ps. 102, 19. Cf. 22, 1 ss. 25, 9 ss. 90, 1 ss. 91, 6 ss, 118, 17 ss. 144, 13. Eccli. 1, 8—10. Job. 12, 13 ss.

3) Sap. 12, 13.

4) Ps. 22, 1—4.

5) Prov. 16, 9.

6) Prov. 19, 21.

7) Prov. 20, 24.

8) Ps. 32, 18—19. Cf. Act. 18, 21. 1. Cor. 16, 7.

9) Job. 14, 5.

nam dispositionem atque hominum directionem salva singulorum in agendo libertate et in precando pietate [1]).

B. Quemadmodum conservationem, ita et divinam mundi gubernationem Ecclesia semper tamquam principalem fidei Christianae articulum professa atque contra Aristotelicos [2]), qui limitem ei lunam constituerant, Epicureos ac Stoicos, nec non Gnosticos ac Manichaeos tuita est. SS. Patres ubique de ea sermonem instituunt, et Theodoretus singularem librum *de providentia* [3]) exaravit; traduntque, doctrinam de divina providentia seu gubernatione ad publica fidei dogmata pertinere. Sic Irenaeus ait: *Nobis confitentibus, quia nihil omnino horum, quae facta sunt, et quae fiunt, et fient, scientiam Dei fugit, sed per illius providentiam unumquodque eorum el habitum, et ordinem, et numerum, et quantitatem accipere et accepisse propriam, et nihil omnino neque vane, nec, ut provenit, factum aut fieri, sed cum magna aptatione et consonantia (conscientia) sublimi, et esse admirabilem rationem, et vere divinam, quae possit hujusmodi et discernere, et causas proprias enuntiare* [4]). — Porro docent, providentiam seu gubernationem divinam in ordine mundi ubique conspicuo manifestari. Minucius Felix: *Quid enim potest*, ait, *esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in coelum sustuleris, et quae sunt infra circaque lustraveris, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur* [5]). — Clemens Alex.: *Manifesta* (est) *divina providentia ex aspectu omnium, quae videntur, effectorum, quae arte constant et sapientia* [6]). — Lactantius: *Secundus vero* (gradus sapientiae est), *perspicere animo, quod unus sit Deus summus, cujus potestas ac providentia effecerit a prin-*

---

[1]) Cf. Matth. 6, 6. 26, 39 *ss.* Joan. 16, 23 *ss.* 1. Tim. 2, 1. 2. 8. Jac. 1, 5. 5, 14 *ss.*

[2]) Origen. *In Ps. 35, 6.* Opp. T. 2. p. 652. — Theodoret. *H. E. l. 5. c. 10.* Opp. T. 4. p. 275.

[3]) *De prov. Orat. 10.* Opp. T. 4. p. 319—459.

[4]) *Cont. haer. l. 2. c. 26. n. 3.* p. 154.

[5]) *Octav. n. 17.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 2. p. 390.

[6]) *Strom. l. 5. n. 1.* Opp. T. 2. p. 646.

cipio mundum, et gubernet in posterum [1]). —Nec non, eamdem in lege morali nobis insita [2]), atque malorum punitione et bonorum remuneratione [3]), et in revelatione per Christum Dominum data conspici [4]). — Tandem tradunt, gubernationem seu providentiam divinam omnia, summa et ima, complecti [5]); sed simul agnoscunt, curam divinam pro majori aut minori rerum necessitate aut dignitate, majorem quoque vel minorem dicendam esse [6]). Gubernationis divinae necessitatem vero partim inde, quoniam omnia a Deo sunt condita [7]), partim quia secus frustra ad virtutis studium excitaremur [8]), repetunt. Ita Patres singuli.

Ecclesia autem universalis ipsa fidem suam, Deum omnia disponere atque res singulas et omnes ad finem suum dirigere, omnibus suis orationibus publicis, quibus ad Deum confugit, ut a nobis mala avertat aut auxilium suum ferat, palam profitetur.

C. Denique cum revelatione perfectissime quoque consentit sana ratio. Nam mens nostra, res creatas attente considerans non potest non advertere, omnia sapientissime esse constituta et inter se invicem disposita, atque res omnes ac singulas ad certos tendere fines, sibi omnino congruos, ubique ordinem ac fines rebus praestitutos, harumque ad illos convenientiam deprehendi, consilium ac rationem manifestari. Id comprobant innumera varia systemata corporum coelestium, comprobat noster orbis terraqueus, comprobant res singulae, minimae aeque ac maxi-

---

1) *De ira D. c.* 2. Opp. T. 2. p. 129. — Chrysost. *Ad eos, qui scandalizati sunt. c. 5. 7.* Opp. T. 3. p. 473. 476—482.

2) Chrysost. Ib. *c. 8.* p. 482. — Tit. Bostr. *Cont. Manich. l. 2. n. 11.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 5. p. 304.

3) Id *In Ps. 9. n. 4.* T. 5. p. 98 ss.

4) Id. *Ad eos, qui scandalizati sunt. c. 8.* p. 482.

5) Iren. *Cont. haer. l. 3. c. 25. n. 1.* p. 223. *l. 5. c. 18. n. 3.* p. 315. — Tertull. *Adv. Jud. n.* 2. Opp. V. 1. p. 265. — Minuc. Fel. *Octav. c. 17.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 2. p. 390 s.

6) Origen. *Cont. Cels. l. 4. n. 74. 99.* Opp. T. 1. p. 559. 576 s. — Hieronym. *In Habac. 1, 14.* Opp. T. 6. c. 604. — Iren. *Cont. haer. l. 5. c. 18. n. 3.* p. 316.

7) Athenag. *Leg. pro. Christ. n. 8.* Opp. Justin. p. 304. — Nemes. *De nat. hom. c. 43.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 7. p. 419. Cf. c. 42. p. 416 ss.

8) *Recogn. Clement. l. 8. n. 10.* Coteler. *PP. apost.* Amstel. 1724. T. p. 568.

mae, comprobat earum mutua necessitudo. Quod quidem valet de mundo physico. Ast et ordinem mundi moralem dari, tam certum est, quam certum ac evictum, legem moralem nobis non frustra esse insitam, redemtionem ac revelationem non frustra factam. Quae ratio dissimulare haud potest. Ex altera parte autem simul necessario intelligit, omnia, quaecumque in mundo dantur et fiunt, contingentia esse. Quum autem omne, quod contingens est, nonnisi per voluntatem entis absoluti exsistere queat: necessario ratio omnem mundi dispositionem ac moderationem ad Deum refert, idque eo lubentius, quum perspiciat, si Deus non gubernaret mundum, omnia fato regi debere; quo semel admisso libertas, atque omne boni et mali discrimen tolleretur, nullusque praemio vel supplicio esset locus, sed parata nasceretur ad omne facinus audacia, omnisque moralis ordinis confusio.

Accedunt luculenta vestigia divinae providentiae in historia populorum, praecipue populi Judaici atque Ecclesiae, nec non singulorum virorum, uti Josephi, Moysis, Pauli, etc., imo in vita propria cujusvis hominis.

Observ. Etiam gubernationem mundi omnibus personis divinis adscribendam esse, non potest ex iis, quae supra de relatione SS. Trinitatis ad opera divina externa dicta sunt, esse dubium. Hinc et revera a SS. Patribus modo SS. Triadi [1], modo Patri [2], modo Verbo [3] tribuitur.

§. 14. Modus gubernationis.

Mundus, licet unus, in duas tamen abit partes, a se essentiâ diversas, mundum scilicet physicum et moralem; quorum ille, utpote rebus ratione carentibus constans, necessitati paret, hic vero, naturas intelligentes comprehendens, libertate ad

[1]) Augustin. *De ver. relig. c. 7. n. 13.* Opp. T. 1. c. 752. — Athan. *Epist. 1. ad Serap. n. 24.* Opp. T. 1. P. 2. p. 673. *n. 28.* p. 676. *Epist. 3. n. 5.* p. 694.

[2]) Athanas. *In illud: „Omnia mihi tradita sunt.“ n. 1.* T. 1. P. 1. p. 103 *s.*

[3]) Iren. *Cont. haer. l. 5. c. 18. n. 3.* p. 315. — Clem. *Strom. l. 7. n. 2.* Opp. T. 2. p. 831 *ss.* — Athanas. *Cont. Gent. n. 42—44.* T. 1. P. 1. p. 41—43. *De Incarn. Verb. n. 17.* p. 61. — Petr. Chrysol. *Serm. 21.* p. 38. c. 2. f. — Euseb. *Dom. Evang. l. 4. c. 2.* p. 146. Cf. Petav. *De Deo, l. 8. c. 1—4. De dogm. theol.* Antv. 1700. T. 1. p. 314—29.

finem suum tendit. Quapropter et, ut supra jam monuimus, gubernatio divina, quum pro summa, quae Dei est, sapientia indoli rerum convenire debeat ac adcommodari, spectata harum natura, alia mundi physici et alia mundi moralis sit necesse est. Et hinc gubernatio physica, sequens naturam rerum ratione ac libertate destitutarum, vim necessitantem in easdem exserit, ita ut non possint non finem sibi praestitutum obtinere, ut pariter jam supra diximus. Gubernatio vero moralis, naturam libertate praeditam respiciens, tribus quodammodo constat partibus sive actionibus, ipsaque efficitur: primo, ut omnes omnino homines seu naturae rationales finem suum, moralem perfectionem seu conjunctionem cum Deo, summo Bono, consequi possint; deinde, ut illi, qui sincere voluerint, illam revera consequantur; tum, ut omnibus aliquando dignitati ipsorum condigna sors contingat. Quaevis alia mundi moralis gubernatio aut libertatem nostram laedit, aut Deo est indigna.

Quod autem ad ulteriorem modum gubernationis mundi divinae attinet: ipsa, uti rerum conservatio, partim mediata, partim immediata est. Si enim gubernatio per omnia immediata esset: necessario subsistentia rerum, qua tamquam substantiae a Deo diversae, seu per se, voluntate ipsius exsistunt, tolleretur. Si vero per omnia tantum mediata obtineret: aut naturae intelligentes deberent desinere esse liberae, aut vero fines divini possent everti. Gubernat itaque Deus mediate mundum physicum per leges naturales, quibus vires rerum creatarum omnium adstrinxit, et etiam mundum moralem per legem moralem, quam nobis per rationem et revelationem tulit; sed gubernat etiam mundum immediate. Etenim quoniam homo sibi relictus nunquam ad sui conscientiam, et ideo etiam Dei cognitionem, cultumque evectus fuisset; porro quia ipse per abusum libertatis mundi ordinem moralem ac physicum perturbavit, imo, quantum in ipso erat, destruxit; atque insuper et nunc homo consilia divina per eumdem libertatis abusum irrita reddere, absolute loquendo, potest: necessarium erat ac est, ut Deus per revelationem primaevam educationem hominis in se susciperet, atque per revelationem subsequam datam et conservatam ordinem per peccatum disturbatum restitueret, et ut continuo, quam primum per perversam hominum agendi rationem consilia sua everti possent, actionem externam, illaesa libertate, immediatâ pariter suâ efficientiâ impediat, vires aut etiam

vitam mala meditantibus auferendo, ut in Sodomitis [1]) et Aegyptiis Israëlitas persequentibus [2]) factum est, aut occasionem peccati removendo velut in Saule [3]), aut vero majorem potentiam opponendo, ut in Absolone accidit [4]).

Ex hac gubernationis divinae descriptione porro intelligitur, quod per eam vis, necessitasque nobis minime inferatur, seu libertas nostra haud tollatur, quamvis Deus in suis dispositionibus nunquam fallatur. Nam, ut diximus, Deus mundum moralem gubernando nonnisi efficit, ut consecutio finis nostri ultimi cuilibet reddatur possibilis, et solummodo eos, qui voluerint, ad huncce adducat. Hinc nemo salutem suam, nisi voluerit, consequitur. Ex altera parte autem, licet homo libertate sua abutendo fines quidem, etiam quos Deus absolute vult, irritos reddere posset; quum usus libertatis non ad interna, quae ad nos attinent, restringatur, sed et in effectibus externis locum obtineat: id tamen nunquam eveniet, quoniam effectus externi, consiliis divinis contrarii, illaesa voluntatis nostrae libertate praepediri ac tolli possunt, et etiam a Deo praepediuntur ac tolluntur. Neque asseri potest, saltem in iis, qui saluti suae operam non navant, Deum consilio suo frustrari; nam finem illum ultimum, quem Deus absolute intendit, ut se scilicet perfectum, sanctum ac justum in nobis exhibeat, in quovis assequitur; finem autem proximum, moralem nostram perfectionem, cui desumus, aut a qua deficimus, non vult absolute, sed tantum hypothetice, eatenus scilicet tantum, quatenus nos voluntati ipsius obsecuturos esse praevidet.

Caeterum etiamsi vera indoles necessitudinis ejus, quae obtinet inter libertatem hominis et providentiae seu gubernationis divinae efficacitatem intellectui demonstrari, ab eoque plane comprehendi non posset: neutram tamen ideo in dubium vocare possemus; cum utraque manifeste per revelationem divinam tradatur, imo per ipsum sensus nostri intimi atque rationis testimonium sit evicta, ut nemo sanus suique conscius persuasionem de sua libertate deponere, aut vero necessitatem gubernationis divinae in mundo contingenti negare queat;

---

1) Gen. 19, 9 ss.
2) Exod. 14, 27.
3) 1. Reg. 19, 11 ss.
4) 2. Reg. 18, 1 ss.

quunique nos insuper minime latere possit, quam plurima dari in humanis, aliisque rebus, quorum modi intelligentiam nostram fugiant, quamquam ipsa sint certissima.

§. 15. Theodicaea.

Quod si vero Deus sanctissimus, benignissimus ac justissimus gubernat mundum: quomodo mala in mundo exsistere possunt, tam moralia quam physica, quorum illa perfectioni morali, ad quam naturae rationis participes a Deo creatae sunt, repugnant, haec autem earumdem et reliquarum felicitatem impediunt aut tollunt, et ideo cum sanctitate ac benignitate divina reconciliari haud posse videntur? et quomodo tanta anomalia ac inaequalitas sortis externae in singulis hominibus cum eorum dignitate morali saepius deprehenditur, ita ut dum justi summis premantur malis, improbi affluant omnis generis bonis?

Attamen non sunt haecce talia, quae cum divina providentia componi non possint; licet fides in antecessum persuasissimum habeat, mundum non obstantibus illis malis atque illa felicitatis disconvenientia esse Deo provido, sapientissimo, benignissimo ac sanctissimo dignissimum.

Quod jam primo ad exsistentiam mali moralis seu peccati attinet: haec ex iis, quae supra de modo gubernandi mundum moralem disputavimus, prorsus nullam parit difficultatem. Nam Deus peccatum non efficit, sed tantum permittit, idque solummodo propterea, quoniam secus homini libertatem adimere, et ideo omni dignitate eum exuere deberet; illa enim instructi sumus actionum nostrarum domini, ad honestatem ac virtutem sectandam idonei, cui absolutum inest pretium, et per hanc ad felicitatem eniti possumus inenarrabilem. Quodsi autem liberi sumus: possibilitas a nostro fine aberrandi seu peccandi nobis data sit necesse est; haec enim ad naturam entis rationalis finiti necessario pertinet, et ab illo, quamdiu in praeparationis stadio versatur, abesse prorsus non potest.

Quoad mala physica vero in mundo observandum est:

1. Malum saepe non est, quod malum nobis in praesentia esse videtur; quin imo quae a nobis, caligantibus oculis res contemplantibus, mala aut nociva existimantur, ad totam rerum compagem relata, sunt necessaria, et non raro nobis-

met ipsis proficua [1]). Omnia enim inter se aptissime sunt connexa, nos autem, qui totum perspicere non possumus, deformitate partium facile offendimur, assimilati iis, qui intrantes officinam alicujus artificis rationem ac usum variorum instrùmentorum haud intelligunt, aut qui legere nescientes monstrosas formas litterarum in charta depictarum rident. Displicet sane color niger, sed in pictura cum toto pulcher est [2]).

2. In mundo, in quo regnat peccatum, mala physica prorsus sunt necessaria, partim ad homines peccantes puniendos, partim ad eos emendandos et ad altiora evehendos, quum virtus dumtaxat per varia rerum discrimina exerceatur ac perficiatur [3]). Denique

3. etiam hoc non est praetermittendum, in mundo creato nil absolute perfectum esse posse. Quaecumque a Deo facta sunt, bona quidem sunt, sed haud (absolute) perfecta; bona, quia a Deo, imperfecta, quia facta.

Quoad disconvenientiam tandem inter hominis internam dignitatem atque externam ejus sortem advertendum est:

1. Non omnes, qui videntur justi ac probi, revera semper justi sunt; et ita etiam nequaquam omnes, qui mali habentur, vere improbi sunt. Homo cernit, quae parent, Deus autem intuetur cor. Quapropter et monet Apostolus: *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus* [4]).

2. Vera virtus jam remuneratione interna, animi scilicet tranquillitate ac beatitate, quae in his terris sane bonorum omnium est maximum, et una suavissimum aerumnarum lenimentum, atque saepe etiam externa felicitate non caret [5]). Impius vero, quamvis commodis, voluptatibusque affluat, vera felicitate, veroque gaudio privatur, utpote pectus remorsibus conscientiae dilaniatum ubique secum gestans, et insuper non raro, licet saepe post longum intervallum, res suas secundas in adversas commutatas, sibique inflictas poenas promeritas videt [6]).

---

[1]) Cf. Sap. 4, 11. 14. — Ps. Prosper, *Carm. de provid.* Opp. c. 785—824. — Ambros. *Hexaëm. l. 1. c. 8. n. 31. l. 3. c.* 9. Opp. T. 1. c. 18. 47, s.

[2]) Augustin. *De ordin. l. 1. c. 7.* Opp. T. 2. c. 322.

[3]) Cf. Origen. *Cont. Cels. l. 6. n. 44.* Opp. T. 1. p. 666.

[4]) 1. Cor. 4, 5.

[5]) Cf. Ps. 96, 10. 11. Is. 3, 10.

[6]) Cf. Ps. 36, 38 ss. 72, 1 ss. Job. 15, 20 ss. Augustin. *Enarr. in Ps. 53. n. 8.* Opp. T. 4. c. 497 s. *Omnes Sancti adjuvantur a Deo, sed intus,*

3. Nemo justorum ab omni prorsus labe immunis est [1]), quemadmodum et nemo ita corruptus, ut quaedam non peragat bona. Deus autem justissimus, prout pro minimo peccato infligit congruam poenam, ita pro minimo opere bono congruam largitur mercedem. Quod si ergo Deus his in terris jam bonum, quod faciunt mali, quos post mortem felicitas manet nulla, remuneratur, et malum in bonis punit, ut statim vita egressi, felicitate fruantur coelesti: quis eum injustitiae aut insipientiae insimulet?

4. Insuper malis physicis justi a vitiis retrahuntur, atque virtus in iis promovetur ac perficitur [2]); bonis vero physicis non raro homines peccatis dediti ad resipiscentiam excitantur; ita ut utraque, mala et bona, pro diversis media emendationis excitandae et virtutis promovendae sint.

5. Tandem gubernatio divina nequaquam in hocce mundo aspectabili absolvitur. Hic in stadio praeparationis tantum versamur, manetque nos altera vita, in qua harmonia illa inter dignitatem moralem atque felicitatem restituetur, cujus spem, metumve virtutis praemia, scelerisque supplicia in hac vita nondum aequa lance distributa fovent [3]).

Illa tamen bonorum inter omnes aequalis distributio, de

---

ubi nemo videt. Quomodo enim magna est poena impiorum conscientia, sic magnum gaudium piorum ipsa conscientia. Et al.

[1]) 1. Joan. 1, 8.

[2]) Cf. Rom. 8, 28. 18. 2. Cor. 4, 17. 12, 7. 1. Petr. 1, 6—7. 4, 1. Act. 14, 21. — Augustin. *Cont. Faust. l. 22. c. 20.* Opp. T. 8. c. 371 s. ubi inter alia ait: *Nullus enim hominum est tanta justitia praeditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem.*

[3]) Cf. Matth. 13, 28—30. 1. Cor. 15, 19. — Augustin. *De Trinit. l. 13. c. 16. n. 20.* T. 8. c. 941. *Declv. D. l. 20. c. 2.* T. 7. c. 574. — Gregor. M. *Mor. l. 23. c. 24. n. 46. s.* Opp. T. 1. c. 754. *Pio quidem Dei consilio agitur, ut hujus peregrinationis tempore electorum vita turbetur; via quippe vita est praesens, qua ad paradisum tendimus, et idcirco occulto judicio perturbatione conterimur, ut ne viam pro vita diligamus.* — August. *Enarr. in Ps. 48. n. 3.* T. 4. c. 436 s. *Tamdiu videtur herba laetior quam arbor, quamdiu hyems est. Herba enim per hyemem viget; arbor per hyemem quasi arida est: cum sol exierit ferventior tempore aestatis, arbor, quae per hyemem arida videbatur, expletur foliis, profert fructus, herba autem arescit: videbis honorem arboris, herba arida est. Sic et modo justi laborant, antequam veniat aestas.*

qua multi nostris diebus somniant, quamque tam vehementer anhelant ipsi, qui ea omnium minime essent digni, uti in se impossibilis, ita sapientissimis consiliis divinis contraria est, pro quibus in genere humano multa sint membra diversae conditionis ac dignitatis, unum tamen corpus necesse est [1]).

Observ. 1. Cum Deus sit, in quo vivimus, movemur et sumus, quique sollicitus est de rebus omnibus nostris, gratias ei agamus pro illis innumeris beneficiis, quibus jugiter accumulat nos.

2. Porro cum ipse sit, qui omnia juxta sapientissima sua consilia disponat ac dirigat:

a. Persuasum habeamus nil eorum, quae accidunt, sine sapientissimo consilio Dei seu casu aut fortuito accidere, *Dominus enim pauperem facit, et ditat, humiliat, et sublevat. Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem* [2]).

b. Ideo nostra sorte semper contenti simus, atque vera animi pietate nos, resque nostras divinae curae committamus, nec sollicitudine vana mentem nostram excruciemus, sed Deo confisi, ejusque regimini sapientissimo ac optimo, mentem per omnia hilarem geramus, et in omnibus, quaecumque obtingunt, adversis ad eum respiciamus, firmiter persuasi, omnia ab ipso sapientissime ordinari, et ne capillum quidem capitis nostri sine ipsius voluntate decidere [3]).

c. Attamen simul temerariam fiduciam vitemus, sed media naturalia ad mala vitae hujus avertenda adhibere, praecipue autem potentissimam opem divinam implorare haud negligamus. Quae vero a nobis auferre sapientiae divinae visum non fuerit, tamquam praesidia ad vitam honestam ducendam, beatamque assequendam ab ipsa nobis suppeditata, patienter perferamus; nam *non sunt condignae passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* [4]).

---

[1]) 1. Cor. 12, 12 ss. Quo respectu pulchre ait Theodoretus, *Graec. affect. cur. Serm. 6.* Opp. T. 4. p. 571. *Qui hanc rerum varietatem graviter ferunt eoque indignantur, quod non omnes eandem adepti sumus: pictores quoque accusent, quod non uno tantum colore utantur, sed ex variis imagines suas perpoliant. Accusent et lyrarum artifices ipsosque adeo fidicines, quod non aequalem eundem sonum chordae omnes emittunt. Etc.*

[2]) 1. Reg. 1, 7—8. Cf. Jac. 4, 13—15.

[3]) Cf. Hebr. 12, 6.

[4]) Rom. 8, 18.

Pars tertia.

De natura spirituali, seu de Angelis.

Αγγελογία.

§. 1. Ingressio.

Mundo universim considerato, ad singulas naturas creatas ex quibus componitur, convertimur, ut earum indolem et relationem ad nos, quatenus id ad salutem nostram consequendam necessarium est, cognoscamus.

Omnes quidem naturae creatae unum universum conficiunt, non tantum quoniam ex una, eademque origine emanarunt, ex nihilo scilicet per omnipotentiam divinam excitatae, et quoniam omnes omnino, utpote creatae, sunt finitae, atque hac ratione enti infinito oppositae [1]), sed praecipue quia ad se invicem referuntur, inter se invicem conjunguntur, et unaquaeque, licet finem sibi proprium praefixum habeat, simul propter alteram adest, aut utilitatem aliquam ex ea percipit. Attamen ideo nequaquam unum, idemque quoad substantiam sunt, verum potius ratione hujus a se invicem prorsus differunt; aliud enim est spiritus seu natura spiritualis, aliud φύσις, seu natura mundana, aliud homo, qui illam utramque in se conjunctam habet, et hinc jure ut alter mundus, seu μικρόκοσμος in μακροκόσμῳ considerari potest [2]), quum ipse in se coelos et terram consociatos gestet, nilque de mundo ei desit [3]). Quapropter mundus tribus constat regnis, a se ipsa substantia seu essentia, τῷ ὄντι, diversis, natura spirituali, corporali et humana. In qua sua ἑνότητι et τριάδι mundus, Dei trini una et ἔκτυπον et ἀντίτυπον exhibet; prius, quia mundus ut Deus, unus et trinus est, posterius autem quoniam Deus sub-

---

[1]) Hebr. 1. 10—12.

[2]) Cf. Gregor Naz. *Or. 34.* Opp. T. 1. c. 488 D.

[3]) Augustin. *Ad Oros. c. 8. n. 11.* Opp. T. 8. c. 616 ss.

stantiâ unus, et subsistentiâ seu exsistendi modo trinus, mundus vero substantiâ trinus, et subsistentiâ unus est, idque pariter nullam aliam ob causam, quam quia finitus est, et quidem per se, attamen non absolute exsistit, atque tantum, quatenus ejus capax est, imperfectam, haud in se necessariam, sui cognitionem, meram imaginem seu σκιὰν, et imperfectam pariter sui dilectionem, meram animi affectionem, exhibet, ideoque realem distinctionem, nisi sit substantiae seu essentiae, non admittit. Refert itaque mundus Dei imaginem, sed modo finito, atque est ejus revelatio, ast nequaquam absoluta[1]).

Cum ergo mundus triplex genus naturarum creatarum, a se ipsa essentia seu substantia distinctarum, comprehendat: jure doctrinam revelatam de his in tres partes dividimus, quarum praesens, ut supra jam dictum est, agit, de natura spirituali seu angelica, sequens de natura humana, et ultima de natura corporali, seu physica, vel, ut Concilium Later. IV. eam adpellat, mundana, quin tamen propterea mutuam harum trium universi partium necessitudinem negligamus.

§. 2. Notio Angeli.

Primum locum inter res creatas sine dubio tenet natura spiritualis, οὐσία πνευματική, perfectissimum ἔκτυπον Dei, quae sunt spiritus inter Deum et homines interjecti, quos caeteri *daemones* sive *genios*, nostri autem *Angelos* adpellarunt[2]), una autem diversis his denominationibus diversas notiones subjicientes.

Ex mente Ecclesiae Catholicae nomine Angelorum intelliguntur naturae spirituales, finitae, hominibus superiores, quae terram hanc quidem saltem modo sensibili non incolunt, attamen nobiscum connectuntur, atque salutem nostram vel promovere, vel vero etiam impedire satagunt, pro sua scilicet vel bona vel mala indole. Unde et Angeli boni et mali discernuntur.

Observ. 1. Angeli boni, praeter quam quod *boni*[3]) cognominentur in SS. Litteris, etiam *Angeli electi*[4]), *Angeli lucis*[5]),

[1]) Cf. Rom. 1, 19—20.
[2]) Cf. S. Augustin. *De civ. D. l. 9. c. 19.* Opp. T. 7, c. 233.
[3]) 2. Mach. 11, 6. 15, 23.
[4]) 1. Tim. 5, 21.
[5]) 2. Cor. 11, 14.

Angeli coelorum[1], *Angeli Domini*[2], *Angeli Dei*[3], *Angeli virtutis Domini*[4], *ministri Dei*[5], *Sancti*[6], *Filii Dei*[7], vel simpliciter *Angeli* adpellantur. Nomen עִיר, *ἐγρήγορος*, *vigil*, Syris valde usitatum, tantum apud Danielem[8] legitur. Nomina propria, singulis Angelis tributa, tria in SS. Libris canonicis, *Michaëlis*[9], *Gabrielis*[10] et *Raphaëlis*[11], occurrunt. In libris apocryphis, l. 4. Esdrae[12] et l. Henoch, etiam *Uriel* commemoratur; quibus medio aevo adhuc alia, *Raguelis, Tubuelis, Iniae, Tubuae, Simielis, etc.* adjecta sunt[13], sed a Conc. Rom. a. 745.[14] rejecta. — Mali Angeli autem dicuntur *spiritus mali, spiritus nequam, πνεύματα πονηρά, πνευματικὰ τῆς πονηρίας*[15], *spiritus immundi, πν. ἀκάρθα*[16], *daemones, δαίμονες*[17], *daemonia, δαιμόνια*[18], *mundi rectores tenebrarum*, *κοσμοκράτορες τοῦ σκότους*[19], *Angeli diaboli, ἄγγελοι τοῦ διαβόλου*, i. e. *τοῦ πονηροῦ κατ' ἐξοχήν*[20]; porro adpellatur malus daemon *diabolus, διαβόλος*, i. e. adversarius[21], *satan*, שָׂטָן, eodem significatu[22], *tentator, πειράζων*[23],

---

1) Matth. 24, 36.
2) Matth. 1, 20.
3) Gen. 31, 11.
4) 2. Thess. 1, 7.
5) Ps. 102, 21.
6) Dan. 4, 10. 8, 13. Zach. 14, 5. Ps. 88, 8.
7) Job. 1, 6. 2, 1. 38, 7.
8) Dan. 4, 10. 20.
9) Dan. 10, 13. 12, 1. Jud. 9. Apoc. 12, 7.
10) Dan. 8, 16. 9, 21. Luc. 1, 19. 26.
11) Tob. 3, 25.
12) 4. Esdr. 4, 1. 5, 20.
13) Cf. Wiest. *Inst. theol.* Ingolst. 1782 ss. T. 4. p. 783.
14) *Act. 3.* Manai, *Coll. Conc.* T. 12. c. 379 s.
15) Luc. 7, 21. 8, 2. Matth. 12, 45. Act. 19, 13. Ephes. 6, 12. etc.
16) Matth. 10, 1. 12, 43. Marc. 1, 23. 26. 3, 11. Luc. 4, 36. 6, 18. 8, 29. 11, 24.
17) Matth. 8, 31. 9, 34. Jac. 2, 19.
18) Luc. 8, 30. 33. 35. 9, 1. 1. Cor. 10, 20.
19) Ephes. 6, 12.
20) Matth. 25, 41. Apoc. 12, 7.
21) 3. Reg. 21, 13. Sap. 2, 24. Matth. 13, 39.
22) Luc. 11, 18. Matth. 12, 26. Act. 26, 18. Apoc. 20, 2.
23) Matth. 4, 3. 1. Joan. 3, 8.

mendax et homicida ab initio [1]), *malignus*, *πονηρός* [2]), ***Belial***, בְּלִיַּעַל [3]), *Angelus abyssi* [4]).

Observ. 2. Nomen *ἄγγελος*, ut jam observarunt Augustinus [5]) et Gregorius [6]), proprie officii nomen est, non naturae; significat enim sicut Hebraeorum מַלְאָךְ, *missum* seu *nuntium*. Quare quisquis legatione aliqua fungitur, *ἄγγελος* adpellari potest. Et hinc revera illo nomine in SS. Litteris insigniuntur nuntii quivis [7]); deinde autem speciatim *Angeli* nominantur, qui legatione divinâ funguntur, et quidem tam ordinariâ, quo sensu Propheta [8]) Sacerdotes A. T., et Apostolus [9]) Episcopos *Angelos* cognominant, quam extraordinaria, quo significatu praecursor Domini [10]), imo ipse Christus Dominus *Angelus testamenti* [11]), et *Λόγος* jam in A. T. salute hominum occupatus, מַלְאַךְ יְהוָה [12]), ex sententia SS. Patrum nuncupatur. Quin imo res etiam mente ac sensu carentes, dum a Deo adhibentur ad voluntatem ipsius impiendam, tamquam instrumenta ejus providentiae, justitiaeve, veiut grando, ignis urens, venti validi, etc., Angelorum nomine veniunt [13]). Attamen pedetentim jam tempore antiquae oeconomiae usus invaluit, et eo magis deinde in Ecclesia obtinuit, ut *Angelorum* nomine nonnisi spiritus illi ordinis superioris, medii inter Deum et hominem, iique communiter boni, designarentur; quamvis subinde damnati quoque spiritus Angeli vocentur. Porro hoc sensu vocabulum acceptum, jam latius pro quolibet spiritu beato [14]), cujuscumque demum sit ordinis ac gradus, jam strictius sumitur, quando scilicet pro solis angelicis spiritibus ultimi ordinis usurpatur.

---

1) Joan. 8, 44.
2) 1. Joan. 2, 13 s.
3) Deut. 13, 13. 1. Reg. 2, 12. 2. Cor. 6, 15.
4) Apoc. 9, 11.
5) *In Ps. 103. Serm. 1. n. 15.* Opp. T. 4. c. 1140.
6) *Hom. 34. n. 8.* Opp. T. 1. c. 1604.
7) Num. 20, 14. Is. 18, 2. 33, 7. Jos. 6, 17. Luc. 7, 24. 9, 52, Jac. 2, 25.
8) Mal. 2, 7.
9) Apoc. 2, 1. 8. etc.
10) Mat. 3, 1. Matth. 11, 10. Marc. 1, 2. Luc. 7, 27. Cf. 2. Paral. 36, 15. 16.
11) Mal. 3, 1.
12) Cf. Gen. 10, 7 ss. 21, 17 ss. 22, 11 ss. 48, 15 s. etc. Cf. Hengstenberg, Christologie des A. T. 1. B. p. 215 ss.
13) Huc multi trahunt verba Ps. 77 (78), 49. et 103(104), 4.
14) Cf. Ps. 96, 7. Marc. 13, 32.

— Simili ratione quoque vocabulum δαίμων genericum est, et tam de bonis, quam de malis spiritibus superioris ordinis adhiberi potest, et etiam a Scriptoribus profanis adhibetur, quapropter et κακοδαίμονες atque εὐδαίμονες distinguuntur; in S. Scriptura tamen δαίμων nonnisi Angelum malum seu diabolum denotat.

§. 3. Exsistunt Angeli a Deo creati.

Angelos exsistere, jam ratio non improbabili illatione colligit ex consideratione naturae humanae, utpote ex natura spirituali et corporali compositae, quarum hanc per se subsistentem videt, et ideo illam quoque pariter per se subsistere suspicatur, nec non ex contemplatione naturae mundanae, ab inferiori gradu ad superiorem ascendentis. Quapropter et fidem in genios, etsi ab Angelis, de quibus nos revelatio divina certos reddit, diversos apud populos gentiles invenimus, nec non a multis philosophis eos admissos fuisse legimus.

Interim tamen sunt alii, Materialistae, qui nihil esse existimantes, nisi quod sensu apprehendi possit, exsistentiam spirituum generatim, et ideo ipsius Dei quoque inficiantur. Quibus accensendi sunt Sadducaei, qui teste S. Scriptura asserebant, *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum* [1]; nec non Pantheistae omnes, secundum quos Deus jam in homine ad perfectam sui conscientiam evehitur, ita ut ei spiritu quovis superiori haud sit opus. Praeter hos autem adversantur doctrinae de Angelorum exsistentia etiam Anabaptistae et Rationalistae, qui Angelos aut affectiones tantum, motusque animi significare, aut vana phantasiae figmenta esse, a Chaldaeis et Assyriis excogitata, atque a Judaeis in captivitate adoptata, contendunt, Christum et Apostolos autem se falsis opinionibus adcommodasse, aut vero nonnisi usitatam cogitandi ac loquendi rationem secutos esse, statuunt, vel vero esse rem tantum dubiam, cui fides minime praestari queat, praecipiunt [2]).

Attamen revelatio exsistentiam Angelorum, bonorum ac malorum, clare ac indubitate tradit, simulque eos a Deo creatos, non autem, ut Gnostici, Manichaei ac Priscillianistae somniarunt, ex Deo progenitos esse aut profluxisse ostendit, et Ecclesia contra adversarios laudatos publica doctrina ac fidei professione tuetur ac confirmat. Et quidem

---

1) Act. 23, 8.

2) Cf. Wegscheider, *Inst. Theol. chr. dogm.* L. 1844. p. 387 s.

A. SS. Litterae partim Angelorum adparitiones commemorant, partim definitis verbis Angelos exsistere affirmant. Sic

a. narrant, Angelos adparuisse Abrahamo ante eversionem Sodomorum [1]), et iterum cum manum extendisset, ut filium suum Isaac immolaret [2]); deinde Hagari [3]); tum Lotho, quem cum uxore et duabus filiis Sodomis educentes ab interitu liberarunt [4]); post, Angelum Raphaëlem missum esse ad Tobiam, qui hunc et Saram Raguelis filiam curaret [5]), atque Gabrielem ad Danielem, ut ei prophetiam de Rege impudente [6]), et iterum de septuaginta hebdomadibus adferret [7]), ut alias adparitiones Prophetis et viris sanctis factas praetermittamus [8]). Et haec quidem occurrunt in libris A. T.. — In libris autem N. F. legimus, adparuisse Angelum Zachariae, cui nativitatem filii praedicit, huncque Joannem vocari praecipit [9]); dein Mariae, conceptionem et nativitatem Messiae annuntiantem [10]); tum visos fuisse Angelos, quum Jesus nasceretur, atque hunc natum pastoribus annuntiasse [11]); postea Christo post jejunium et devictum satanam ministrasse [12]), ipsum agonizantem confortasse [13]), ejus resurrectionem ad sepulchrum [14]), et quum in coelum ascenderet, ejus secundum adventum annuntiasse [15]); tandem Angelum Apostolos [16]), et iterum Petrum e carcere liberasse [17]). Ad nostram scilicet salutem promovendam creati, praecipue tunc comparent, ubi de hac modo extraordinario provehenda agitur. Porro

1) Gen. 18, 1 ss.
2) Gen. 22, 11 ss.
3) Gen. 21, 17. 16, 7 ss.
4) Gen. 19, 1 ss. Cf. 28, 12.
5) Tob. 3, 25. 5, 5 ss.
6) Dan. 8, 16 ss.
7) Dan. 9, 21 ss.
8) Jud. 13, 2. 20. 3. Reg. 19, 5. 4. Reg. 1, 3.
9) Luc. 1, 11 ss.
10) Matth. 1, 20 ss. Luc. 1, 26 ss.
11) Luc 2, 9 ss.
12) Matth. 4, 11.
13) Luc. 22, 43.
14) Matth. 28, 2 ss. Marc. 16, 5 ss. Joan. 20, 11 ss.
15) Act. 1, 10 ss.
16) Act. 5, 19 s.
17) Act. 12, 7 ss. Cf. Act. 27, 23 ss. Apoc. 10, 1 ss. 12, 7 ss. 19, 1 ss.

b. tradunt, Deum hominem minuisse paulo minus ab Angelis, i. e. paulo inferiorem Angelis instituisse [1]); Angelis hominum custodiam demandasse [2]); Angelos pusillorum in coelis semper videre faciem Patris, qui in coelis est [3]); eos diem judicii nescire [4]); filium hominis venturum esse in gloria Patris sui cum Angelis, ut reddat unicuique secundum opera ejus [5]); magnum gaudium fore coram Angelis super peccatore poenitentiam agente [6]); homines in altera vita aequales Angelis futuros [7]); atque Christum declarare, se omnem, quicumque ipsum confessus fuerit coram hominibus, confessurum esse coram Angelis Dei [8]), et impetrare a Patre potuisse plus quam duodecim legiones Angelorum [9]). Porro Apostoli fideles adjurant coram Deo, et Jesu Christo, et electis Angelis [10]); affirmant, Angelos Filium Dei adorare [11]), esse omnes administratorios spiritus in ministerium missos propter eos, qui haereditatem capient salutis [12]), esse per Filium Dei creatos [13]), ei subjectos [14]), desiderareque cognoscere ea, quae Deus salutis nostrae causa fecerit [15]); atque fideles a falso et superstitioso cultu Angelorum avocant, cum Christus caput sit, ex quo totum corpus crescat in augmentum Dei [16]), quod certo felicius praestitissent, si plane Angelos non exsistere dixissent, sicut dicunt ab idololatria avocantes, nihil esse idolum [17]).

In his omnibus effatis manifeste Angeli tamquam vere naturae ratione praeditae, seu personae describuntur, una autem

1) Ps. 8, 6. Hebr. 2, 7.
2) Ps. 90, 11. Cf. 33, 8.
3) Matth. 18, 10.
4) Matth. 24, 36. 13, 32.
5) Matth. 16, 27. 25, 31. 24, 31. 13, 39.
6) Luc. 15, 10.
7) Matth. 22, 30. Luc. 20, 36.
8) Luc. 12, 8.
9) Matth. 26, 53.
10) 1. Tim. 5, 21.
11) Hebr. 1, 6.
12) Hebr. 1, 14.
13) Col. 2, 18.
14) 1. Petr. 3. 22.
15) 1. Petr. 1, 11—12.
16) Col. 2, 18. 19.
17) 1. Cor. 8, 4.

a Deo distinctae; cum aperte talia eis attribuantur, quae nonnisi naturis rationalibus adscribi possunt, atque a Deo creati et tamquam ei per omnia subjecti praedicentur. Falso itaque adstruitur, esse sub Angelis solummodo perfectiones divinas subintelligendas, aut plane esse illos entia mere imaginaria. Verum et illud assertum omni veritate destituitur, doctrinam S. Scripturae de Angelis repetendam esse a Chaldaeis et Assyriis: quum, ut vidimus, Angeli in libris sacris ante captivitatem exaratis, historicis aeque ac poëticis, et quidem quam saepissime ac clarissime commemorentur. Insuper ex doctrina Gentilium genii ac daemones a divinitate non differunt, nisi gradu, utpote e Dei substantia profluentes, aut a Deo geniti; cum tamen in SS. Litteris Angeli per omnia tamquam a Deo conditi exhibeantur. Et sane quantum distat monotheismus a polytheismo, tantum quoque differt doctrina S. Scripturae de Angelis a doctrina de geniis seu daemonibus Gentilium. Quominus de meris dicendi formulis, παροιμιαζομένοις λόγοις (sprüchwörtlichen Redensarten) in effatis Christi et Apostolorum cogitemus, ipse illorum tenor prohibet. Adcommodationi autem Christi et Apostolorum dogmaticae obsunt illius divina natura et horum inspiratio, nec non ipse finis muneris docendi, quod Salvator et discipuli ejus nomine obibant.

Quae hucusque in medium prolata sunt S. Scripturae testimonia, exsistentiam Angelorum bonorum evincunt. Attamen quemadmodum SS. Litterae indubitate tradunt, esse Angelos bonos ita quoque manifeste docent, exsistere Angelos malos, seu daemones. Etenim in libro Job sine dubio omnium antiquissimo, saepius de satana sermo fit [1]; in libris Regum et Paralipomenon legitur, spiritum nequam Saulem perturbasse [2], satanam Davidem, ut numeraret Israël, concitasse [3], spiritumque mendacem in ore pseudo-prophetarum fuisse [4]; atque in libro Sapientiae docetur, invidia diaboli mortem introivisse in orbem terrarum [5]. Insuper ubique cultus idolorum tamquam cultus daemonum exhibetur [6]. Sed si nulla etiam mentio

[1] Job. 1, 6 ss. 2, 1 ss.
[2] 1. Reg. 16, 14.
[3] 1. Par. 21, 1.
[4] 3. Reg. 22, 22. Cf. Zach. 3. 1. Tob. 8, 3.
[5] Sap. 2, 23. 24.
[6] Deut. 32, 17. 2. Par. 11, 15. Ps. 95, 5. 105, 37. Bar. 4, 7. 1. Cor. 10, 20.

in libris V. T. daemonum fieret: sufficiunt utique manifestissima in N. T. effata. Nam Christus Dominus Pharisaeis blasphemantibus, quod in Beelzebub, principe daemoniorum, ejiciat daemonia, longe abest, ipse, qui alias errores adversariorum suorum summa libertate profligat, ut neget, diabolum exsistere, quo certo illos de falsitate calumniae sibi inflictae quam facillime convicisset, et malignas eorum linguas retudisset, sed potius ita de hac re disserit, se tamquam adversarium diaboli, ejusque regni fortiorem exhibens, ut quilibet adstantium persuasum habere deberet, illum exsistentiam daemonum non tantum non impugnare aut dissimulare, sed confirmare ac tradere velle [1]). Porro Salvator, ubi iterum adversus incredulos Pharisaeos disputat, hisce inter alia eos increpat verbis: *Vos ex patre diabolo estis,* i. e. patrem malum daemonem habetis: *et desideria patris vestri vultis facere,* ejus malis cupiditatibus obsequi studetis. *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit: quia non est veritas in eo,* in rectitudine non perseveravit, ab ea effectus alienissimus: *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est; et pater ejus,* cum malum vos edocet, pro suo genio agit, siquidem perversus est, et perversitatis parens [2]). Quo loco certe omnis ad erroneas Judaeorum opiniones adcommodationis suspicio excluditur; cum sane nemo studio animos audientium sibi conciliandi ductus, hosce ejusmodi affatur verbis, illos necessario exasperantibus. Nec non ubi seorsim ad Apostolos verba facit, quos ab erroribus Judaeorum revocat, quibusque datum esse nosse mysteria regni coelorum, affirmat [3]), ita loquitur, ut illi, si nondum daemonem dari credidissent, necessario in hanc fidem adducerentur. Sic discipulis parabolam zizaniorum exponens, ait, inimicum qui seminaverit zizania, esse diabolum [4]), et parabolam seminantis explicans, diabolum esse, qui verbum Dei tollat de corde hominum, ne salvificant [5]); porro ad Simonem dicit, satanam Apostolos expetivisse, ut cribraret, sicut triticum [6]); atque affirmat, se

1) Matth. 12, 24 ss. Luc. 11, 15 ss. Marc. 3. 22 ss.
2) Joan. 8, 44.
3) Matth. 13, 11.
4) Matth. 13, 39.
5) Luc. 8. 12. Matth. 13, 19.
6) Luc. 22, 31.

in judicio novissimo injustos discedere jussurum *in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus* [1]). — Paulus autem, haud timidus superstitionis Judaicae impugnator, fideles admonet: *Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiae, et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere, et galeam salutis assumite, et gladium spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem, et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, et in ipso vigilantes* [2]). *Ut non circumveniamur a satana: non enim ignoramus cogitationes ejus* [3]). Petrus: *Sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret: cui resistite fortes in fide* [4]). Et Joannes: *Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat*, i. e. qui peccat, diabolo similis est, qui statim a mundi creatione peccare coepit, et nunquam peccare desinit [5]). Deinde etiam N. T. Scriptores passim idololatriam, nec non persecutiones Ecclesiae, hominum incredulitatem, diabolo adscribunt. Non uti autem, in locis laudatis quoque Christum atque Apostolos solummodo usitatis meris dicendi formulis, quivis primo obtutu sentit, quemadmodum et quivis falsis opinionibus haud praeoccupatus intelligit, neque Christum Dominum, Dei Filium ac regni divini in terris fundatorem, neque Apostolos, Legatos divinos, a Spiritu S. omnem veritatem edoctos, superstitionem, si qua in fide Judaeorum in daemones fuisset, dissimulare potuisse, nedum auctoritate sua tueri ac confirmare, quin ullum indicium alterius sententiae insinuaverint.

B. Patres autem non tantum uno ore exsistentiam Angelorum tum bonorum tum malorum docent, sed et doctrinam hanc diserte Ecclesiae peculiarem declarant [6]), atque inter fidei

---

[1]) Matth. 25, 41. Cf. Joan. 14, 30. 12, 31.

[2]) Ephes. 6, 13—18.

[3]) 2. Cor. 2, 11. Cf. Act. 13, 10.

[4]) 1. Petr. 5, 8—9. Cf. 2. Tim. 2, 26. Jac. 4, 7.

[5]) 1. Joan. 3, 8.

[6]) Cf. Origen. *De princ. praef. n. 2—10.* Opp. T. 1. p. 47—49.

articulos referunt. *Angelos novimus ex fide*, ait S. Augustinus, *et multis apparuisse scriptum legimus; nec inde dubitare fas nobis erit* [1]). Et hinc nonnisi tam scriptum, quam traditum verbum divinum proponitur, quando in Catechismo Rom., exposita creatione coeli et terrae, docetur: *Praeterea spiritualem naturam, innumerabitesque Angelos, qui Deo ministrarent atque assisterent, ipse ex nihilo creavit, quos deinde admirabili gratiae suae, et potestatis munere auxit, atque ornarit* [2]).

C. Ratio autem doctrinam hanc de exsistentia Angelorum eo lubentius admittit, quum licet sibi relicta dari spiritus superiores certo cognoscere nequeat, id tamen, ut supra jam indicavimus, suspicatur. Nam cum una ambarum naturarum, ex quibus homo est compositus, corporea, per se subsistat: ratio, etiam alteram, spiritualem videlicet, per se subsistere, non improbabili illatione conjicit. — Haud improbabile porro est, quum mundus corporalis non unico, sed multis constet rerum ordinibus seu speciebus, quae a minus perfectis ad perfectiores ascendunt, et quasi continua serie decurrunt, junctae inter invicem arctissimo nexu progressionis, neque regnum spirituale uno tantum spirituum genere seu ordine, qui insuper ne per se quidem solus persistat, absolvi, sed quod in mundo physico observamus, etiam in mundo spirituali obtinere, et ita intervallum inter Deum, spiritum supremum, et inter homines, qui in infimo naturae rationalis gradu constituti sunt, spiritibus perfectioribus illis quodammodo repleri. — Denique Deus mundum creando se ad extra manifestare voluit, ita ut hic ipsius perfectum ἔκτυπον exsistat; et hinc non possunt in mundo deesse naturae pure spi-

---

[1]) *In Ps. 103. serm. 1. n. 15.* Opp. T. 4. c. 1140. Cf. Justin. *Apol. I. n. 6.* Opp. p. 47. *Dial. c. Tryph. n. 57. 79.* p. 162. 185 s. — Tatian. *Or. cont. Graec. n. 7. 8.* Ib. p. 263. 264. — Athenag. *Leg. pro Christ. n. 10. 24. 25.* Ib. p. 305. 322. 323. — Iren. *Cont. haer. l. 4. c. 37. n.* 6. p. 282 s. *l. 5. c. 23. n. 1.* p. 320. *c. 24. n. 4.* p. 322 etc. — Euseb. *Demonst. Evang. l. 3. c. 5.* p. 106 *s. l. 4. c. 6.* p. 155 *s. l. 5. c. 11.* p. 238. l. 4. c. 6. p. 155 s. — Cyrill. Hieros. *Cat. 15. n. 24.* Opp. p. 337. *Cat. 16. n. 23.* p. 256 etc. — Tertull. *Apolog. n. 22.* Opp. V. 1. p. 49 s. — Ambros. *Epist. 20. n. 15.* Opp. T. 2. c. 856. etc, — Lactant. *Div. instit. l. 2. c. 9.* Opp. T. 1. p. 143 s. — Augustin. *De civ. D. l. 8. c. 22.* Opp. T. 7. c. 299 s. etc. — Hilar. *In Ps. 129. n. 7.* Opp. T. 1. c. 494. Et rel. omn.

[2]) Ed. Vienn. 1833. p. 23.

rituales, quum secus recte perfectissima, quae dari potest, Dei imago in rerum natura desideraretur [1]).

Observ. Quod illorum sententiam attinet, qui putant, doctrinam de diabolo et daemonibus rationi repugnare: observamus, notionem biblicam Angeli sua culpa mali effecti tam parum rationi, vel potius sanctitati ac benignitati divinae adversari, quam parum notio hominis perversi sibi repugnat, et ideo minime, ut illi praecipiunt, narrationes biblicas de daemonibus jam propterea ad aniles fabulas esse amandandas.

§. 4. Continuatio.

Hos Angelos autem, sive bonos sive malos, non forsan, ut Gnostici, Manichaei et Priscillianistae somniabant, e divina substantia per generationem aut emanationem processisse, sed a Deo e nihilo procreatos esse, aeque dogmatica certitudine, ac Angelos exsistere, constat.

A. Moyses quidem mundi creationem enarrans disertam Angelorum mentionem haud facit: quoniam rerum solum aspectabilium (corporatarum), creationis hominis ac ejus divinae educationis, seu revelationis datae historiam pertexere sibi proposuerat. Attamen in decursu historiae suae non tantum, ut supra vidimus, Angelos commemorat, sed ubique tamquam Dei nuntios ac ministros describit, atque talibus characteribus distinctos exhibet, quibus appareat, illos a Deo diversos esse, et ab ipso per omnia pendere. — Quod autem auctor Pentateuchi magis tamquam cognitum et ab omnibus admissum ponit aut indicat, manifeste ac directe docetur in aliis S. Scripturae libris. Sic in Psalmis diserte traditur, Deum *minuisse* hominem *paulo minus ab Angelis*, i. e. paulo inferiorem Angelis constituisse [2]); *Angeli ejus ministri, qui faciunt voluntatem ejus*, declarantur, et inter *opera ejus* enumerantur [3]). Atque Apostolus definitis verbis ait: *Quoniam in ipso* (Filio) *condita sunt universa in coelis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive potestates: omnia*

---

[1]) Cf. S. Thom. *1. q. 50. a. 1.* Eschenmayer, Religionsphilosophie. Tüb. 1817—24. 3. B. p. 201 s. — Tübing. Quartalschrift. J. 1843. 1. H. p. 227.

[2]) Ps. 8, 6.

[3]) Ps. 102, 21—22. Cf. Dan. 3, 57.

per ipsum, et in ipso creata sunt [1]). Ubi sub invisibilibus, seu thronis etc., aperte spiritus superiores seu Angeli intelligendi sunt, uti jam inde clare elucet, quoniam invisibilia, utpote coelestia, visibilibus seu mundanis opponuntur, nec non ex aliis locis colligitur, in quibus Paulus docet, Christum in futuro saeculo constitutum esse ad dexteram Patris *in coelestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen* (seu omnem dignitatem), *quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro* [2]). Quae apud Petrum his verbis descripta occurrunt: *Qui* (Jesus Christus) *est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitae aeternae haeredes efficeremur: profectus in coelum, subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus* [3]).

B. Haec est porro unanimis Patrum doctrina, qui uno ore contra Gnosticos ac Manichaeos tradunt, omnes omnino Angelos a Deo, et quidem bonos conditos esse, malos autem per peccatum e bonis esse factos [4]). Quam veterem doctrinam deinde, quum error Manichaeorum saec. XII. instauraretur, solenni judicio in Conc. Later. IV. Ecclesia proposuit, definiens: *Unum universorum principium, creator omnium invisibilium et visibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, Ange-*

---

[1]) Col. 1, 16.

[2]) Ephes. 1, 20—21.

[3]) 1. Petr. 3, 22.

[4]) Cf. Iren. *Cont. haer. l. 2. c. 2.* p. 117 s. — Origen. *De princ. l. 1. c. 7. n. 1.* Opp. T. 1, p. 71 s. — Euseb. *Demonstr. Evang. l. 4. c. 1.* p. 145. — Basil. *Hexaëm. hom. 1. n. 2 ss.* Opp. T. 1. p. 2 ss. — Gregor. Naz. *Or. 42.* Opp. T. 1. c. 603. — Lactant. *Div. instit. l. 2. c. 9.* Opp. T. 1. p. 143 s. — Ambros. *Hexaëm. l. 1. c. 3. n. 1. c. 5. n. 19.* Opp. T. 1. c. 4. 9. Athenag. *Leg. pro Christ. c. 24.* Opp. Justin. p. 321 s. — Basil. *In Ps. 32. n. 4.* T. 1. p. 135 s. — Epiphan. *Haer. 65. n. 4.* Opp. T. 1. p. 611. Origen. *Comm. in Matth. t. 15. n. 27.* T. 3. p. 692 s. — Gregor. Naz. *Or. 12.* c. 179. — Chrysostom. *Ad Stagyr. l. 1. n. 2.* Opp. T. 1, p. 157. — J. Damasc. *De fid. orth. l. 2. c. 3. 4.* Opp. p. 155 ss. — Dionys. *De div. nom. c. 8. §. 4.* Opp. p. 776. — Hilar. *De Trinit. l. 12. n. 37.* Opp. T. 2. et 429. — Eucher. *Sup. c. 1. Gen. Bibl. PP.* Lugd. T. 6. p. 871. c. 2. — Constit. Apost. *l. 8. c. 7. 12.* Coteler. *PP. ap.* V. 1. p. 398. 403 s. *l. 6. c. 27.* p. 359.

licam videlicet et mundanam [1]). Caeterum jam Conc. Bracar. a. 563. constituerat: *Si quis animas humanas, vel Angelos, ex Dei credit substantia exstitisse, sicut Manichaeus et Priscillianus docuerunt; a. s.* [2]).

C. Tandem id ipsum secundum ea quae supra de creatione mundi disputavimus, ex ipsa rei natura sponte sua consequitur. Nam quodcumque praeter Deum exsistit, Deus non est, neque esse potest, sed est ens finitum; quod itaque nonnisi per actum creationis a Deo omnipotenti e nihilo ad exsistendum vocatum esse potest.

Quo autem tempore Angeli conditi fuerint, utrum ante hujus mundi aspectabilis creationem, ut plerisque Patribus Graecis placuit [3]), an post eandem, ut tenent plerique Patres Latini [4]), et quidem aut primo, aut secundo, aut quarto, aut sexto, aut plane octavo cosmogoniae Mosaicae die, an vero simul, ut pariter non nemo sensit [5]), nihil certi statui potest.

Certo autem inter omnes constat, universam Angelorum multitudinem eodem momento procreatam a Deo exstitisse, in qua doctrina consentiunt Patres omnes [6]).

§. 5. Natura Angelorum.

Quod ad naturam Angelorum attinet: alia fide dogmatica constant, alia non item. Dogmatice certum est, Angelos esse spiritus, i. e. naturas intellectu et voluntate praeditas, eosque finitos. Id docent

---

[1]) *C. 1. De fid.* C. Mansi, *Coll. Conc.* T. 22. c. 981—2.

[2]) *Can. 5.* Ib. T. 9. c. 775.

[3]) Cf. Basil. *Hexaëm. Hom. 1. n. 5.* Opp. T. 1. p. 5. — Gregor. Naz. *Or. 38. et 42.* Opp. T. 1. c. 547 s. 603 s. — Chrisost. *Ad Stagyr. l. 1. n. 2.* Opp. T. 1. p. 157 s. — Ambros. *Hex. l. 1. c. 5. n. 19.* Opp. T. 1. c. 9. *In Ps. 1. enarr. Praef. n.* 2. c. 737. — J. Dam. *De fid. orth. l. 2. c. 3.* Opp. T. 1. p. 158. Et al. Cf. Petav. *De Ang. l. 1. c. 15. n. 2—5. De theol. Dogm.* Antv. 1700. T. 3. d. 47 s.

[4]) Cf. Augustinus, *De civ. D. l. 11. c. 9.* Opp. T. 7. c. 278. *De Gen. ad litt. l. 2. c. 8.* T. 3. P. 1. c. 137. — Junilius, *De part. div. leg. dogm.* C. 2. c. 2. In Gailand. Bibl. P. 6. T. 12. p. 84. — Gennadius, De *eccles. c. 10.* Et al. Cf. Petav. l. c. *n. 6—11.* p. 48 s.

[5]) Cf. Hug. a S. Vict. *De sacr. fid. l. 1. p. 1. c. 5.* Opp. Rothom. 1648. T. 3. p. 489. *Sum. Sent. tr. 2. c. 1.* p. 436. — Magist. Sent. *l. 2. d.* 2. S. Thom. *1. q. 61. a. 3.* Opp. T. 20. p. 338 s. Et Theologi post Conc. Lateran. omnes.

[6]) Cf. Petav. l. c. *c. 16. n.* 2. p. 51.

A. SS. Litterae

a. eo, quod Angelos diserte spiritus, et quidem sensu proprio adpellent. *Nonne,* ait Apostolus, *omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium* (ad operam praestandam) *missi propter eos, qui haereditatem capient salutis* [1])? Atque Christus Dominus ipse de daemoniis ad Apostolos verba faciens: *In hoc,* inquit, *nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur* [2]). In quo utroque loco spiritus manifeste naturam intelligentem ac volentem significat. Deinde

b. eo, quod Angelis, tam bonis quam malis, intellectum atque voluntatem, quibus spiritus natura constat, tribuant. Scientiam, et quidem majorem hominum scientia, ast simul limitatam, Angelis Christus adscribit, quum de extremo judicio disserens ait: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in coelo, neque Filius hominis, nisi Pater* [3]). Intellectum autem et voluntatem Angelis attribuit Salvator, quando a scandalis avocans inquit: *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis,* i. e. qui voluntate tales sunt, quales aetate parvuli, humiles scilicet, simplices, ambitionis et invidiae expertes: *dico enim vobis, quia Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est,* i. e. Deo sunt conjunctissimi, unde et in promptu ipsis est, injurias clientibus suis illatas Deo judici ac vindici quasi exponere, atque eum ad illas ulciscendas excitare [4]), Et iterum: *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente* [5]). Quod uti factae resipiscentiae cognitionem, ita et voluntatem in bono obfirmatam arguit. Id ipsum inest verbis Petri: *Quae nunc nuntiata sunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis, Spiritu S. misso de coelo, in quem,* Christum videlicet, tamquam principem suum charissimum ac gloriosissimum, vel potius juxta textum originalem, *in quae, εἰς ἃ, desiderant Angeli prospicere* [6]). — Simili modo docetur, daemones cognovisse, Chri-

---

[1]) Hebr. 1, 14.

[2]) Luc. 10, 20. Cf. Math. 8, 16. Luc. 11, 26. Act. 23, 8. Ephes. 6, 12. Apoc. 1, 4.

[3]) Marc. 13, 32.

[4]) Matth. 18, 10.

[5]) Luc. 15, 10.

[6]) 1. Petr. 1, 12.

stum Filium Dei esse [1]), porro ipsos credere, ast contremiscere [2]), perverse agere, et homines ad perversitatem sollicitare [3]). Insuper

c. talibus officiis praeficiuntur, quae nonnisi naturae rationales exequi possunt [4]).

B. Quod autem ad sensum Patrum attinet: res adeo certa et ab omnibus admissa est, illos omnes unanimi ore, Angelos spiritus esse, docuisse, ut nec opus sit eorum effata hic in medium proferre; et si nonnulli eorum videntur Angelos corporeos habuisse, ut Tertullianus [5]) et quidam alii [6]), id nonnisi inde factum est, quoniam generatim de natura spiritus sinistre sentiebant.

C. Dogmatica tandem decisio prostat in definitione Concilii Later. IV. jam saepius laudata, in qua natura angelica et spiritualis, ut mundana et corporea, eadem declaratur, et ex utraque naturam humanam, ex corpore organico et anima rationali constantem, esse compositam statuitur; adeoque, ni directe, certo indirecte veritas nostra solenni illo judicio fidelibus credenda proponitur.

Porro Angelos, seu naturas illas spirituales, inter Deum et homines intermedias, quoad vires suas nativas intellectus et voluntatis nobis praestantiores esse, nullo quidem solenni Ecclesiae judicio definitum, attamen certissimum est, et tam in SS. Litteris quam a SS. Patribus clare enuntiatum. Etenim in illis diserte docetur, hominem a Deo inferiorem Angelis esse constitutum [7]); deinde de die judicii ne ipsos Angelos quidem, et eo minus itaque homines scire [8]) traditur; tum intel-

---

1) Marc. 1, 34. Luc. 4, 41.

2) Jac. 2, 19.

3) Joan. 8, 44. 1. Joan. 3, 8. 1. Petr. 5, 8. Ephes. 6, 11—18.

4) Cf. Matth. 1, 18 *ss.* 4, 11. 24, 31. Ps. 90, 11. Zach. 1, 9. Job. 4, 18. 2. Petr. 2. 4.

5) *De carne Christ. n. 6.* Opp. V. 2. p. 50 *s.*

6) Macar. *Hom. 4. n. 9.* Galland. *Bibl. PP.* T. 6. p. 15. *De elev. ment. n. 6.* p. 191. Cassian. *Collat. 7. c. 13.* Opp. p. 439. — Method. *De resurrect. Cod. 234.* ap. Phot. *n. 7.* Ib. T. 3. p. 783 *s.* — Caesar. *Dial. 1. interr. 48.* Ib. T. 6. p. 32. — Cyrill. Hieros. *Cat. 16. n. 15.* Opp. p. 251 *s.* *Cat. 15. n. 23.* p. 236. *Cat. 18. n. 19.* p. 294. — Basil. *De Spir. S. c. 16. n. 38.* Opp. T. 3. p. 32.

7) Ps. 8, 6.

8) Marc. 13, 32.

lectus perspicacissimus atque singularis justitia ac bonitas similis perspicaciae, justitiae ac bonitati Angelorum declaratur [1]), et Christus cum Angelis, ut ejus praestantia ostendatur prae omnibus rebus creatis, comparatur [2]); atque tandem a **Petro** expresse effertur, Angelos vi ac potestate longe homines superare. *Ubi Angeli*, ait, *fortitudine, et virtute cum sint majores, non portant* ferunt *adversum se* (illos) *execrabile judicium* [3]). Admonet Apostolus Christianos, ne malum imprecentur dignitate conspicuis, licet execratione dignissimis, quum ne ipsi quidem Angeli coelestes, vi ac potestate illos longe superantes, adversus eos sententiam ferant maledicam. Et ante Apostolum **Psalmista**: *Benedicite Domino, omnes Angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius* [4]). Quod caeterum jam ipsa nomina ἐξουσίαι et δυνάμεις, *potestates* et *virtutes*, innuunt.

B. Idem tradunt SS. **Patres**. Sic **Augustinus** de Angelis loquens ait: *In quo* (mundo) *nihil melius instituit, quam spiritus, quibus intelligentiam dedit, et suae contemplationis habiles capacesque sui praestitit* [5]). Similia habent omnes caeteri [6]), unico **Tertulliano** excepto [7]).

C. Verumtamen nec opus est hisce testimoniis, quum jam ipse locus, quem homo inter naturam angelicam et mundanam occupat, intermedius id postulet, ut scilicet altera natura mundana seu corporalis eo inferior, altera vero, angelica seu spiritualis, superior sit.

In quo autem illa Angelorum praestantia sita sit, ex natura spiritus dubium esse non potest. Praestant videlicet hominibus, majori vi facultatis cognoscendi et validiori appetendi ac agendi potentia. Attamen qualiscumque demum sit Angelorum praestantia: ipsa limitum haud est expers aut ignara. Quod jam

---

1) 1. Reg. 29, 9. 2. Reg. 14, 17. 20. 19, 27.

2) Hebr. 1, 4—14. 2, 2. ss.

3) 2. Petr. 2, 11.

4) Ps. 102, 20.

5) *De civ. D. l. 22. c. 1. n. 2.* Opp. T. 7. c. 655. *Tract. 110. n. 7.* T. 3. P. 2. c. 779.

6) Cf. **Athenag.** *De resurr. mort. n. 16.* Opp. **Justin.** p. 350. — **Clem. Alex.** *Strom. l. 4. n. 3.* Opp. T. 1. p. 566 s. — **Origen.** *In Matth. t. 17. n. 21.* Opp. T. 3. p. 798. — **Cyrill. Alex.** *In Joan. l. 2. c. 5. (4, 22.)* Opp. T. 4. p. 186.

7) *Adv. Marc. l. 2. n. 8.* Opp. V. 2. p. 186 s.

inde manifestum est, quoniam Angeli ad naturas e nihilo creatas pertinent. Quod enim e nihilo conditum est, limitibus circumscriptum sit necesse est. Id ipsum quoque diserte tradunt SS. Litterae, quum doceant, Angelos minime nosse occulta consilia divina[1]), nisi ipsis a Deo patefiant, nam *quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Deus* [2]). Nec sciunt ea, quae Deus humanae salutis causa ordinare decrevit, *in quae*, ut scribit Petrus, *desiderant prospicere* [3]). Quin imo ne humanas quidem cogitationes naturali perspicacia cognoscunt, ita ut quae occulte apud nos animo revolvamus, et sola voluntate interius agitemus, uni Deo perspicua sint. *Pravum,* ait Propheta, *est cor omnium, et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans, et probans renes* [4]). Voluit enim Deus naturae intelligenti, pro ejusdem idea perfectum dare dominium actionum suarum liberarum, ita ut de iis absolute possit non tantum efficiendis, sed et patefaciendis disponere, neque illae cuidam enti finito, nisi illa consentiente, possint patere. Eo minus itaque sciunt futura contingentia, seu a libera hominum voluntate pendentia, quorum cognitio soli divinitati propria est. Hinc Isaias falsos deos ad edenda vaticinia tamquam certissima divinitatis testimonia excitat. *Annuntiate,* inquit, *quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos: bene quoque aut male, si potestis, facite: et loquamur, et videamus simul* [5]). Ubi autem intelligentia certis limiti-

---

[1]) Matth. 24, 36.

[2]) 1. Cor. 2, 11. Cf. Joan. 1, 18. 1. Tim. 6, 16. 1. Joan. 4. 12. — Chrysost. *Hom. 11. in 1. Tim. (3. 16.) n. 1.* Opp. T. 10. p. 606.

[3]) 1. Petr. 1, 12. Cf. Ephes. 3, 10. — Chrysost. *Hom. in Joan. n. 2.* T. 8. p. 3. *Hom. 7. in Ephes. n. 1.* T. 10. p. 46. — Augustin. *De civ. D. l. 9. c. 21.* Opp. T. 7. c. 234. Cf. Petav. *l. c. c. 8.* p. 24 ss.

[4]) Jer. 17, 9. 10. Cf. 3. Reg. 8, 39. 2. Parai. 6, 30. Ps. 43, 22. 7, 10. Eccl. 42, 18. Hebr. 4, 12. — Augustin. *De Gen. ad litt. l. 12. c. 17. n. 3.* Opp. T. 3. P. 1. c. 309. *Serm. 243. n. 5.* T. 5. c. 1014. — Origen. *Hom. 8. in Gen. n. 8.* Opp. T. 2. p. 83. c. 1. C. — Chrysost. *Hom. 4. in Matth. n. 5.* T. 7. p. 56. — Cyrill. Alex. *In Joan. l. 1. c. 1. v. 47.* Opp. T. 4. p. 133. c. 2. *v. 24.* p. 144. etc. — Petr. Chrysol. *Serm. 50.* p. 80. c. 2. — Fulgent. *Ad Trasim. l. 1. c. 16.* Opp. p. 106. — Cassian. *Coll. 7. c. 15.* Opp. p. 442. — S. Thom. *1. q. 57. a 4.* Opp. T. 20. p. 319. s. Et pl. al. Cf. Petav. *l. c. c. 7.* p. 21 ss.

[5]) Is. 41. 23. Cf. 44, 7. Dan. 2, 28. Deut. 18, 22. Jer. 23, 9. — Tertull. *Apol. n. 20. Idoneum testimonium divinitatis est veritas divinationis*, Opp. V. 1. p. 45. — Cyrill. Alex. In Joan. l. 4. p. 394. *Nulli alii, quam uni ac soli naturali Deo futura nosse convenit.* — Hilar. *De Trinit.*

bus est circumscripta: etiam voluntas et potentia illimitata esse nequit, et hinc neque ad creationem, neque ad gubernationem, neque ad miracula sufficit [1]).

Angelos esse **immortales**, in SS. **Litteris** de industria quidem non traditur; sttamen tamquam certum ac indubitstum, utpote ex eorum indole spirituali sponte sua consequens, ponitur, atque ignem aeternum diabolo ejusque angelis paratum esse [2]), et homines post mortem ultra non morituros aequales fore Angelis declaratur. **Patres** autem constanter, Angelos esse snbstantias intellectuales et immortales, asserunt. Sunt vero Angeli immortsles non eo sensu, ac si sb iis, utpote pro sua naturs morti obnoxiis, singulari beneficio mors praecaveretur, sed et non illo sensu, quasi prorsus non possent etiam non exsistere, adeoque sb omnipotentia quoque divina destrui nequirent, sed eatenus, quatenus nstura eorum exigit, ut non intereant, sut corrumpantur.

In hisce, quse hucusque exposuimns, licet omnia haud sint dogmatice definita, omnes tam Patres sntiqui, quam Theologi posteriores conveniunt. Si autem quaeritur, utrum Angeli sint corporati, an vero spiritus puri: Patres in diversas sbeunt sententias.

In SS. **Litteris** quidem Angeli et daemones, ut ex locis citatis adparet, diserte spiritus compellantur, et etiam definite declaratur, *quia spiritus carnem, et ossa non habet* [3]). Quoniam tamen Apostolus quoque corpus spirituale, *σῶμα πνευματικόν*, commemorat: non videtur ex illa Angelorum, licet constanti, cognominatione saltem necessario sequi, Angelos puros, omnis omnino corporis expertes, esse spiritus, quemadmodum etiam non ex eo, quod Paulus Angelos vocet *τὰ ἀόρατα invisibilia* [4]), in oppositione reliquarum rerum, quas *τὰ ὁρατά*

---

l. 9. n. 61. Opp. T. 2. c. 306. *Proprium Deo quid aliud, quam cognitio futurorum?* — Auguatin. *De civ. Dei l. 5. c. 9. n. 4.* Opp. T. 7. c. 124. *Qui enim non est praescius omnium futurorum, non est utique Deus.* Cf. *De divin. c. 5. n. 9.* T. 6. c. 509. — Chrysoat. *Hom. 18. in Joan. n.* 2. Opp. T. 8. p. 112. — Hieron. *In Dan. 2, 9. 10. 19. 30.* Opp. T. 5. c. 628. 629. 633. — J. Damascen. *De fid. orth. l.* 2. c. 3. Opp. T. 1. p. 158. — Conc. Tolet. I. (a. 400) *can. 15.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 2. c. 1004.

[1]) Cf. J. Damasc. *De fid. orth. l. 2. c. 3.* Opp. T. 1. p. 158.

[2]) Matth. 25, 41.

[3]) Luc. 24, 39. Cf. Joan. 4, 24. 1. Cor. 2, 11. Act. 23, 8.

[4]) Col. 1, 16.

dicit; quamvis negari nequeat, ne unicum quidem locum in S. Scriptura ostendi posse, in quo vocabulum *spiritus, πνεῦμα,* de natura rationali sensu non proprio adhibeatur, et ne unicum quidem, ubi vel levissima corporis Angelorum mentio injiciatur, aut ubi homo simili ratione a nobiliori sui parte spiritus adpelletur, quin imo illud saltem tamquam certum assumendum esse videtur, communem tempore Christi Judaeorum fuisse fidem, Angelos puros esse spiritus, quoniam in hocce sensu Angelorum exsistentiam Sadducaei inficiati sunt, dicentes, ut Lucas scribit, *non esse resurrectionem*, i. e. animas immortales, *neque Angelum, neque Spiritum* [1]). Ex altera parte autem certum quoque est, ex loco Geneseos: *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant* [2]), nec non ex variis illis adparitionibus minime colligi posse, ut quibusdam visum est, Angelos corporibus praeditos esse; quum sub filiis Dei in loco laudato nequaquam Angeli, sed posteri Seth intelligendi sint [3]), et in locis illis, in quibus de adparitionibus Angelorum sermo est, minime narretur, Angelos in propriis corporibus se spectandos praebuisse [4]).

E Patribus alii Angelos plane corporeos, ex corpore scilicet aethereo, ut Angelos bonos, aut aëreo, ut Angelos malos, constantes, videntur habuisse, aut saltem ex corpore, subtili pariter, et spiritu compositos esse tenuerunt, ut Justinus († c. a. 167.) [5]), Athenagoras († c. a. 180.) [6]), Tatianus († c. a. 180.) [7]), Irenaeus († a. 202.) [8]), Clemens Alex. († a. c. 220.) [9]), Origenes († a. 253.) [10]), Methodius († c.

---

[1]) Act. 23, 8.

[2]) Gen. 6, 2.

[3]) Cf. Tirin. *Comm. in S. Script.* ad h. l.

[4]) Is. 6, 1 ss. Matth. 28, 2 ss. Marc. 16, 5 ss. Act. 1, 10 s.

[5]) *Apol. II. n. 5.* Opp. p. 95. *Dial. c. Tryph. n. 57.* p. 162.

[6]) *Legat. pro Christ. n. 24.* Ib. p. 322 s.

[7]) *Cont. Graec. n. 12.* Ib. p. 268 s.

[8]) *Cont. haer. l. 4. c. 16. n. 2.* p. 246. *c. 36, n. 4.* p. 279. *l. 5. c. 2. n. 2.* p. 327.

[9]) *Paedag. l. 1. c. 6.* Opp. T. 1. p. 122. *Strom. l. 3. c. 7.* p. 538. *l. 5. c. 1.* T. 2. p. 650.

[10]) *De princ. l. 1. c. 6. n. 4.* Opp. T. 1. p. 71. *l. 2. c. 8. n. 8.* p. 94. *l. 4. n. 35.* p. 194.

a. 311.)[1], **Macarius** († a. 319.)[2], **Basilius** († a. 379.)[3], **Cyrillus Alex.** († 444.)[4], **Minucius Fel.** († c. 210.)[5], **Tertullianus** († c. 220.)[6], **Lactantius** († 330.)[7], **Ambrosius** († 397.)[8], **Augustinus** († 430.)[9], **Cassianus** († c. 434.)[10], **Petrus Chrysologus** († 450.)[11], **Mamertus Claudianus** († 470.)[12], **Gennadius** († c. 500.)[13], **Caesarius** († 543.)[14], et **Bernardus** († 1153.)[15], qui tamen potius sententiam suam suspendit.

Alii vero Angelos spiritus puros seu *ἀσωμάτους*, i. e. corporis omnino, sive crassioris sive subtilioris, expertes esse tradunt. Ad hos pertinent: **Ignatius** († a. 107.), qui Angelos *ἀσωμάτους φύσεις*, *incorporeas naturas* vocat[16]; **Gregorius Thaumaturgus** († 265), qui illos *ἀσωμάτους δυνάμεις*, *incorporeas potestates*, esse dicit[17]; **Titus Bostrensis** († c. 372.)[18]; **Athanasius** († 373.)[19]; **Didymus** († 393), qui Angelos tamquam spirituales substantias non circumscribi loco et finibus, tamen proprietate naturae finiri[20] ait; **Basilius** († 379), qui

---

1) *De resurr.* Cod. 23. ap. Phot. In Galland. *Bibl. PP.* T. 3. p. 783.

2) *De elev. ment. n. 6.* Ib. T. 7. p. 191.

3) *De Spir. S. c. 16. n. 38.* Opp. T. 3. p. 32.

4) *In Joan. l. 9. c. 14. v. 11.* Opp. T. 4. p. 787. D.

5) *Octav. c. 26 s.* Galland. *Bibl. PP.* T. 2. p. 396.

6) *De carn. Chr. n. 6.* Opp. V. 2. p. 50.

7) *Div. instit. l. 2. c. 15.* Opp. T. 1. p. 176.

8) *De Noë et arc. c. 4. n. 8.* Opp. T. 1. c. 230. *Apol. David. c. 1.* c. 677.

9) *Epist. 96. ad Olymp. n. 8.* Opp. T. 2. c. 260. *Ep. 9. ad Hebrid. n. 3.* c. 12. *De Gen. ad litt. l. 3. c. 10. n. 14.* T. 3. P. 1. c. 150. *In Ps. 85. n. 17.* T. 4. c. 912. *De civ. D. l. 8. c. 16.* T. 7. c. 204. *l. 21. c. 10.* c. 631. *De Trinit. l. 3. c. 1. n. 4.* T. 7. c. 795. *Serm. 277. c. 9. n. 9.* T. 5. c. 1117.

10) *Coll. 7. c. 13.* Opp. p. 439.

11) *Serm. 52.* p. 82.

12) *De stat. anim. l. 1. c. 13.* Galland. *Bibl. PP.* T. 10. p. 425. *l. 3. c. 7.* p. 448.

13) *De Eccles. dogm. c. 11. 12.* Opp. Augustin. T. 8. c. 77.

14) *Dial. 1. Interr. 48.* Galland. *Bibl. PP.* T. 6. p. 32.

15) *Serm. 5. in Cant. Cant. n. 2. 7.* Opp. c. 1283 a. *De consid. l. 5. c. 4. n. 7.* c. 453.

16) *Epist. ad Trallian. n. 9.* Coteler. *PP. apost.* Amstel. 1724. V. 2. p. 64.

17) *Hom. in Theophan.* In *Bibl. max. PP. Lugd.* T. 3. p. 314.

18) *Cont. Manich. l. 1. n. 21.* Galland. *Bibl. PP.* T. 5. p. 280.

19) *De comm. essent. P. F. et Sp. S. n. 51.* Opp. T. 2. p. 27.

20) *De Spir. S. l. 1. c. 4—6.* Ib. T. 6. p. 264 s.

licet semel Angelum spiritum *aërium, aut ignem immaterialem* esse dicat, tamen alibi iterum Angelos *simplices* ac *incorporeos* esse asserit [1]; Gregorius Nyss. († 396.) [2], qui Angelos *ἀσώματον κτίσιν, incorpoream creaturam*, nominat; Gregorius Naz. († 389), qui naturam angelicam *νοητὴν καὶ ἀσώματον, intelligibilem et incorpoream*, vocat [3]; Eusebius Caes. († 340), qui Angelos esse ait *incorporeas quasdam et intelligentes, ac divinas virtutes, Angelos et Archangelos, materiae expertes, et ab omni parte puros omnino spiritus* [4]; Epiphanius († 403.) [5]; J. Chrysostomus († 407.) [6]; Cyrillus Alex. († 444.) [7]; Theodoretus († c. 457.), qui asserentes, Angelos foeminarum commercio pollutos esse, refutans ex eo argumentatur, quod corporis expertes substantiae, carnes non habeant, et manna panem Angelorum vocari ideo, quod ea vescantur Angeli, negat, siquidem *incorporea natura cibo non eget* [8]; Procopius († c. 536), qui intelligentes substantias ac penitus incorporeas Angelos adpellat [9]; Dionysius [10]) cum Maximo et Pahymera [11]; Sozomenus († c. 450.) [12] Nilus († c. 450.) [13]; Joan. Climacus († c. 580.) [14]; Joan. Philoponus [15]; So-

---

1) *Adv. Eunom. l. 4. n.* 2. Opp. T. 1. p. 282. *Hom. in Ps. 44. n. 1.* p. 158. *Hom. Quod Deus non est auctor malorum. n. 9.* T. 2. p. 82.

2) *Cont. Eunom. l. 12.* Opp. ed. Par. 1638. T. 2. p. 739. *De vit. S. Ephraem.* T. 3. p. 601. *De Trinit.* T. 3. p. 12. *Or. 4. in Or. Dom.* T. 1. p. 743. *De vit. Moys.* T. 1. p. 195.

3) *Or. 34.* Opp. T. 1. c. 478. *Or. 37.* c. 533. *Or. 42.* c. 603. A. *Carm. Jamb. 15.* T. 2. c. 169. *In laud. virg.* c. 35.

4) *Demonstr. Evang. l. 4. c. 1.* p. 144. Cf. *Praep. Ev. l. 7. c. 15.* p. 362 s.

5) *Haer. 26. n. 13.* Opp. T. 1. p. 95 s.

6) *Hom. 22. in Gen. n.* 2. Opp. T. 4. p. 195.

7) *In Joan. l. 4. c. 2.* Opp. T. 4. p. 351. *Adv. Anthropom. c. 17.* T. 6. P. 2. p. 384.

8) *Quaest. 29. in Exod.* Opp. T. 1. p. 93. Cf. *Quaest. 20. in Gen.* Ib. p. 16. *q. 36.* p. 30.

9) *Comm. ad Gen.* Cf. Petav. *l. c. l. 1. c. 3. n. 3.* p. 8.

10) *De div. nom. c. 4. §. 1.* Opp. T. 1. p. 551 s. *De coel. Hier. c. 1. §. 3. c. 2. §.* 2. p. 3. 16.

11) *Ad Dion. ll. cc.* p. 599. 643. 12. 25. 33 s.

12) *H. E. l. 3. c. 18.* ed. Reading. Aug. Taur. 1747. p. 113.

13) *Hom. de Chr. ascens.* Ap. Phot. c. 276.

14) *Scal. parad. Gr. 1. Bibl. PP. max.* Lugd. T. 10. p. 390.

15) *De mund. creat. c. 9.* Galland. *B. PP.* T. 12. p. 481 s.

phronius († c. 636.) [1]; Joan. Damascenus († c. 754.), secundum quem *Angelus est substantia intelligens, perpetuo motu, nec non arbitrii libertate praedita, corporis expers, Deo serviens, immortalitatem in natura Dei munere consequuta*, quamvis cum Deo comparatus crassus et materialis dicendus sit [2]; porro Marius Victorinus († c. 367.), qui Angelos incorporea et *ἄυλα* vocat [3]; Hilarius († 368.) [4]; Hieronymus († c. 420.) [5]; Tychonius Afer († 420.) [6]; Leo M. († 461.) [7]; Fulgentius († 533.) [8]; Junilius Africanus († c. 570.) [9]; Gregorius M. († 604.) [10]. Graeci hodie Angelos simpliciter *τοὺς ἀσωμάτους* nominant [11].

Concilium vero Nicaenum II. definit: *Honoramus et salutamus, ac honoranter adoramus, τιμητικῶς προσκυνοῦμεν, — imaginem — sanctorum etiam et incorporeorum Angelorum* [12]; atque Conc. Lateran. IV. statuit, Deum ab initio utramque naturam, spiritualem et mundanam, angelicam videlicet et corporalem, et deinde humanam tamquam ex utraque communem condidisse [13]. Quibus quum spiritualis natura corporeae opponatur, atque animae nostrae simplici aequalis ponatur, non obscure significari videtur, Angelos neque esse corpora, neque corporibus implicatos. Attamen negari non potest, neque Concilium Nicaenum neque Lateranense sententiam quoad quaestionem nostram pronuntiare voluisse. Nam Concilium Nicaenum hoc unum tantum definire intendit, Angelos colendos esse, eorumque imagines, cum visibili specie adparuerint, esse habendas, minime autem etiam quidquam de na-

---

1) Conc. CP. III. a. 680 — 1. *act.* 2. Mansi, *Coll. Conc.* T. 11. c. 491.
2) *De f. o. l. 2. c. 3.* Opp. T. 1. p. 155. Cf. ss.
3) *Adv. Ar. l. 4. c. 11.* Galland. *Bibl. PP.* T. 8. p. 190.
4) *Tr. in Ps. 136. n.* 5. Opp. 1. c. 557.
5) *Epist. 124 ad Arit. n. 3.* Opp. T. 1. c. 919. *Ep. 75. ad Theodor. n. 2.* c. 453.
6) *De sept. reg. Reg. 7.* Galland. *B. PP.* T. 8. p. 128. B.
7) *Epist. 15. ad Turib. c. 6.* Opp. p. 128.
8) *De fid. c. 3. n. 28.* Opp. p. 513.
9) *De part. leg. div. l. 2. c. 2.* Augustin. *B. PP.* T. 12. p. 84 s.
10) *Mor. l. 2. c. 3. n. 3.* Opp. T. 1. c. 39. *c. 7. n.* 8. c. 41. *l. 4. c. 3. n. 8.* c. 108. Dial. *l. 4. c. 29.* T. 2. c. 416 s.
11) Cf. Petav. *De Ang. l. 1. c. 2—3. De dogm. theol.* Antv. 1700. T. 3. p. 3 ss.
12) *Act. 4.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 13. c. 151.
13) *Cap. 1. De f. C.* Ib. T. 22. c. 981—2.

tura Angelorum statuere. Unde, quamvis incorporeos Angelos vocaverit, tamen epistolam Joannis Thessalonicensis haud reprobavit, licet in eadem legatur, Angelos esse *subtiles corpore, et aëreos et igneos*, quia *ostendit, quod et Angelos oporteat pingi, quoniam circumscripti sunt, et veluti homines apparuerunt* [1]). Et ita quoque Concilium Lateranense nonnisi id sibi proposuerat, ut utriusque naturae, tam quae dicitur corporea quam quae adpellatur spiritualis, Creatorem unum Deum esse contra recentiores Manichaeos adstrueret. Caetera vero ex recepta per id tempus opinione intexuit [2]). Verum nihilo secius post illam Concilii Lateranensis definitionem publicatam altera opinio pedetentim inter Catholicos obsolevit, ita ut, si perpauci excipiantur [3]), vix sit, qui eam defendat; quum scilicet Concilium, licet consilium praecipuum non habuerit definiendi, Angelos haud corporatos esse, tamen quae desuper protulerit, ex suo tenore praeter omne consilium prolata dici nequeant.

Certum itaque esse videtur, ipsa ratione suffragante, quae ut supra jam monuimus, prout naturam corpoream per se subsistentem videt, ita alteram hominis partem, spiritum pariter per se exsistere, conjicit, Angelos propria corpora, humanis similia, non habere. Quum tamen Angeli minime ubique sint praesentes ac immensi, sed in certo aliquo loco exsistant, licet non circumscriptive, ut ajunt, attamen definitive [4]), et localis praesentia adstricta esse videatur corpori: non videntur aberrare a vero, qui Angelis non proprium quidem et ad eorum naturam necessario pertinens corpus, sed assumtum ac extraneum tribuant, quo ut veste quasi induti locales reddantur [5]).

---

1) *Act. 5.* Ib. T. 13. c. 166.

2) Cf. Canus, *De loc. theol. l. 5. c. 6. q. 4.* Ven. 1759. p. 136. — Murator. *De ing. moder. l. 1. c. 13.* Aug. Vind. 1779. p. 123 ss. — Barth. Caranza. *Sum. Conc. Annot. ad act. 5. Syn. VII.* — Sixtus Sen. *Bibl. sanct. l. 5. ann. 1.* Neap. 1742. T. 2. p. 563. — Thom. *1. q. 50. a. 1.* Opp. T. 20. p. 289 s. *q. 51. a. 1.* p. 295 s. — Suarez, *De Ang. l. 1. c. 6. n. 9. Comm. in 2. p. D. Thom.* Mogunt. 1620. p. 24 s. — Dom. Bannez, *In* 1. *q. 51. a. 1. 3. Concl. Schol. Comm. in 1. p. Thom.* Duac. 1614. p. 468.

3) Cajetanus, *In Epist. ad Ephes. c. 2.* — Eugubinus, *De peren. philos. c. 26 ss.*

4) Cf. Luc. 2, 15. 2. Petr. 2, 4. Apoc. 12, 7 ss.

5) Cf. Murator. l. c. Dieringer, Lehrb. der kath. Dogm. Mainz, 1847. p. 206.

Quod tandem ad exsistendi modum Angelorum in loco atque motum eorumdem attinet: dumtaxat hoc statui potest, Angelos loco definiri, id est non ubique, sed in certo loco esse, quin tamen sint circumscripti, ita ut instar corporum in illo inexsistant; porro eosdem non tantum in loco σχέσει καὶ ἐνεργείᾳ, *habitudine* et *virtute*, esse, sed etiam οὐσίᾳ seu *substantia*, ita tamen, ut non tam loco contineantur, quam potius locum aliquo modo contineant; atque moveri ipsos loco, ita ut non eodem momento simul in pluribus exsistant, neque ab uno in alterum tendant, quin per interjectum transeant.

§. 6. Numerus atque ordines Angelorum.

Omnes Angeli natura sua, ut mox vidimus, praestantiores sunt hominibus; attamen ideo nequaquam autumandum est, eos omnes prorsus ejusdem esse conditionis, et inter se haud esse, nisi numero distinctos. Verum potius quemadmodum ingens datur rerum sensibilium numerus, variique earum gradus ac ordines, ita quoque, ut revelatio divina tradit, permagnus est Angelorum coelestium numerus, variaeque sunt eorum classes. Haec quidem certa sunt. Quae autem ulterius quaeri possunt, quot scilicet numero Angeli sint, quaenam porro sint Angelorum classes seu ordines, qualesque cujusvis ordinis dotes, divina revelatio haud docet.

Ingentem Angelorum multitudinem esse, addubitari nequit. Christus enim affirmat, si necesse fuerit, *plus quam duodecim legiones Angelorum* impetrare se a Patre posse [1]). Paulus memorat *multorum millium Angelorum frequentiam* [2]). Judas scribit, Dominum Angelorum *millibus* stipatum ad judicium esse venturum [3]). Et Joannes: *Audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium* (naturarum vivarum) *et seniorum, et erat numerus eorum* μυριάδες μυριάδων, καὶ χιλιάδες χιλιάδων [4]). Quibus verbis innumerabilis multitudo significatur, quam latinus Interpres ita concepit: *Et erat numerus eorum millia millium;* sic enim incertus numerus, et propemodum infinitus exprimitur. In A. T. autem commemorantur *millia Sancto-*

1) Matth. 26, 53.
2) Hebr. 12, 12.
3) Jud. 14, 15.
4) Apoc. 5, 11.

rum, i. e. Angelorum, qui cum Deo apparuerint [1]), currus Dei *decem millibus multiplex*, *millia laetantium* [2]), *exercitus coeli* [3]), et Propheta visionem, quae sibi contigerat, describens narrat, *millia millium Domino ministrasse, et decies millies centena millia ei* adstitisse [4]).

Quibus consentiunt, quae Patres unanimi ore de innumerabili Angelorum numero adstruunt [5]).

Quantus tamen numerus Angelorum sit, tam parum potest definiri, ut ne conjecturae quidem sit locus [6]).

Non minus autem porro certum est, inter hos tam magnae multitudinis Angelos alios aliis esse superiores, eosque certis ordinibus esse attributos. Commemorantur enim in SS. Litteris praeter Angelos, quorum perfrequens fit mentio, Archangeli [7]), Cherubim [8]), Seraphim [9]), Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes [10]). Hosce adeo diversis nominibus insignitos Angelos omnes ejusdem esse conditionis ac dignitatis, nemo probabiliter inferet; alioquin non oportuisset illos diversis nominibus distingui.

Quapropter et SS. Patres unanimiter varios ordines assumunt [11]), licet in eo, quot praecise exsistant, quomodo se ex-

---

1) Deut. 33, 2. Cf. Gal. 3, 19. Hebr. 2, 2.

2) Ps. 68 (67), 18.

3) 2. Par. 18. 18. 3. Reg. 22, 19. Cf. Luc. 2, 13.

4) Dan. 7, 10.

5) Cf. Dionys. *De coelest. hierarch. c. 14.* Opp. T. 1. p. 187. — Chrysost. *Hom. 2. De incomprehens. n. 34.* Opp. T. 1. p. 457. — Justin. *Apol. I. n. 6.* Opp. p. 47. — Athenag. *Leg. pro Christ. n. 10.* Ib. p. 305. — Cyrill. Hieros. *c. 15. n. 24.* Opp. p. 237. — Thom. Aq. *Sum. 1. q. 50. a. 3.* Opp. T. 20. p. 292 a.

6) Alii ex parabola centum ovium existimant, Angelos ita se habere ad homines ut nonaginta novem ad unum; alii sicut novem ad unum, secundum alteram parabolam drachmarum decem; alii aequali ambos numero esse putant, alii electos ad aeternam felicitatem totidem fore censent, quot Angeli prolapsi sunt; porro Angelorum tertiam partem cecidisse, Apocalypaeos liber quibusdam videtur ostendere. Ast haec opinionum diversitas ipsa dumtaxat humanam inscitiam ostendit.

7) 1. Thess. 4, 15. Jud. 9.

8) Gen. 3, 24. Exod. 25, 18—21. 2. Paral. 3, 7. 10—14. 3. Reg. 6, 23—35. 1. Paral. 28, 18. Ps. 79, 2. 98, 1. Ezech. 10, 1—22.

9) Is. 6, 2.

10) Cf. Rom. 8, 38, Col. 1, 16. Ephes. 1, 21. 3, 10. 1. Petr. 3, 22.

11) Cf. Petav. *De Ang. l. 2. c. 1. De dogm. theol.* Antv. 1700. T. 3. p. 55 ss.

cipiant, et qua ratione inter se differant, num scilicet omnes eamdem specie naturam habeant, ut homines, et eorum diversa dignitas ex personali tantum merito sit repetenda [1]), an vero sicut diversi sunt ordinis, ita et diversae sint speciei, i. e. nativis animi qualitatibus distincti [2]), minime inter se consentiunt [3]). Et sane, quae quoad has quaestiones statuuntur, in meris conjecturis plus minus posita sunt. Dionysius, cujus libri sub nomine Areopagitae saec. V. evulgati sunt, primus novem ordines seu choros Angelorum posuit, quos in tres hierarchias seu classes distinxit, ita ut essent in

1. hierarchia *Seraphim, Cherubim, Throni,* in
2. hierarchia *Dominationes, Virtutes, Potestates,* et in
3. hierarchia *Principatus, Archangeli, Angeli* [4]).

Idem postea docuerunt Gregorius M. [5]), et qui post eum secuti sunt, paene omnes; tametsi singuli ordines non eodem loco ab omnibus collocentur.

Quoad quaestionem autem, quid discriminis sit inter singulos illos ordines, scribit Augustinus: *Esse itaque Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates in coelestibus apparatibus, firmissime credo, et differre inter se aliquid, indubitata fide teneo. Sed — quaenam ista sint, et quid inter se differant, nescio* [6]). Similia habet Joan. Damascenus de discrimine Angelorum, sive essentiali sive non. *Ac quoad essentiam quidem,* ait, *aequalesne sint inter se, an dispares, compertum non est: solus hoc scit Creator illorum Deus, qui universa explorata novit* [7]).

Quoad angelos malos autem id solum constat, esse aliquem qui tamquam dux ac princeps in reliquos daemones ac im-

---

1) Cf. Origen. *De princ. l. 1. c. 8. n. 4.* Opp. T. 1. p. 75. — Conc. CP. II. a. 553. *can. 2. et 14.* Mansi. *Coll. Conc.* T. 9. c. 395. 399. — Hieron. *Comm. in Ep. ad Ephes. c. 1, 21.* Opp. T. 7. c. 566 s. *Cont. Ruff. l. 1. n. 23.* T. 2. c. 479 s. *Cont. Jovin. l. 2. n. 28.* T. 2. c. 369.

2) Method. ap. Epiphan. *Haer. 64. n. 33.* Opp. T. 1. p. 556.

3) Cf. Petav. *l. c. l. 1. c. 14. n. 1—7.* T. 3. p. 43—45. *l. 2. c. 2—4.* p. 59 ss. — Conrad. *Tr. theol. de op. sex. dier. Ang. etc.* Olom. 1761.

4) *De coel. hier. c. 6.* Opp. T. 1. c. 75.

5) *In Evv. l. 2. hom. 34. n. 7—10.* Opp. T. 1. c. 1604.

6) *Ad. Oros. c. 11. n. 14.* Opp. T. 8. c. 618. Cf. *Enchir. c. 58. n. 15.* T. 6. c. 218.

7) *De orth. fid. l. 2. c. 3.* Opp. T. 1. p. 157. Cf. Dionys. *D. coel. hier. c. 6. §. 1.* T. 1. p. 74.

pios durum et ignominiosum imperium exerceat, et sub quo iidem tamquam suo capite contenti, regnum tenebrarum et iniquitatis constituunt. SS. Litterae enim diserte loquuntur de *principe daemoniorum* [1]), qui vocatur quoque *Beelzebub* [2]), *princeps hujus mundi* [3]), *Deus hujus saeculi* [4]), *draco, serpens antiquus* [5]), *Belial* [6]), *diabolus κατ' ἐξοχήν* [7]), *etc.* ejusque imperium *imperium mortis* dicitur [8]), utpote qui mortem generi humano intulit, illudque captivum tenere studet ad suam voluntatem [9]). Verumtamen haec non ita sunt accipienda, ut opinemur, divisum habere Deum cum diabolo imperium, quod impiissimum saperet Manichaeismum. Nam sicut Dei verbo omnia condita sunt, ita quoque certum ac inconcussum est, ejus voluntate omnipotenti omnia gubernari, nilque daemonem facere posse, nisi volente aut annuente Deo.

§. 7. Angelorum status originalis.

Secundum divinam revelationem, ut ex hucusque disputatis luculenter patet, dantur Angeli boni atque mali. Quando autem sacra revelatio docet, praeter Angelos bonos malos quoque seu daemones exsistere, longe ab errore Manichaeorum et Priscillianistarum, nec non Gnosticorum quorumdam abest, ut tradat, daemones natura sua malos esse, sed potius sententiam oppositam, Angelos videlicet omnes bonos creatos esse, exhibet, ab illa opinione falsa prorsus abhorrens. Etenim

A. quod ad SS. Litteras attinet: hae

a. diserte tradunt, opera Domini *cuncta valde bona*, seu perfecta esse [10]), ita ut Deus prorsus nullo modo auctor mali dici possit; atque

---

1) Matth. 12, 24.
2) Matth. 12, 24. 10, 25. Luc. 11, 15. 18.
3) Joan. 12, 31. 14, 30. 16, 11.
4) 2. Cor. 4, 4.
5) Apoc. 12, 9, 20, 2.
6) Deut. 13, 13. 2. Cor. 6. 15.
7) Matth. 25, 41. — Job. 1. 7. 2. 1 ss. etc.
8) Hebr. 2, 14.
9) 2. Tim. 2, 26.
10) Gen. 1, 31. f. Leo M. *Epist. 15. ad Turibud. c. 6.* Opp. p. 228.

b. expresse declarant, malos daemones esse Angelos illos, qui in veritate non steterint [1], sed peccaverint [2], non servaverint suum principatum, sed dereliquerint suum domicilium, et ideo aeternas poenas luant [3].

B. Idem porro tradunt SS. Patres ad unum omnes, Manichaeos et Priscillianistas impugnantes [4]. Accedunt Concilia, ut Carthaginense IV. a. 398. [5], Bracarense a. 563. [6], et Lateranense IV. a. 1215. quod quum error Manichaeorum iterum instauraretur, definivit, *Diabolus et daemones alii, a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.* Et propositionem: *Diabolus non fuit bonus,* atro stigmate notavit [7].

C. Nec non ipsa ratio ex infinita Dei sanctitate, sapientia ac bonitate id ipsum necessario colligit. Nam Deus tamquam sanctissimus ac benignissimus naturam intelligentem nonnisi ob finem sanctitatis et huic congruae felicitatis condere potest, et tamquam sapientissimus ad hunc finem aptam instruere debet. Malum morale naturae divinae absolute repugnat, ac solummodo per abusum libertatis entis finiti ortum habere potest; et

---

1) Joan. 8, 44.

2) 2. Petr. 2, 4.

3) Jud. 6. Cf. Job. 4, 18.

4) Talian. *Cont. Graec. n.* 7. Opp. Justin. p. 264. — Athenag. *Leg. pro Christ. n. 24.* Ib. p. 322 s. — Iren. *Cont. haer. l. 5. c. 24. n. 4.* p. 322. *l. 4. c. 41. n. 2.* p. 288. — Origen. *De princ. l. 1. praef. n. 6.* Opp. T. 1. p. 48. — Dion. *De div. nom. c. 4. §. 23.* Opp. T. 1. p. 579. — Athanas. *De Syn. n. 48.* Opp. T. 1. P. 2. p. 762. — Euseb. *Dem. Ev. l. 4. c. 9.* p. 159. *Praep. Ev. l. 7. c. 16.* p. 328 s. — Basil. *Hom. Quod Deus non est auct. mal. n. 8.* Opp. T. 2. p. 80. — Didym. *C. Manich. n. 13.* Galland. *Bibl. PP.* T. 6. 315 s. — Epiph. *H. 64. n. 21.* Opp. T. 1. p. 544. — Theod. *in Ez. 28, 15—18.* Opp. T. 2. p. 454. — Tertull. *Adv. Marc. l. 2. c. 10.* Opp. V. 2. p. 190. — Lactant. *l. 2. c. 9.* Opp. T. 1. p. 143 s. — Aug. *Act. c. Felic. Manich. l. 2. c. 11.* Opp. T. 8. c. 493. *C. Donat. l. 4. c. 9. n. 13.* T. 9. c. 129. *Gen. litt. l. 11. c. 21. n. 28.* T. 3. P. 1. c. 284 s. — Caesar. *Dial. l. 1. interr. 49.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 6. p. 33. — Fulgent. *De f. ad. Petr. c. 21. n. 62.* Opp. p. 526. — Cassian. *Coll. 8. c. 6. 8.* Opp. p. 471. 473 s. — J. Dam. *De fid. orth. l. 2. c. 4.* Opp. T. 1. p. 158 s.

5) *C. 1.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 3, c. 950.

6) *Can. 7.* Ib. T. 9. c. 775.

7) *C. 1. de f. Cath.* Ib. T. 22. c. 981—2.

hinc omnis res creata per se, seu ex natura sua bona sit necesse est.

§. 8. Continuatio.

Verumtamen non tantum a peccato et perversitate immunes e manu Dei Angeli prodierunt, sed insuper donis supernaturalibus, et speciatim gratia sanctificante, qua erant habitualiter sancti ac justi, Deoque conjuncti, condecorati sunt. Quod non tantum jam inde haud improbabili ratione conjicitur, quod hominem primum in sanctitate ac justitia constitutum conspiciamus; non poterat enim deterior horum esse conditio, quam generis humani, cujus sator gratia et charitate erat donatus; sed et in SS. Litteris sat clare significatur. Nam Christus Dominus de diabolo loquens, ait: *Et in veritate non stetit: quia non est veritas in eo* [1]). Docet itaque Christus diabolum, antequam peccasset, *in veritate,* i. e. rectitudine constitutum fuisse; nam quemadmodum ψεῦδος perversitatem, ita et ἀλήθεια rectitudinem seu justitiam generatim indicat. Rectitudo autem illa, qua Angeli non inter bonum et malum indifferentes relinquerentur, sed positive ad summum Bonum essent conversi, quum ejusmodi conditio per naturam spiritus finiti, etiam nobilioris, haud exigatur, opus dumtaxat gratiae supernaturalis esse potuit. Atque id ipsum tradit Apostolus scribens: *Qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium.* Nam verbis his manifeste non sola immunitas a peccato, sed positiva bonitas exprimitur, quae Angelis non tantum obtigit, sed qua etiam exuti sunt [2]).

Eadem est SS. Patrum quoque doctrina. Sic ait Augustinus: *Qui eos* (Angelos) *cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhaererent, creavit, simul in eis et condens naturam, et largiens gratiam* [3]). Similia habent Gregorius Naz. [4]), Basilius [5]), Cyrillus Alex. [6]), Theodore-

1) Joan. 8, 44.
2) Jud. 6.
3) *De civ. D. l. 12. c. 9. n. 2.* Opp. T. 7. c. 308.
4) *Or. 38.* Opp. T. 1. c. 547. D.
5) *De Sp. S. c. 16. n. 38.* T. 3. p. 33.
6) *Dial. 6. de Trinit.* Opp. T. 5. P. 1. p. 595. *l. 2. in Joan. c. 5.* T. 4. p. 186.

tus [1]), Titus Bostrensis [2]), Joan. Damascenus [3]), Hieronymus [4]), Gregorius M. [5]), Ambrosius [6]). Patrum antiquorum itaque nonnisi sensa exprimit Catechismus Rom., qui habet: *Unde sine bona voluntate, hoc est Dei amore nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est* [7]).

Suffultos praeterea Angelos fuisse gratiae actualis adjutorio, docet inprimis Augustinus [8]), licet in auxilio hoc divino explicando Theologi inter se dissideant.

Ratio autem sententiam utramque, tam de gratia sanctificante, quam de gratia actuali, Angelis creatis concessa, eo lubentius admittit, quoniam intelligit, Angelos, utpote spiritus finitos, ad efficaciam spiritualem, perfectam Dei cognitionem ac dilectionem, seu sapientiam atque sanctitatem, quae virtutes iis in SS. Litteris diserte tribuuntur [9]), sine externa Dei in ipsos efficientia, seu revelatione ipsis facta, evehi prorsus non potuisse, atque hinc etiam illos viribus supernaturalibus gratiae internae, quibus hanc apprehenderent, participes esse debuisse. Quin imo non sine veri specie conjicitur, Angelos pro naturae conditionisque suae dignitate uberiorem prae hominibus gratiam accepisse, ut docent Cyrillus Alex. [10]) et Ambrosius [11]), nec non ipsos inter se alios aliis affluentiori gratia dignatos esse, pro eo, ac naturae praestantioris erant, ut habent Magister Sententiarum [12]) et Doctor Angelicus [13]). Uti enim Angelorum natura ad gratiam et gloriam a Deo facta est, ita et diversi naturae angelicae gradus ad diversos itidem ordinati sunt gradus gratiae et gloriae.

---

1) *Quaest. 34. 36. in Gen.* Opp. T. 1. p. 30. *H. E. l. 5. c. 8.* T. 4. p. 268 ss.

2) *Cont. Manich. l. 1. n. 35.* Galland. *B. PP.* T. 5. p. 292.

3) *De orth. fid. l. 2. c. 3.* Opp. T. 1. p. 156.

4) *In Os. 3, 1.* Opp. T. 6. c. 29. Cf. *In Eccles. c. 2.* T. 3. c. 396.

5) *Mor. l. 34. c. 20. n. 40.* Opp. T. 1. c. 1134.

6) *De Spir. S. l. 1. c. 7. n. 84.* Opp. T. 2. c. 618. Cf. S. Thom. *1. q. 62. a. 3.* Opp. T. 20. p. 342 s.

7) Ed. Vien. 1833. p. 23.

8) *De civ. D. l. 12. c. 9.* T. 7. c. 307 s. *De corr. et gr. c. 11. n. 32.* T. 10. c. 768.

9) Matth. 18, 10. 2. Reg. 14, 20. Ps. 102, 20.

10) *In Joan. l. 2. c. 5. (4, 22.)* Opp. T. 4. p. 186.

11) *Enarr. in Ps. 34. n. 21.* T. 1. c. 824.

12) 2. *d. 3. n. 2.* Par. 1564. f. 124 s.

13) *1. q. 62. a. 6.* Opp. T. 20. p. 345.

Qualiscumque autem fuerit illa Angelorum interna sanctificatio atque externa illustratio: talis tamen ac tanta minime erat, ut ipsi labi prorsus non possent; hanc enim summam perfectionis plenitudinem Angeli tamquam praemium probatae virtutis primum accepturi erant; atque naturâ solus Deus est bonus et indefectibilis [1]).

Observ. Dum Christus ait, diabolum *ab initio fuisse homicidam* [2]), et Apostolus, eum *ab initio peccare;* soiummodo verbis his indicatur, diaboium ab iiio momento, quo a Deo aversus, non autem quo creatus est, peccato obiectari, quod in ejus naturam quasi per primam a Deo abalienationem abiit, et in peccatum genus humanum inducere atudere. *Spiritus* autem, qui a Siracide dicuntur *ad vindictam creati* [3]), aut designant ventos ac spiritus proceilarum, quos Deus immittit ad puniendos impios, aut verbum, *creati sunt*, pro, *destinati seu ordinati sunt,* accipiendum est, quo sensu saepius in SS. Litteris occurrit [4]).

§. 9. Finis Angelorum.

Quem in finem Deus Angelos creaverit, ex dotibus eorumdem naturalibus ac supernaturalibus expositis dubium esse nequit. Non possunt enim Angeli intellectu et libero arbitrio esse instructi, atque gratia divina donati, quae illos rectos et justos habitu ac dispositione efficiebat, atque insuper illustrabat et in bono adjuvabat, nisi ut Deum cognoscerent, eumque tamquam summum Bonum revererentur ac diligerent, donec decreto perpetuo inhaerendi ei, a quo creati sunt, *obfirmati, mutabilitatem,* ut ait Gregorius M., *in sanctitate ac justitia standi immutabilitate vincerent* [5]), et felicitate perenni se dignos efficerent, aut vero se a Deo avellerent, et perpetuae dissensioni at-

---

1) Cf. Job. 4, 18. — Augustin. *De civ. D. l. 22. c. 1. n. 2.* T. 7. c. 655. — Basil. *De Spir. S. c. 16.* T. 3. p. 32. Gregor. Naz. *Or. 38.* T. 1. c. 547. — Joan. Damasc. *De orth. fid. l. 2. c. 3.* T. 1. p. 157. — Hieronym. *Epist. l. 21. ad Damas. n. 40.* Opp. T. 1. c. 86. Fulgent. *De fid. ad Petr. c. 23. n. 64.* Opp. p. 526. — Gregor. M. *l. 5. c. 38. n. 68.* T. 1. c. 170. et al.

2) Joan 8, 44.

3) Eccli. 39, 33.

4) 1, Joan. 3, 8.

5) *Mor. l. 25. c. 6. n. 11.* T. 1. c. 791.

que miseriae sese dederent. Quapropter et Deus Angelis, ut hominibus, tempus probationis assignavit.

Jam plurimi inter Angelos probati sunt, et hi **Angeli boni** sunt, quorum conditio est felicissima; multi autem e contrario per peccatum a Deo avulsi sunt, **Angeli mali**, quorum status est misserrimus.

§. 10. Peccatum multorum Angelorum.

Angelos multos peccasse, diserta est

A. SS. **Litterarum** doctrina. Id enim docet apertis verbis **Petrus**, qui scribit: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartara tradidit cruciandos, in judicium reservari*, *ἀλλὰ σειραῖς ζόφου ταρταρώσας παρέδωκεν εἰς κρίσιν τηρουμένους*, i. e. vinculis caliginis in tartarum detrusos tradidit servandos ad judicium, quo eorum nequitia coram toto mundo traducetur: eo minus effugere poterunt Dei judicium, qui pravorum dogmatum auctores sunt ac magistri [1]). Quo in loco duo insunt, Angelos aliquos peccasse, atque eos pro peccato commisso poenas luere; unde Apostolus infert, falsos doctores pariter habere, quem timeant judicem. Idem prorsus tradit quoque **Judas**, qui ait: *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum* (suam dignitatem ac felicitatem, seu priorem supernaturalem conditionem), *sed dereliquerunt suum domicilium* (sedem ipsis assignatam, coelestem), *in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit* [2]). Sensus est: Dominus Jesus Angelos desertores, e coelo praecipitatos, in locum caliginosum, seu infernum detrusit, in quo velut quibusdam vinculis, iisque perpetuis, traditos et adstrictos servavit ac servat, dum sibi ad judicium illud universale exhibeantur, coram toto mundo suae damnationis sententiam accepturi. Quod ergo Petrus simpliciter effert, Angelos quosdam peccasse, id ipsum Judas verbis, *non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium,* enuntiat, atque poenam, quam ideo dant, aeternum esse duraturam, ut ille, affirmat.

B. Hanc doctrinam, Angelos scilicet quosdam peccasse, Patres uno ore tradunt, contra Gnosticos et Manichaeos ad-

---

[1]) 2. Petr. 2, 4.

[2]) Jud. 6.

struentes, omnes Angelos, etiam daemones, a Deo creatos esse bonos, attamen hosce peccando factos esse malos [1]).

C. Ea quoque semper fuit fides Ecclesiae, solenni definitione enuntiata in Conc. Lateranensi IV., quod statuit: ***Diabolus et daemones alii a Deo quidem naturâ creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali*** [2]).

D. Ast ipsa ratio idem necessario intelligit, malos Angelos, quorum exsistentiam revelatio modo indubitato tradit, solummodo peccando atque libertate sua abutendo ortos esse posse; quum Deus pro infinita sua sanctitate ac benignitate, ut supra jam ostendimus, naturas per se malas condere minime possit.

Observ. Quodnam nominatim fuerit peccatum ab Angelis perpetratum, Patres non consentiunt. Quidam enim, qui corpora Angelis assignarunt, censuere, Angelos, saltem illos, qui mundo administrando praeficerentur, cum mulieribus fuisse commixtos, provocantes ad verba Geneseos: *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant* [3]). Quae tamen perperam intelliguntur de Angelis; quum hic loci potius nomine filiorum Dei veniant Sethitae, a Deo dilecti, in oppositione Caini progeniei, vel homines statura proceri, simili sensu, quo in SS. Litteris occurrunt *cedri, montes Dei,* i. e excelsissimi. Sic sensit Justinus [4]), Athenagoras [5]), Clemens Alex. [6]), Tertullianus [7]), Lactantius [8]), Minucius Felix [9]), Methodius [10]), Ambrosius [11]). Alii tamen illam opinionem impugnant, ut Chrysostomus [12]), Basilius Se-

---

[1]) Cf. §. 4. p. 439.

[2]) *C. De f. C.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 22. c. 981—2.

[3]) Gen. 6, 2.

[4]) *Apol. II. n. 5.* Opp. p. 95.

[5]) *Legat. pro Christ. n. 24.* Ib. p. 322 s.

[6]) *Strom. l. 3. c. 7.* Opp. T. 1. p. 535. *l. 5. c. 1.* T. 2. p. 650. *Paedag. l. 3. c. 2.* T. 1. p. 260.

[7]) *De idolol. n. 9.* Opp. V. 1. p. 160. *De cult. foem. l. 1. n. 2.* p. 233. *Cont. Marc. l. 5. n. 18.* V. 2. p. 397. etc.

[8]) *Div. inst. l. 2. c. 15.* Opp. T. 1. p. 174.

[9]) *Octav. c. 27.* Galland. *B. PP.* T. 2. p. 396.

[10]) *Orat. de resurr.* In Galland. *Bibl. PP.* T. 3. p. 783.

[11]) *De Noë, et arc. c. 4. n. 8.* Opp. T. 1. c. 230. *De virg. l. 1. c. 8. n. 53.* T. 2. c. 159.

[12]) *Hom. 22. in Gen. n. 2.* Opp. T. 4. p. 195 s.

leuc. [1]), Cassianus [2]), Cyrillus Alex. [3]) et Philastrius, qui non veretur plane eam inter haereses referre [4]). Et sane quomodo Angeli potuissent delectari rebus venereis, earumque usu, quum corpore humano destituantur; quomodo cum filiabus hominum e posteris Adae commisceri, quos ante peccatum Adami lapsos esse constat. Alii ex verbis S. Scripturae: *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum,* conjiciunt, diaboli peccatum fuisse invidiam, ut Gregorius Nyss. [5]), Irenaeus [6]), Methodius [7]), Anastasius Sin. [8]), Tertullianus [9]), Cyprianus [10]), Lactantius [11]). Attamen in loco laudato aperte non de peccato diaboli, quo originalem dignitatem amisit, quam potius de peccato, quo jam perversus exsistens, protoparentes seduxit, sermo est. — Unde alii, et quidem, ut videtur, rectius superbiam peccatum illud fuisse censent, quum superbia non tantum *initium omnis peccati* declaretur [12]), sed et Apostolus Timotheum admoneat, ut neophytum ad munus episcopale haud promoveat, *ne scilicet in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli* [13]). Quibus verbis non obscure significatur, diabolum poenam superbiae luere. Hanc sententiam tenent Athanasius [14]), Eusebius [15]), Theodoretus [16]), Cyrillus Alex. [17]), Chrysostomus [18]), Gregorius Naz. [19]),

---

1) *Or. 6. Bibl. m. PP.* Lugd. T. 8. p. 436.

2) *Coll. 8. c. 21.* Opp. p. 488 s.

3) *Glaphyr. l. 2.* Opp. T. 1. P. 2. p. 28 ss. *Adv. Anthrop. c. 17.* T. 6. p. 384.

4) *De haeres. c. 80.* Galland. *B. PP.* T. 7. p. 500 s.

5) *Cat. c. 6.* Opp. Par. 1638. T. 3. p. 55 s.

6) *Cont. haer. l. 4. c. 40 n. 3.* p. 287. *l. 3. c. 23. n. 8.* p. 222. etc.

7) Ap. Epiph. *Haer. 64. n. 21.* T. 1. p. 544.

8) In ὁδηγῷ *c. 4. B. PP. max. Lugd.* T. 9. p. 820.

9) *De patient. n. 5.* Opp. V. 1. p. 220.

10) *De zelo et livor. n. 4.* Opp. V. 2. p. 167.

11) *D. inst. l. 2. c. 9.* Opp. T. 1. p. 144. Cf. Justin. *D. c. Tryph. n. 124.* Opp. p. 229. August. *De bapt. cont. Don. c. 8. n. 11.* Opp. T. 9. c. 127. *Cont. litt. Petil. l. 2. c. 81. n. 180.* c. 267.

12) Eccli. 10, 15. Cf. Tob. 4, 14.

13) 1. Tim. 3, 6. Cf. Matth. 4, 9. Ezech. 28, 2 ss.

14) *De virginit. n. 5.* Opp. T. 2. p. 113.

15) *De praep. Evang. l. 7. c. 16.* p. 329.

16) *Graec. aff. cur. Serm. 3.* Opp. T. 4. p. 525.

17) *Comm. ad Is. l. 2.* Opp. T. 2. p. 235. et al.

18) *Hom. 1. in 2. ep. ad Thess. n. 1.* Opp. T. 11. p. 512.

19) *Or. 38. in Christ. nativ.* Opp. T. 1. c. 547. D. *Or. 42. in Pasch. 2.* c. 603. B. *Carm. 6. Arian.* T. 2. c. 146. et al.

Joan. Damascenus [1]), Ambrosius [2]), Hieronymus [3]), Augustinus [4]), Fulgentius [5]), Gregorius M. [6]) et omnes fere reliqui [7]).

In quo autem superbia constiterit, revelatio silet, nisi forsan eo, quod diabolus a Christo Domino adorationem petierit, indicetur, eum se pro Numine habuisse, et propterea deinde etiam ab hominibus pro Numine haberi ac coli voluisse [8]).

Porro etiam illud ignoratur, quamdiu Angeli illi in originali bonitate steterint, et quando sit peccatum perpetratum. Id solum certum est, diabolum peccasse antequam peccaret Adamus, quoniam ad hujus peccatum concurrit [9]).

Observ. 2. Quum in SS. Litteris de principe daemoniorum seu diabolo κατ' ἐξοχήν sermo fiat [10]): Patres communiter tradunt, hunc primum peccatum commisisse, et quodammodo antesignanum seditionis reliquorum exstitisse. Porro plures eorumdem, diabolum principalem locum inter Angelos tenuisse, statuunt, idque ex variis similitudinibus S. Scripturae [11]) colligi posse autumant [12]). Alii tamen aliter sentiunt [13]). Utrum reliqui daemones post primum, ab

---

1) *De orth. fid. l. 2. c. 30.* Opp. T. 1. p. 201.

2) *In Ps. 118. Serm. 3. n. 34. Serm. 7. n. 8.* Opp. T. 2. c. 1005. 1046.

3) *In Ezech. l. 16, 48. 49. 28, ss.* Opp. T. 5. c. 181. 336.

4) *De civ. D. c. 12. c. 6.* Opp. T. 7. c. 304. *l. 22. c. 1. n. 2.* c. 655. *De Gen. ad litt. l. 11. c. 13. n. 17 ss.* T. 3. P. 1. c. 281. s. et al. pass.

5) *Ad Momin. l. 1. c. 17.* Opp. p. 14.

6) *Moral. l. 29. c. 8. n. 18.* Opp. T. 1. c. 925. *l. 4. c. 3. n. 8. c. 108. c.* 9. *n. 15.* c. 110. *l. 28. c. 2. n. 11.* c. 897. *Pastoral. p. 3. c. 17.* T. 2. c. 59. *Dial. l. 3. c. 14.* c. 308.

7) Cf. Petav. *De Angel. l. 3. c. 2. De dogm. theol.* Antv. 1700. T. 3. p. 90 s.

8) Cf. Bonavent. *Brevil. c. 7.* Tub. 1845. p. 64.

9) Cf. Petav. *l. c. 3. n. 11—17.* p. 95 ss.

10) Matth. 12, 24 ss. 25, 41. Apoc. 12, 7 ss.

11) Cf. Is. 14, 12 ss. Ezech. 28, 12 ss. Job. 40, 14.

12) Cf. Cyrill. Hieros. *Cat. 2. n. 4.* Opp. p. 23 s. — Tertull. *Cont. Marc. l. 2. n. 10.* Opp. V. 2. p. 189. — Lactant. *D. inst. l. 2. c. 9.* Opp. T. 1. p. 142 ss. — Gregor. M. *Moral. l. 32. c. 23. n. 4.* Opp. T. 1. c. 1072 s. Isidor. *Sent. l. 1. c. 12.* Opp. p. 417. Et al. Cf. Petav. *l. c. n. 2.* p. 93 s.

13) Cf. J. Damasc. *De o. f. l. 2. c. 4.* Opp. T. 1. p. 158. — Gregor. Nyss. *Cat. c. 6.* Opp. T. 3. p. 55. — Athen. *Leg. p. Christ. n. 25.* Opp. — Justin. p. 323. — Maxim. *Ad c. 11. de coel. hierarch.* Opp. Dion. T. 1. p. 157. — Augustin. *Gen. ad litt. l. 11. c. 19. n. 25—26.* Opp. T. 3. P. 1. c. 283 s. — Cassian. *Coll. 8. c. 8.* Opp. p. 474. Et al. Cf. Petav. *l. c. n. 5—6.* p. 94.

hoc allecti, an vero sponte sua ejus peccatum suum fecerint, pariter definiri non potest. Hoc tamen certum est, peccatum non propter necessitudinem naturae ab uno in omnes alios transiisse, sed per liberam illius imitationem hos in peccatum atque perditionem incidisse.

Observ. 4. Diabolus cum angelis suis, nec non omnibus perversis, qui eum peccando sequuntur, regnum constituit tenebrarum ac peccati, summaeque miseriae, regno divino per omnia adversum; seu ut scribit S. Gregorius M.: *Sicut autem isdem Redemtor noster una persona est cum congregatione bonorum; ipse namque caput est corporis: ita antiquus hostis una persona est cum cuncta collectione reproborum; quia ipse eis ad iniquitatem quasi caput praeeminet, illi autem dum ad persuasa deserviunt, velut subjunctum capili corpus inhaerent* [1]).

Observ. 5. Quum Deum nec Angelis peccantibus pepercisse legamus: lapsum Angelorum serio meditemur et contremiscamus, simulque fugiamus peccatum, inprimis vero peccatum superbiae, *quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* [2]). Quo respectu pulchre ait Paulinus: *Humilitas homines sanctis Angelis similes facit, et superbia ex Angelis daemones fecit. — Superbia est omnium peccatorum initium et finis et causa; quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse sine superbia* [3]).

§. 11. Conditio Angelorum bonorum.

Conditio Angelorum, qui probati sunt, est beatissima. Nam decreto voluntatis haud revocando, perpetuo sese Deo, summo Bono, uniendi effecti, quod fieri debebant, statum absolutae perseverantiae in bono consecuti sunt, ita ut labi non possint amplius [4]). Qui enim tali modo probatus est, hunc Deus novae iterum probationi subjicere non potest, et sic continuo salutem ejus periculo exponere. Hinc bona Angelorum voluntas in naturam eorum abiit, et ipsi perfectionis plenitudinem nacti, tentationibusque amplius nullis expositi, peccare haud possunt [5]).

---

[1]) *Moral. l. 4. c. 11. n. 18.* Opp. T. 1. c. 12.

[2]) Petr. 1. 5, 5.

[3]) *De salut. docum.* Opp. August. T. 6. Append. c. 196.

[4]) Cf. Gregor. M. *Mor. l. 25. c. 6. n. 11.* Opp. T. 1. c. 791.

[5]) Cf. Augustinus *De corrept. et grat. c. 10. n. 27.* Opp. T. 10. c. 764 s. — Joan. Damascen. *De orth. fid. l. 2. c. 3.* Opp. T. 1. p. 157.

Nimirum visione Dei, quam intuitivam adpellant, dignati [1], summa cognitione perfectionum divinarum pollent, et summo ideo amore in Deum, summum Bonum, accensi, non possunt non eum quam maxime diligere, a quo se iterum dilectos sciunt, atque sic ex hac perfectissima cognitione atque Dei dilectione summam beatitudinem percipere, et per hanc iterum in illa confirmari ac corroborari. Quapropter secundum SS. Litteras unice cognitione decretorum divinorum delectantur [2], et continua Dei celebratione [3]) atque laeta voluntatis divinae executione occupantur [4], in aeterna perseverantia firmati atque quibuscumque periculis et miseriis divina potestate exemti, tanta beatitudinis plenitudine fruentes, qua illis certissimum est, se in illa aeternum esse mansuros [5].

§. 12. Relatio Angelorum bonorum ad genus humanum.

Quamvis Angeli boni inter se invicem unam familiam constituant; tamen simul non tantum universi generatim, sed et regni moralis seu regni divini speciatim pars sunt [6]. Eapropter inter Angelos atque homines necessitudo intercedat, illique ad nostram salutem promovendam concurrant necesse est. Ad finem enim communem omnes res creatae unitis viribus tendere debent; atque homo, ex utroque mundo compositus, qui quoad vitam suam corporalem tam vario ac multiplici modo a mundo corporali pendet, non potest quoad vitam spiritualem cum mundo spirituali non esse conjunctus.

Id ipsum autem est, quod nobis de Angelis divina tradit revelatio. Etenim

---

1) Matth. 18, 20. Cf. Augustin. *De civ. D. l. 11. c. 29.* T. 7. c. 295. *l. 9. c. 22.* c. 234 a.

2) 1. Petr. 1, 12. Ephes. 3, 10.

3) Cf. Joan. 6, 3. Luc. 2, 13. 14. Apoc. 7, 11. 12. Dan. 7, 10.

4) Matth. 6. 10. 15, 7. 10. Ps. 102, 21.

5) Cf. Augustin. *De civ. Dei l. 22. c. 1.* T. 7. c. 655 s. — Fulgent. *De fid. ad Petr. l. 3. n. 28. 31.* Opp. p. 514 a. — Isidor. *Sent. l. 1. c. 12.* Opp. p. 418. — Maxim. *Ad. c. 13. §. 4. Dionys. De coel. Hier.* Opp. Dionys. T. 1. p. 178. — Anselm. *De cas. diab. c. 24.* Opp. p. 72. c. 2.

6) Cf. Hebr. 12, 22.

A. SS. Litterae diserte docent, Angelos generatim curam salutis nostrae sustinere, pro nobis apud Deum intercedere, atque ideo etiam a Deo tamquam instrumenta providentiae suae sapientissimae ad salutem hominum modo extraordinario promovendam adhiberi. Prius edisserunt verba Apostoli; *Nonne omnes (Angeli) sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis* [1])? Angelos pro hominibus intercedere, docet auctor libri Tobiae, qui haec a Raphaële Tobiae dicta refert: *Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino* [2]). Porro Zacharias, qui inducit Angelum sic orantem: *Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem, et urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est* [3]). Nec non Joannes, qui scribit: *Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei. — Et alius Angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum, et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de manu Angeli coram Deo* [4]). Praecipue autem saepius in S. Scriptura narratur, quomodo Deus Angelis executoribus voluntatis suae extraordinariis usus sit. Angelos enim juxta eamdem jam in educandis primis parentibus occupatos deprehendimus [5]). Angeli adparent Abrahamo, aliisque illo tempore, quo prima quasi futuri regni Messiani jacta sunt fundamenta [6]). Ministrantibus Angelis data est Lex populo Israëlitico [7]). Tempore Prophetarum Angeli saepius praesto sunt, divinam voluntatem annuntiant, atque futura aperiunt [8]). Quum autem adveniret plenitudo temporis Angeli adventum Salvatoris, ejus conceptionem ac nativi-

[1]) Hebr. 1, 14.

[2]) Tob. 12, 12.

[3]) Zach. 1, 12.

[4]) Apoc. 8, 2—4.

[5]) Cf. Gen. 3, 24.

[6]) Gen. 18, 1 ss. 19, 1 ss. 22, 11 ss. Cf. 28, 12. 31. 11.

[7]) Cf. Act. 7, 53. Gal. 3, 19. Hebr. 2, 2.

[8]) Jud. 2, 1. 6, 12. 13, 2—15. 4. Reg. 19, 5—7. Dan. 14, 32 ss. 8, 15 ss. 9, 21 ss. 10, 1 ss. Zach. 1, 7 ss. 2, 3. 4, 1 ss. 5, 5 ss. 6, 4 ss.

tatem annuntiant [1]), hanc divinis laudibus celebrant [2]), ipsi ministrant [3]), in agonia constituto assistunt [4]), in ejus resurrectione [5]) atque in coelum ascensione [6]) spectandos se praebent, Apostolos in propaganda fide Christiana adjuvant [7]), et tandem aliquando cum Christo Domino ad extremum judicium adparituri sunt [8]), qui enim testes ac socii vitae nostrae erant, testes ac socii gloriae quoque nostrae sint necesse est. *Dico autem vobis* ait Salvator: *Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis.* [9])

B. Eadem docent SS. Patres. Eapropter Angelos nominant *παιδαγογοῦς καὶ παιδονόμους paedagogos et puerorum institutores*, ut Basilius [10]), *τῶν ἀνθρώπων διδασκάλους, praeceptores hominum*, ut Athanasius [11]), *pastores populi*, ut Ambrosius [12]), Hieronymus [13]), et Eusebius [14]), *τῇ ἀνοδῷ ἐφίστωτες, qui ascensui praesunt*, ut Clemens Alex. [15]), *pedissequos animae*, ut Bernardus [16]). Omnium autem pulcherrime rem nostram edisserit Augustinus, qui ait: *Rectus itaque confessionis ordo poscebat, ut Trinitati subjungeretur Ecclesia, tamquam habitatori domus sua, et Deo templum suum, et conditori civitas sua. Quae tota hic accipienda est, non solum ex parte, qua peregrinatur in terris, a solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini, et post captivitatem vetustatis cantans canticum novum: verum etiam*

---

1) Luc. 1, 26—38. Cf. Matth. 1, 18—22. 2, 13—15, 19—23.
2) Luc. 2, 13 s. Cf. 2, 9—12. Matth. 1, 20. 2, 12. 13. 19. 22.
3) Matth. 4, 11.
4) Luc. 22, 43.
5) Matth. 28, 2—3. Joan. 20, 12—13. Luc. 24, 23, Marc. 16, 5—7.
6) Act. 1, 10—11.
7) Act. 5, 19—20. 27, 23 s. 12, 7—11. 8, 26. 10, 1—7. 11, 13.
8) Matth. 13, 39. 49—50. 16, 27. 24, 31. 25, 31 ss. Luc. 9, 26.
9) Luc. 12, 8—9. Cf. 1. Par. 21, 15. 2. Par. 32, 21. 4. Reg. 19, 35. Prov. 17, 11. Eccli. 48, 24. Is. 33, 3. 37, 36. 1. Mach. 7, 41. Apoc. 7, 1 ss.
10) *De Spir. S. c. 13. n. 30.* Opp. T. 3. p. 25. Cf. *n. 29.* p. 24.
11) *De comm. essent. P. F. et Sp. S. n. 52.* Opp. T. 2. p. 27.
12) *Expos. Ev. sec. Luc. l. 2. n. 50.* Opp. T. 1. c. 1298.
13) *In Is. 14, 18 ss.* Opp. T. 4. c. 246.
14) *Dem. Ev. l. 4. c. 6.* p. 156.
15) *Strom. l. 4. c. 18.* Opp. T. 1. p. 616. Cf. *l. 5. c. 14.* T. 2. p. 701. *l. 7. c. 13.* p. 881. etc.
16) *In Cant. serm. 31. n. 5.* Opp. c. 1385.

ex illa, quae in coelis semper, ex quo condita est, cohaesit Deo, nec ullum malum sui casus experta est. Haec in sanctis Angelis beata persistit, et suae parti peregrinanti, sicut oportet, opitulatur: quia utraque una erit consortio aeternitatis, et nunc una est vinculo charitatis, quae tota est instituta ad colendum unum Deum [1]).

§. 13. Custodia Angelorum.

Attamen revelatio divina non tantum generatim docet, Angelos nobiscum esse conjunctos, utpote ad idem regnum divinum pertinentes, nostramque salutem promovere, sed ulterius progrediens speciatim tradit, eosdem singulis hominibus in custodiam esse deputatos. Intelligimus autem sub custodia Angelica praesidium singulis hominibus ab Angelis exhibitum ad bonum eorum, tum spirituale tum corporale, promovendum. Pro qua itaque Angeli salutis nostrum singulorum, praecipue spiritualis, curam gerunt, imminentia undique pericula propulsare satagunt, animos ad virtutem sectandam faciunt, timidos corroborant, laborantes adjuvant, lapsos erigunt, moerentes recreant, salutaria monita suggerunt, orantibus assistunt, et eorum preces Deo offerunt, vita perfunctos post obitum excipiunt et ad beatorum sedes transferunt.

Tutela Angelorum impugnata est a Calvino, qui illam *commentum esse, satanae astu, ut fiduciam nostram in Christum mediatorem minuat, in Ecclesiam invectum* asserit. Alii Protestantes tamen mitius de doctrina hac sentiunt. Rationalistae autem aevi incultioris ac rudioris ingenio eamdem adscribunt.

Catholicis autem de Angelorum custodia dogmatice constat, licet reliquae quaestiones, quae moveri in hac re possunt, et etiam moventur, definitae minime sint. Quod

A. spectat ad SS. Litteras: pertinent huc sequentia divina effata: ***Quoniam Angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus por-***

---

1) *Enchir. n. 15.* Opp. T. 6. c. 217. Cf. *Enarr. in Ps. 62. n. 6.* T. 4. c. 609. *Enarr. in Ps. 78 n. 1.* c. 839. *Epist. 130. c. 9. n. 18:* T. 2. c. 389. — Origen. *De princ. l. 1. c. 8. n. 1.* Opp. T. 1. p. 74. — Dionys. *De coel. Hier. c. 4. §. 2—4.* Opp. T. 1. p. 53 ss. — Maxim. *Ad h. l.* Ib. p. 59 ss. — Tertull. *De or. n. 12.* Opp. V. 1. p. 209. — Anselm. *Hom. 6. in Ev. S. Luc.* Opp. p. 171. c. 1. D.

tabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum [1]). — *Immittet (castra metabitur* juxta text. Hebr.) *Angelus Domini in circuitu timentium eum: et eripiet eos* [2]). Et: *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est* [3]). — Porro Propheta tradit, Angelos pro hominibus ad Deum precari [4]), nec non Apostolus [5]), ut supra vidimus. Atque Christus Dominus docet, ab Angelis animas in sedes coelestes deportari. *Factum est autem*, ait, *ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae* [6]). — Quapropter et Jacobus loquitur de Angelo, *qui eruerit* ipsum *de cunctis malis* [7]), Judith de Angelo, qui se custodierit *et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem* [8]), atque congregati in domo Mariae, matris Marci, ancillae nuntianti, Petrum e carcere eductum ostium pulsare, credere nolentes ajunt: *Angelus ejus est* [9]).

B. SS. Patres vero unanimiter docent, Angelos testes factorum nostrorum esse, tacitamque ac praesentissimam nobis opem ferre. Sic ait Origenes: *Adest unicuique nostrum, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis et miserationibus exposcendis quotidie videat faciem Patris, qui in coelis est* [10]). — Gregorius Thaumaturgus: *Nos praeter communem omnium hominum gubernatorem, hunc etiam agnoscimus et praedicamus, quisquis est privatim paedagogus noster* (Angelus), *qui re ipsa pueri et infantes sumus. Qui — ut olim me, ita nunc quoque alit, erudit, ac*

1) Ps. 90, 11. 12.
2) Ps. 33, 7.
3) Matth. 18, 10.
4) Zach. 1, 12. Cf. Job. 33, 23.
5) Apoc. 8, 3—5.
6) Luc. 16, 22.
7) Gen. 48. 16.
8) Judith 13, 20.
9) Act. 12, 15.
10) *In Num. hom. 20. n. 3.* Opp. T. 2. p. 350. Cf. *In Gen. hom. 8. n. 8.* Ib. p. 83. B. *In Ps. 37. Hom. 1.* Ib. p. 681. D. *Comm. in Ep. ad Rom. l. 2. n. 4.* T. 4. p. 479. et al. s.

manu ducit" [1]). — Basilius: *Quod unicuique fidelium adsit Angelus velut paedagogus quidam et pastor ad vitam dirigens, nemo contradicet, qui meminerit verborum Domini, qui ait: „Ne contemnatis etc.*" [2]). — Chrysostomus: *Hinc manifestum est, sanctos omnes Angelos ibi habere* [3]). — Hilarius: *Sunt Angeli parvulorum quotidie Deum videntes. Hi igitur spiritus ad salutem humani generis emissi sunt: neque enim infirmitas nostra, nisi datis ad custodiam Angelis, tot tantisque spiritualium coelestium nequitiis obsisteret* [4]). — Hieronymus: *Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum* [5]). — Augustinus: *Magna cura et sollicitudine Angeli adsunt nobis* [6]).

Post saec. IV. autem in honorem Angelorum custodum erecta sunt altaria et consecratae Ecclesiae; atque saec. XI. festum Angelorum custodum est institutum. Quae sane sufficiunt ad fidem Ecclesiae priorum saeculorum manifestandam.

C. Tandem etiam ratio et sana philosophia non potest non id ipsum quam maxime probare. Nam si praeter homines Angeli quoque ad mundum pertinent: non possunt ipsi esse exteri rebus humanis. Sicut enim omnia, ut supra jam injecimus, in mundo corporeo sive inter se sive cum hominibus copulantur, quatenus hi corporibus sunt vestiti, ita similiter in mundo spi-

---

1) *Or. de laud. Origen. n. 4.* Ib. P. 2. p. 60.

2) *Cont. Eunom. l. 3. n. 1.* Opp. T. 1. p. 272. D. Cf. *Hom. in Ps. 33. n. 5.* p. 148. *In Ps. 48. n. 9.* p. 186.

3) *In Matth. Hom. 59. n. 9.* Opp. T. 7. p. 599. Cf. *In Ep. ad Col. Hom. 3. n. 3.* T. 11. p. 347. *In Hebr. H. 14. n. 4.* T. 12. p. 148.

4) *Tr. in Ps. 134. n. 17.* Opp. T. 1. c. 533. *Tr. in Ps. 136. n. 5.* c. 557. *Comm. in Matth. c. 18. n. 5.* c. 758.

5) *Comm. in Matth. 18. 10—11.* Opp. T. 7. c. 139. *Epist. ad Eustoch. 108. n.* 2. T. 1. c. 691.

6) *De quaest. 83. q. 67. n. 7.* Opp. T. 6. c. 51. — Method. *Conv. 10 Virg. Or. 2. n. 6.* Galland. *B. PP.* T. 3. p. 682. — Bernard. *Serm. 12. in Ps. 90. n. 8.* Opp. c. 870. *In Cantic. Serm. 39. n. 4.* c. 1411. — Theodoret. *In Gen. q. 3.* Opp. T. 1. p. 5. — Cyrill. Alex. *In Is. 60, 18. l. 5. c. 5.* Opp. T. 2. p. 854. *De adorat. in Spir. l. 4.* T. 1. p. 113. *Cont. Julian. l. 4.* T. 6. p. 122 s. et al. — Theophyl. *In Matth.* c. 18. Opp. T. 1. p. 95. — Ambros. *Serm. 1. in Ps. 118. n. 9.* Opp. T. 1. c. 976, *De vid. c. 9. n. 55.* T. 2. c. 200.

rituali omnes naturae inter se et cum hominibus jungi, quatenus hi spiritus sunt, et hinc etiam hisce opem ferre, non sine veri specie conjicitur. Non mirandum itaque, Gentilium quoque animis hanc insitam fuisse persuasionem, et quam plurimos veterum philosophorum confessos fuisse, esse hominibus Angelos ad tutelam, praesidiumque adjunctos.

Neque potest statui, per providentiam divinam superfluam nobis reddi custodiam Angelorum, et quidem tam parum, quam parum potest adstrui, eo quod Deus humanis rebus provideat, non esse divitum opibus sustentandos pauperes, non potentium viribus fulciendos inermes, non confugiendum aegrotis ad medicum, non indigere rudes magistro. Quemadmodum in hisce potius recte provida Dei cura nostri conspicitur, ita quoque Angelorum custodia praesentiorem Dei opem nobis testatur. Insuper non exigua inest veritati huic in hacce lacrymarum valle consolatio, nec non ad virtutem excitatio, et a peccatis ac praecipue scandalis avocatio, quum sciamus, intimum esse sublimium illorum spirituum cum homine nexum, nosque et eorum perfrui consortio et potenti muniri praesidio.

Haec certa sunt, et extra omne dubium collocata. Attamen si ulterius quaeritur, num scilicet tantum fidelibus, an vero omnibus omnino hominibus sine discrimine Angeli in custodiam deputentur; num porro singulis hominibus datus sit singularis Angelus custos, an vero pluribus unus, aut unicuique plures; atque num Ecclesiae, ejusque singulis partibus, seu Ecclesiis particularibus, nec non regnis ac provinciis singuli praefecti sint Angeli: nil certi definiri potest.

Interim tamen quod ad priorem quaestionem attinet: singulis hominibus singulos Angelos in custodiam destinari, ex laudatis verbis Christi colligi posse videtur, et ex responso a congregatis in domo Mariae, matris Marci, dato Rhode puellae nuntianti, Petrum adesse et pulsare, persuasionem hanc apud Judaeos [1]) pervulgatam fuisse, clare cognoscitur. — Porro plures Patres quidem, ut ex locis citatis adparet, affirmare videntur, nonnisi fidelibus ac justis Angelum in custodiam esse assignatum [2]). Communior tamen sententia est, etiam peccatoribus et reprobis Angelum custodem adesse, quum Deus benigna

[1]) Act. 12, 15.

[2]) Origen. *In Num. Hom. 20. n. 3.* Opp. T. 2. p. 350. — Basil. *Cont. Eunom. l. 3. n. 1.* Opp. T. 1. p. 272. *In Ps. 33. n. 5.* p. 148. *In Ps. 48. n. 9.*

sua voluntate omnes omnino homines comprehendat, et ordinaria salutis auxilia, ad quae manifeste custodia Angelorum referenda est, nemini deneget. Unde et Patres alii bene multi nullum discrimen instituunt inter fideles et infideles, inter justos et peccatores, inter electos et reprobos [1]). Cui sententiae quoque suffragatur Catechismus Romanus, qui habet: *Est Dei providentia datum hoc negotium Angelis, ut custodiant humanum genus, singulis hominibus praesto sint, ne gravius aliquod detrimentum accipiant* [2]). Accedit magnus fidelium omnium consensus.

Communis quoque est Theologorum doctrina, singulis communitatibus, regnis, provinciis speciales Angelos a Deo esse deputatos, cum in SS. Litteris commemorentur principes, i. e. Angeli, regni Persarum, Graecorum et Judaeorum [3]); et ideo eo magis tum universae Ecclesiae, tum singulis ejus partibus, seu dioecesibus ac coetibus religiosis praeesse creduntur [4]),

---

p. 189. — Chrysost. *In Ep. ad Col. Hom. 3. n. 3.* Opp. T. 11. p. 347. — Anastas. Sin. *Anag. contempl. in Hexaëm. l. 5. Bibl. m. PP.* Lugd. T. 9. p. 880. — Petr. Damian. *Opusc. 23. c. 4.* Opp. T. 3. p. 240. — Hilar. *Tr. in Ps. 136. n. 5.* Opp. T. 1. e. 557.

1) Cf. Theodoret. *In Gen. q. 3.* Opp. T. 1. p. 5. *Graec. affect. cur. Serm. 3. et 4. cont. Gentil.* T. 4. p. 525. 537. — Hieronym. *Comm. in Is. 65, 20.* Opp. T. 4. e. 822. *Ad Habac. c. 1. 13. 14.* T. 6. e. 604. — Gregor. M. *Mor. l. 4. c. 29. n. 55.* Opp. T. 1. c. 127. — Thom. *1. q. 113. a. 5.* Opp. T. 20. p. 616. s. Cf. Petav. *De Angel. l. 2. c. 7. n. 6. De dogm. theol.* Antv. 1700. T. 3. p. 71.

2) Ed. Vienn. 1833. p. 436.

3) Dan. 10, 1 ss. Cf. 12, 1. Jos. 5, 14. — Clem. Alex. *Strom. 6. c. 17.* Opp. T. 2. p. 622. — Origen. *In Gen. H. 16. n. 2.* Opp. T. 2. p. 103. *In Exod. Hom. 8. n. 2.* p. 157. — Euseb. *D. E. l. 4. c. 10.* p. 161. — Dionys. *De c. hier. c. 9. §. 2—4.* Opp. T. 1. p. 129 ss. — Basil. *Cont. Eunom. l. 3. n. 1.* Opp. T. 1. p. 272. — Theodoret. *In Dan. 10. 13.* Opp. T. 2. p. 672 s. *Quaest. in Gen. q. 3.* T. 1. p. 5. *In Col. 1, 16.* T. 3. p. 347. — Epiphan. *Haer. 51. n. 34.* Opp. T. 1. p. 456 s. — Isidor. Pelus. *l. 2. Ep. 85.* p. 110. — Theodoret. *Haer. fab. l. 5. c. 7.* Opp. T. 4. p. 267 s. *Comm. in Dan. l. 10. 10, 13.* T. 2. p. 672 a. — Hieronym. *In Dan. 7, 2—3.* Opp. T. 5. e. 663. et *10, 13.* e. 699. *In Is. 14. 32.* T. 4. e. 264. — *In Zachar. 1, 8—9.* T. 6. c. 784 s. — Victorin. Petav. *Comm. in Apoc. c. 9.* Galland. *B. PP.* T. 4. p. 58. — Isidor. Hispal. *Sent. l. 1. n. 12.* Opp. p. 418. D. etc.

4) Cf. Origen. *In Luc. hom. n. 12. 13. et 23* T. 3. p. 946. 947. 961. — Gregor. Naz. *Or. 33.* Opp. T. 1. c. 466. — Basil. *De jejun. hom. 2. n. 2.* Opp. T. 2. p. 11. *Epist. 238 (191)* T. 3. p. 367. — Hieron. *In Mich.*

atque **Michael** Angelus custos Ecclesiae, quae in locum Synagogae successit, passim habetur [1]).

Observ. Deus Angelis mandavit, ut nos custodiant. Discamus inde nostram dignitatem, discamus pie vivere. Si enim coram viro bono turpe quid committere formidamus: multo magis veneranda nobis sit spirituum praesentia, ne quid turpe dictu vel factu in nobis advertant, quo a nobis pellantur. Eleganter, ut solet, in hanc rem ait **Bernardus**: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, adferre devotionem, conferre fiduciam; reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia* [2]).

§. 14. Cultus Angelorum.

Ex praestantia ac dignitate Angelorum, nec non ex eorum ad nos relatione, modo exposita, sponte sua eorumdem cultus, i. e. eorum veneratio ac invocatio consequitur. Quam utramque Ecclesia Catholica tuetur ac frequentat; haeretici vero pessime interpretantur, dum unius singularisque Dei, et unici perinde Mediatoris Christi majestatem et auctoritatem deteri hoc in illos obsequio jactitant, et esse nos affines idololatriae ac Gentilium superstitioni criminantur. Attamen inanis est et hic hostium nostrorum in rem Catholicam impetus. Etenim

1. quum Angeli dignitate morali emineant, et ideo divina visione dignati, quodammodo ab ipso Deo honorentur; atque insuper res nostras procurent, ad nos tuendos incumbant, preces nostras Deo offerant, et nobis vicissim beneficia ab eo reportent: venerationem ac dilectionem ipsis denegare non possumus, qui sanctitatem in quavis natura rationali aestimare et beneficia accepta cuique grato animo rependere tenemur. — Porro cum Angeli utilitates, commodaque nostra apud Deum procurent, nostras necessitates, vota ac orationes eidem repraesentent, et gratiam coelestem nobis concilient: cur, quando ipsi ultro nobis navant operam, hanc ab eis desiderare fas non esset, nec desideratam postulare, siquidem viventium hominum preces pro se, aliisque non semel Apostolus implorat, eosque

6, *1—2*. T. 6. c. 500 s. *In Matth. c. 18, 10— 11*. T. 7. c. 445 s. — **Hilar.** *In Ps. 124. n. 6*. Opp. T. 1. c. 454. **Petav.** *l. c. c. 8*. p. 73. ss.

[1]) Cf. Dan. 12. 1.

[2]) *Serm. 12. in Ps. Qui habitat. n. 5*. Opp. c. 869.

mediatores apud Deum et interpellatores adhibet, tum ipse vicissim pro illis orationes suas, et eamdem mediatoris operam pollicetur [1])? Hinc et

2. in SS. **Litteris** hunc honorem Angelis passim exhibitum esse, uti ab Abrahamo [2]), Lotho [3]), Balaamo [4]), Josue [5]), Tobia [6]) nec non Joanne Apostolo [7]), leginus. Exemplum invocationis Angelorum autem in Jacobo habemus [8]), et orationes nostras ab Angelis Deo offerri, ex libro **Tobiae** [9]) et **Apocalypsi** [10]) discimus.

3. Ita quoque SS. **Patres** cultum hunc Angelis praestandum esse docent, atque ubique receptum in antiqua Ecclesia fuisse testantur. Sic e. gr. **Ambrosius** ait: *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad praesidium dati sunt* [11]). **Eusebius** de virtutibus angelicis disserens scribit, *eas nos agnoscere, et honorare doctos esse pro dignitatis illarum modo, ita ut soli omnium regi Deo summi cultus honor attribuatur* [12]). **Theodoretus**: *Hos tamen* (Angelos), ait, *deos non appellamus, nec divinum illis cultum tribuimus, nec in Deum et istos divinam adorationem partimur* [13]). Atque

4. **Concilium Nic. II.** tandem solenniter definivit: *Honorare et magnificare didicimus — sanctas et angelicas virtutes* [14]).

Attamen cultus, quem ex mente Ecclesiae Angelis impendimus, nequaquam cultus divinus seu cultus λατρείας, solius divinitatis proprius, est. Angelos enim tantum tamquam Dei servos ac amicos, nostrosque beneficatores honoramus; neque, quando

---

1) Cf. Rom. 15, 30. 2. Cor. 1, 11. Philem. 22.
2) Cen. 18, 2.
3) Gen. 19, 1.
4) Num. 22, 31 ss.
5) Jos. 5, 13—16.
6) Tob. 12, 16.
7) Apoc. 1, 4.
8) Gen. 48, 16.
9) Tob. 12, 12.
10) Apoc. 8, 2—3. Cf. Matth. 18, 10. Luc. 15, 10.
11) *De vid. c. 9. n. 55.* Opp. T. 2. p. c. 200.
12) *Dem. Evang. l. 3. c. 5.* p. 69.
13) *Graec. aff. cur. Serm. 3.* Opp. T. 4. p. 522. — Cf. **Origen.** *Cont. Cels. l. 8. 13.* Opp. T. 1. p. 751. *In Ezech. Hom. 1. n. 7.* T. 3. p. 358. — **Augustin.** *De civ. Dei l. 9. c. 23. n. 3.* Opp. T. 7. c. 236.
14) *Act. 4.* **Mansi**, *Coll. Conc.* T. 13. c. 131.

amorem ac venerationem iisdem praestamus, ea, quae Dei et Christi sunt, ad eos transferimus, optime scientes, praesidia angelica a Domino nobis esse comparata. Deinde Angelos non invocamus, ac si nostri sint veri ac proprii mediatores, quo sensu scilicet Christus unus Mediator Dei et hominum est, sed solummodo tamquam intercessores et orationibus suis apud Deum adjutores, seu mediatores secundarios, qui nos nequaquam redimere aut justificare ac sanctificare possint, sed nonnisi precibus applicationem meritorum Christi et gratiam divinam obtinere valeant. Quae item SS. Litterae sat clare insinuant, SS. Patres continuo monent, et Concilia praecipiunt.

Nam in SS. Litteris non tantum mandatum soli Deo serviendi [1]) continetur, sed et Apostolus expresse cultum illorum reprobat, qui falsis Platonicorum opinionibus imbuti asserebant, majoris esse dignationis Christum, ac fastigii, quam ut de nostris rebus adiri possit, et sequestris ac interpellatoris partes ei demandentur, ideoque mediatores unicos adhibendos esse Angelos, quales erant Simoniani, Menandriani, Valentiniani et Cerinthiani [2]); atque Angelus Joannem, qui illi, sibi terribili cum splendore apparenti, vel quia Christum esse suspicabatur, vel subito ac majori quodam horrore perculsus, non cogitato ac meditato, cultum divinum tribuere voluit, monet a coeptis desistere his verbis: *Vide, ne feceris: conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora* [3]).

Ex SS. Patribus sufficiat Augustinum allegasse, qui scribit: *Honoramus eos charitate, non servitute, nec eis templa construimus* (i. e. consecramus) [4]). *Nolunt enim se sic honorari a nobis, quia nos ipsos, cum boni sumus, templa summi Dei esse noverunt* [5]). Concilium Laodicenum a. 320. autem statuit:

---

[1]) Deut. 6, 13. 10, 20. Matth. 4, 10. Cf. Gal. 4, 8.

[2]) Col. 2, 18. Cf. Chrysost. *Hom. 7. in Ep. ad Col. n. 1.* Opp. T. 11. p. 372. — Theophylact. *In Ep. ad Col. 2. 18.* Opp. T. 2. p. 485.

[3]) Apoc. 19, 20. 22, 9. Cf. Augustin. *Cont. Faust. l. 20. c. 21.* Opp. T. 8. c. 347. *Serm. 101. de divers. c. 8.* T. 5 c. 1108. *Quaest. in Gen. 1. q. 61.* T. 3. P. 1. c. 393. — Athanas. *Or. 2. adv. Arian. n. 23.* Opp. T. 1. P. 1. p. 491.

[4]) Cf. *Cont. Faust. l. c.*

[5]) *De ver. relig. c. 55. n. 110.* T. 1. c. 787. *De civ. D. l. 9. c. 23. n. 3.* T. 7. c. 236. Iren. *Cont. haer. l. 2. c. 32. n. 5.* p. 166. — Origen. *Cont. Cels. l. 8. n. 13.* Opp. T. 1. p, 751. — Euseb. *Dem. Ev. l. 3. c. 3.*

Quod non oporteat (Christianos) Ecclesiam Dei relinquere, et abire, atque Angelos nominare, et congregationes facere; quae interdicta noscuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occultae idololatriae serviens, sit anathema, quia derelinquit Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei, et se idololatriae tradidit [1]). Quo canone tamen manifeste non prohibetur quicumque cultus Angelorum, sed is tantummodo, qui ad contemtum pertinet Domini nostri Jesu Christi; quod illi faciebant, qui Angelos pro diis venerabantur Platonico, gentilique more. Nam cum a Concilio Martyrum verorum cultus recipiatur, falsorum autem Martyrum superstitiosa veneratio tantum prohibeatur: quis credat, Patres Martyribus quidem ob sanctitatem, qua donati sunt, cultum ac venerationem adjudicasse, Angelis autem, qui illos et naturae et gratiae donis excellunt, omnem honorem et piam observantiam ademisse.

Possunt itaque Angeli interpretes ac internuntii adhiberi, atque ad Deum precatores allegari, non tamen ita, ac si sine illis nobis nullus ad Deum pateat aditus, aut Deus nullum nobiscum habeat commercium, sed solummodo eatenus, quatenus exorari se, interpellarique ab Angelis vult Deus, et facilius indulget, quidquid a nobis, iisdem nobiscum orantibus, petitur.

§. 15. Conditio daemonum.

Quemadmodum conditio Angelorum bonorum est felicissima, ita conditio Angelorum malorum est miserrima. Peccando quidem natura eorumdem non est immutata, quod nec fieri potuit, ast est corrupta et inversa; vitium enim naturam non expellit, sed turbat atque deteriorem efficit quoad perfectionis gradus, salva substantia. Non amiserunt itaque Angeli mali nativas cognoscendi ac libere appetendi vires, et hinc adhuc Deum, absolutum Bonum et Verum, universim cognoscunt [2]), attamen haec cognitio eos tremore replet [3]); unde illam pervertere stu-

p. 107. *Praep. Ev. l. 7. c. 15.* p. 327. — Basil. *Adv. Eunom. l. 5.* Opp. T. 1. p. 304. — Chrysost. *In Col. H. 7. n. 1.* Opp. T. 11. p. 372.

[1]) *Can. 35.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 2. c. 580. Cf. Balsamon, Zonaras, Aristid. in h. c.

[2]) Marc. 1, 24. Matth. 8, 29.

[3]) Matth. 8, 29. Jac. 2, 19.

dent [1]), ac illa ad malum abutuntur [2]), utpote veritatis osores effecti [3]). Porro sponte sua ac voluntate quidem agunt, attamen omnis ipsorum agendi ratio peccatum ac malum est [4]). Quoniam autem toti odio veri ac honesti tenentur, studio mendacii ac peccati nonnisi ducuntur daemones: etiam mendacium ac peccatum, atque hinc perniciem ac mortem, parati ad nocendum turbandosque consiliorum divinorum fines optimos, propagare satagunt [5]). Hujusce vero perversitatis fructus poena est, eaque aeterna, cum aversio Angelorum malorum a Deo sit plenissima, et ideo cum obstinatione in malo conjuncta [6]), ita ut nullus ipsis resipiscentiae locus sit relictus, et nulla prodesse possit redemtio, cujus insuper, uti interna indole, ita etiam externa conditione sunt incapaces, quum per generationem haud orti, genus minime constituant. Quam poenam inde a lapsu suo jam luunt, plenam vero percipient in fine hujus saeculi, quando perfecta fiet rerum per peccatum turbatarum restitutio, atque boni ac mali absoluta separatio [7]). Christus enim diserte docet, ignem aeternum paratum esse diabolo, et angelis ejus [8]); atque Judas ait, Angelos, *qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, vinculis aeternis sub caligine reservari in judicium magni diei* [9]); et Joannes, diabolum missum esse *in stagnum ignis, et sulphuris, ubi et bestia, et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte, in saecula saeculorum* [10]). Haec eadem est SS. Patrum [11]) doctrina,

---

1) Cf. Gen. 3, 4. 5. 1. Tim. 4, 1.

2) Cf. Marc. 3, 11—12. 2. Cor. 11, 14.

3) Joan. 8. 44.

4) Joan. 8, 44. 1. Joan. 3, 8.

5) Luc. 8, 12. Matth. 13, 39. 2. Cor. 11, 3. Ephes. 6, 11. 1. Petr. 5, 8. 1. Thess. 2, 18. Luc. 22, 31.

6) Cf. Nemes. Emes. *De nat. hom. c. 1.* Galland. *B. PP.* T. 7. p. 357. — Cassian. *Coll. 4. c. 14.* Opp. p. 382. — Gregor. M. *l. 9. c. 50. n. 76.* Opp. T. 1. c. 322. — J. Damasc. *De f. orth. l. 2. c. 3.* Opp. T. 1. p. 156.

7) 2. Petr. 2, 4. Jud. 6. Cf. Matth. 8, 29. 25, 41 ss. Marc. 5. 7. Ephes. 2, 2. 6. 12.

8) Matth. 25, 41. Cf. 8, 29.

9) Jud. 6. Cf. 2. Petr. 2, 4.

10) Apoc. 20, 9.

11) Cf. Justin. *Apol. 1. Apol. 2. n. 8.* Opp. p. 98. — Tatian. *Cont. Graec. n. 15.* Ib. p. 272. — Iren. *Cont. haer. l. 3. c. 23. n. 3.* p. 221. *l. 1. c. 10. n. 1.* p. 48. *l. 5. c. 27. n. 1.* p. 325. — Tertull. *De carn. Chr. n. 14.* V. 2. p. 60. — Augustin. *In Ps. 77. n. 28.* Opp. T. 4. c. 832. *In Ps. 54.*

atque contrariam Origenis sententiam, Christum etiam pro daemonibus passurum esse, horumque poenam aliquando finem habituram, cum absoluta rerum omnium *ἀποκατάστασις* sit exspectanda, Concilium Constantinopolitanum II. a. 550, condemnavit [1]). — Ignem illum, quo secundum SS. Litteras daemones cruciantur, alii SS. Patrum mere spiritualem habent [2]), alii vero materialem esse censent [3]), quod tamen corpora in illis non arguat, sed tantum similem relationem ad ignem, qualis inter animam et corpus intercedit, exigat [4]).

§. 16. Relatio daemonum ad mundum.

Prout per lapsum Angelorum eorumdem natura non est immutata, ita quoque illorum nexus cum mundo non est abruptus, adeo ut, quemadmodum Angeli boni, sic quoque mali in mundum agere queant. Attamen dum Angeli boni bene volunt hominibus, multisque amoribus eos prosequuntur, Angeli mali in nostram perniciem conspirant, nec quidquam intermittunt, quo nos malos efficere possint et infelices. Student autem hominibus nocere, eos partim in peccatum inducendo seu tentando, partim corpus affligendo et malis temporalibus vexando. Utrumque do-

---

n. 4. c. 502. *De civ. D. l. 14. c. 27.* T. 7. c. 377. etc. — Hieronym. *In Is. c. 14. 20.* Opp. T. 4. c. 257. *17, 12—13.* c. 284. *15, 9—10.* c. 343. — Cyrill. *Hier. Cat. 4. n. 1.* Opp. p. 51. — Hilar. *In Ps. 148. n. 7.* Opp. T. 1. c. 647.

[1]) *Can. 1. 7. 12. 13. 15.* Mansi, *Coll. Conc.* T. 9. c. 395 ss. Cf. Origen. *De princ. l. 4. n. 25. l. 1. c. 6.* Opp. T. 1. p. 188. 69 ss. — Augustin. *De haer. c. 43.* T. 8. c. 13. — Hieron. *Epist. 124. ad Arit. n. 12. 3. 10.* Opp. T. 1. c. 929 s. 918. 927 s.

[2]) Origen. *De princ. l. 2. c. 10. n. 4—5.* Opp. T. 1. p. 102. Cf. Hieron. *Epist. 124. ad Arit. n. 7.* Opp. T. 1. c. 923. *Cont. Ruffin. l. 2. n. 7.* T. 2. c. 496. — J. Damasc. *De f. orth. l. 4. 28.* Opp. T. 1. p. 304. *Dial. cont. Manich. c. 75.* p. 460. — Theophylact. *In Marc. 9.* Opp. T. 1. p. 221. — Ambros. *In Luc. l. 7. n. 205.* Opp. T. 1. c. 1460.

[3]) Lactant. *Div. inst. l. 7. c. 21.* Opp. T. 1. p. 573. — Ambros. *In Ps. 118. Serm. 20. n. 12.* Opp. T. 1. c. 1225. — Augustin. *De civ. D. l. 21. c. 9. s.* Opp. T. 7. c. 629 ss. et al. — Gregor. M. *Moral. l. 15. c. 29. n. 35.* Opp. T. 1. c. 481. *Dial. l. 4. c. 29.* T. 2. c. 416 s. — Isidor. Hisp. *Sent. l. 1. c. 31.* Opp. p. 425. — S. Thom. *1. q. 64. art. 4.* Opp. T. 20. p. 362. et al. — Hugo Victor. *De Sacr. l. 2. p. 16. c. 5.* Rothom. 1648. T. 3. p. 695 s. Quibus conspirant Bonaventura, Alexand. Alens., Scotus, Durandus, Salamantici, etc.

[4]) Cf. Augustin., Gregor. M., Thom. ll. cc.

cet revelatio, nec contra afferre valet quidquam sana ratio. Et quidem postquam in protoparente omnem humanam naturam divina privarunt gratia, vinculumque, quo illa cum Deo conjungebatur, abruperunt: non potest ipsa non eo magis esse exposita, et quodammodo patere influxui diabolico.

Firmum proinde SS. Patribus erat, in idololatria inter homines introducenda, atque religione Christiana impugnanda et persequenda daemones suas partes habuisse [1]. Certa quoque est per daemones ad malum sollicitatio, atque corporum per eosdem obsessio, de quibus speciatim adhuc dicendum est. Caeterum qualiscumque influxus ille daemonum, sive in animam sive in corpus sit, per omnia tamen divinae providentiae est subjectus [2].

§. 17. Sollicitatio diabolica.

Sub sollicitatione, seu ut passim dicitur, tentatione diabolica intelligitur suggestio cogitationum, sensionum aut cupiditatum, quibus ad peccatum allicimur ac trahimur, a diabolo effecta.

Sunt quidem, qui tentationes diabolicas inter *ἀδύνατα* referant, ast contra manifestissima S. Sripturae effata. Etenim, hac testante, diabolus erat, qui protoparentes ad peccatum induxit [3], et ipsum Salvatorem adgressus est [4], quum munus suum publicum auspicaretur. Ad diabolum item refertur a Joanne proditio Judae [5]; atque Ananiam et Saphiram a diabolo tentatos esse, testatur Petrus [6]. — Porro Christus docet, diabolum esse, *qui seminavit zizania* [7], qui *tollit verbum de corde* hominum [8], qui expetiverit Apostolos, *ut cribraret sicut triticum* [9].

---

1) Cf. Justin. *Apol. I. n. 12.* Opp. 50. — Tatian. *Cont. Graec. n. 12. 18.* Ib. p. 269. 275. — Athenag. *Legat. pro Christ. n. 26.* Ib. p. 324 s. — Theophil. *Ad Autol. l. 2. c. 28.* Ib. p. 393. — Tertull. *De Baptism. n. 5.* Opp. V. 1. p. 337. *Apolog. n. 22.* p. 50. — Minuc. Fel. *Oct. c. 27.* Galland. *Bibl. PP.* T. 2. p. 396. — Stollberg, Gesch. der Relig. Jesu. 5. B. 3. Beil. Cf. Act. 26, 18. Apoc. 2, 13. 13, 2.

2) Cf. Job. 1, 6 sa. 2, 6 sa. 3. Reg. 22, 21. 22.

3) Gen. 3, 1 ss. Apoc. 12, 9.

4) Matth. 4, 1—11. Marc. 1, 13. Luc. 4, 1 sa.

5) Joan. 13, 2, 27. Cf. Luc. 22, 3.

6) Act. 5, 3. Cf. 1. Par. 21, 1. Zach. 3, 1.

7) Matth. 13, 39.

8) Luc. 8, 12.

9) Luc. 22, 31.

Paulus scribit, diabolum operari *in filios diffidentiae* (a vera religione et virtute alienos) [1]), nosque arma induere admonet, *ut* possimus *stare adversus insidias diaboli* [2]). Petrus pari modo nos hortatur, ut sobrii simus, et vigilemus, *quia adversarius* noster *diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret* [3]). Atque Jacobus habet: *Subditi ergo estote Deo, resistite autem diabolo, et fugiet a vobis* [4]).

Fides autem antiquae Ecclesiae, tentationes diabolicas dari, adeo est certa et manifesta, ut nec opus sit singulorum Patrum excitare testimonia.

§. 18. Continuatio.

Licet autem, ut modo vidimus, sollicitationes diabolicae revera dentur: non est tamen, cur propterea has diabolicas infestationes justo plus timeamus, multo minus animum abjiciamus, aut vero peccata in illum refundentes excusemus. Nam quod habebat diabolus, i. e. quod ei debebatur, mortis imperium, Christus Dominus, *fortior eo superveniens* [5]), qui *in hoc apparuit, ut dissolvat opera diaboli* [6]), ei eripuit, *palam triumphans* de illo [7]), ita ut diabolus nihil juris habeat in nos, nisi volentes jugum subeamus ignominiosae servitutis. *Latrare,* ut ait quidam antiquitatis Scriptor, *potest, sollicitare potest; mordere non potest, nisi volentem. Non enim agendo, sed suadendo nocet: nec extorquet a nobis consensum, sed petit* [8]). Insuper varia nobis sunt exhibita a Salvatore nostro media, ad insidias illas repellendas. Qualia sunt regeneratio seu charitas, per Spiritum S. in cordibus eorum, qui credunt, diffusa, fides, seu fiducia in Deum, spes vitae aeternae, verbum Dei, oratio et obsecratio. Ita enim docet discipulus, quem diligebat Dominus: *Scimus quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit*

---

1) Ephes. 2, 2. Cf. 1. Thess. 3., 5. Rom. 16, 20.

2) Ephes. 6, 11. Cf. 2. Cor. 2, 11.

3) 1. Petr. 5, 8.

4) Jac. 4, 7.

5) Luc. 11, 22.

6) 1. Joan. 3, 8.

7) Col. 2, 15.

8) Auct. *Serm. de Dav. et Golia. n.* 6. Int. Opp. Augustin. T. 5. append. c. 74.

eum [1]). Et **Paulus** nos adhortatur: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiae, et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere. Et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, (quod est verbum Dei), per omnem orationem, et obsecrationem* [2]). Qui itaque hisce utitur mediis, persuasum habeat, se auxiliis divinis haud destitutum iri. *Fidelis enim,* ait idem Apostolus, *Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* [3]). Unde omne peccatum tandem ac proprie ex prava hominis prodit voluntate. Quo sensu dicit **Jacobus**: *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus* [4]). Neque daemones, neque mundus, neque perversi homines, qui daemonum voluntatibus subserviunt, nocere alia ratione possunt, quam malas cupiditates vitiorum illecebris inflammando, ut homo propria voluntate in interitum ruat. Concupiscentia enim est sola peccatorum omnium causa proxima, per quam causae remotae, mundus atque daemones, tantummodo agere in voluntatem nostram possunt.

Quo modo tentationes diabolicae fiant, ignoramus; ast id nos minime perturbare potest, quum aliquo modo eas fieri, sive per corpus [5]) sive alia ratione, perspiciamus.

Observ. Cum ergo Angeli mali saluti nostrae insidiantur: eo vigilantiores atque cautiores in omni vita nostra ambulemus, hostem tam potentem et insidiosum continuo ante oculos habentes, qui se facile illi, quem in pectore gestamus, associet, atque piis, castisque precibus auxilium divinum impetrare studeamus. Ita certantibus autem, persuasum teneamus, multa parata esse auxilia, et praemia vincentibus magna nimis. Facienti enim, quod in se est,

---

1) 1. Joan. 5, 18.

2) Ephes. 6, 14—18.

3) 1. Cor. 10, 10. 13.

4) Jac. 1, 13. 14. Cf. **Herm.** *Past. l. 2. m. 7. 12.* **Coteler.** *PP. ap.* Amstel. 1724. T. 1. p. 95. 101.

5) **Bernard.** *Serm. 5. in Cant. n. 8.* Opp. c. 1284 s. tradit, *nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari, ut videlicet, nullo mediante nostri sive corporis instrumento, ita nobis immisceantur vel infundantur, quo ejus participatione docti vel doctiores, vel boni sive meliores* (et hinc etiam mali sive pejores) *efficiamur.*

Deus non denegat gratiam, omnibusque adest, qui in viribus suis diffidentes, omnem spem in ipso collocant.

§. 19. Obsessiones daemoniacae.

Ast non tantum tentationibus nobis daemones nocere student, verum etiam, ex permissu divino, malis physicis homines vexando, aut plane eosdem obsidendo seu possidendo, i. e. corpora illorum intrando et inhabitando, variaque in iis efficiendo, quae vires humanas superant.

Causam malorum physicorum daemones esse posse, docetur eo, quod in libro Job expresse legatur, Deum potestatem viro sancto nocendi satanae concessisse, huncque illi mala varia, eaque summa inflixisse [1]), et quoniam in N. T. saepius morbi ad diabolum tamquam causam eorumdem referuntur [2]).

Quod autem ad obsessiones daemoniacas attinet: illas possibiles esse, et tempore Christi revera obtinuisse, nos assumere cogit Scripturae auctoritas, nec non universalis ac constans fides Ecclesiae. Etenim Christus Dominus et Apostoli ita se gerunt, ita loquuntur, ut opinio, dari homines a daemone obsessos, nisi jam mentibus auditorum insedisset, eos necessario occupare debuisset. Nam Salvator non tantum constanter daemoniacos ab aegrotis, ejectionem daemoniorum ab aegrorum sanatione distinguit [3]), sed daemonia diserte spiritus immundos adpellat [4]), ea alloquitur, cum summa auctoritate increpat, et ex corporibus hominum egredi jubet [5]). Porro daemonia secundum S. Scripturam vident, audiunt, loquuntur, clamant, Christum cognoscunt, atque Sanctum Dei esse confitentur [6]), ipsum supplicant [7]), ex hominibus exeunt [8]), et eum Salvatoris permissu porcos invadunt [9]). Et quidem tali modo Christus se gessit, ac tali modo locutus est, non tantum spectante et audien-

1) Job. 1, 12, 2, 5 ss, Cf. Tob. 6, 14. 3, 8. Ps. 77, 49.

2) Cf. Matth. 9, 32. 33. Marc. 9, 16. Luc. 11, 14. 13, 11. — J. Damasc. *De f. orth. l. 2. c. 4.* Opp. T. 1. p. 159.

3) Marc. 3, 15. 16, 17 s. Luc. 13, 32. Matth. 10, 8.

4) Marc. 5, 8. Luc. 10, 20.

5) Marc. 1, 25. 5, 8. 3, 12, 9, 24. Luc. 4, 35. 9, 43.

6) Marc. 1, 24. 3, 11 s· 5, 7—12. Matth. 8, 29.

7) Marc. 1, 24. 26. 3, 11—12. Luc. 4, 34. 8, 31.

8) Marc. 1, 26. Luc. 8, 33. Matth. 12, 43.

9) Luc. 8, 32—33. Marc. 5, 12—13.

te populo, sed etiam privatim cum solis discipulis agens, quibus datum erat, nosse mysteria regni Dei [1]; et quum discipuli septuaginta duo, quos ad singulas civitates praemiserat, revertentes gauderent, quod daemones sibi subjicerentur, eos non tantum non correxit, sed potius confirmavit, dicens: *Videbam satanum sicut fulgur de coelo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici: et nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in coelis* [2]. — Pariter Apostoli, baptizati Spiritu S. ac omnem veritatem edocti, accurate inter daemoniacos et aegrotos discernunt [3], daemones spiritus immundos, spiritus nequam adpellant [4], loquentes et agentes inducunt [5], atque ut ex hominibus exeant, iis praecipiunt [6].

Manifestum igitur est, eo tempore, quo Christus et Apostoli vixerunt, multos exstitisse a daemonibus infestatos. Nam rem tamquam certam et indubitatam non tantum tradunt Scripturae, sed et Christus et Apostoli ita se gerunt, ut, si error subesset, is merito in ipsos refunderetur. Num autem Christus, Deus homo, erroris patronus aut magister? Num decepti, deceptoresque Apostoli?

B. Facillimmu esset, quae in SS. Litteris tam aperte praedicantur, etiam ex veterum Patrum testimoniis probare. Omnis enim retro antiquitas et proximiores Apostolorum temporibus Patres non tantum in eo conspirant, veras esse illas daemonum possessiones, quae in S. Scriptura narrantur, sed et suis temporibus similia contigisse testantur [7], Christianis virtutem

---

1) Matth. 17, 18 ss. Marc. 9, 27 s.

2) Luc. 1, 1—20.

3) Math. 4, 24. 8, 16. t0, t Marc. 1, 32. 34. 3, 10 s. Luc. 6, 18. 7, 21. 8, 2. 13, 32. Act. 5, 16. 19, t2.

4) Marc. 1, 23, 26. 3, 11. 5, 13. 9, 24. etc. Act. 8, 7. 5, 16. 19, 13.

5) Act. 8, 7.

6) Act. 16, 18.

7) Justin. *Apol. n. 2.* Opp. p. 96. — Tatian. *C. Graec. c. 16.* Ib. p. 273. — Iren. *Cont. haer. l. 2. c. 32. n. 4.* p. 166. — Origen. *Cont. Cels. l. 1. n. 6.* Opp. T. 1. p. 325, *l. 7. n. 4.* p. 596. — Gregor. Naz. *Or. 1.* Opp. T. 1. c. 32. D. — Cyrill. *C. Julian. l. 6.* Opp. T. 6. P. 2. p. 202. — Minuc. Fel. *Oct. 27.* Galland. *Bibl. PP.* T. p. 396 s. — Cypr. *De Idol. vanit. n. 4.* Opp. V. 2. p. 108. — Lact. *D. inst. l. 2. c. 15 s.* Opp. T. 1. p. 176 s. *l. 4. c. 27.* p. 345 ss. — Augustin. *De c. D. l. 22. c. 8. n. 7—8.*

inesse daemones invocato nomine Jesu ad testimonium contra semetipsos edendum adigendi, eosque expellendi tradunt, et ad eam tamquam certissimum documentum veritatis religionis Christianae provocant. Ad finem adhuc saeculi II. tam frequentes sunt daemonum possessiones, tam certa ac manifesta Christianorum in illos potestas, ut Tertullianus non vereatur Imperatores ita compellare: *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem daemone agi constet; jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi deum de falso: aeque producatur aliquis ex iis, qui de deo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui ructando conantur, qui anhaelando profantur; — nisi se daemones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. — Christum timentes in Deo, et Deum in Christo, subjiciuntur servis Dei et Christi: ita de contactu, deque afflatu nostro, contemplatione et repraesentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti et dolentes, et vobis praesentibus erubescentes* [1]). Ast nec opus est haec allegare Patrum testimonia; quum ea adversarii haud negent, sed explodant, majori utique supercilio, quam ratione. Nam viri isti nullius plerumque studii et levissimae doctrinae multo se celeberrimis quibusvis Ecclesiae Patribus doctiores putant, ipsi Scripturae haud parcentes, quam aut aperte rejiciunt, aut tantum hac lege retinent, ut omnem, quam ipsi volunt, formam induat, neque de vi sibi illata conqueratur, idque solummodo propterea, ne a fideli adhuc plebe offensa, quae S. Scripturam ut verbum divinum veneratur, tamquam pseudo-prophetae ac impostores repudientur.

Sensus autem Ecclesiae universae vel ex solo exorcismorum usu, qui a primis saeculis in Ecclesia obtinuit, nec non Exorcistarum ordine instituto evincitur.

Permisit autem Deus, ut illo temporis curriculo, quo Christus publicam inter homines egit vitam, tantus esset daemoniacorum numerus, ut ipse hac ratione se victorem diaboli, qui quo magis homines ad resipiscentiam et ad conjunctionem cum Deo excitantur, eo magis vires intendit ad illos a Deo avertendos,

---

T. 7. c. 667 s. — Clem. R. *Recogn. l. 4. c. 20.* Cotel. *PP. ap.* Amstel. 1724. V. 1. p. 524.

[1]) *Apolog. n. 23.* Opp. V. 1. p. 51 s. Cf. *Ad Scap. n. 2. et 4.* p. 129. 131.

palam probaret, et visibili operatione invisibilem victoriam, et Incarnationis saluberrimum finem demonstraret.

Observ. 1. Priscos Scriptores nonnunquam quosdam aegros a daemone obsessos dixisse, qui reapse obsessi non erant, concedi potest. Attamen vocabulum tropice nonnunquam adhibitum non amittit sensum suum nativum. Quis negabit dari aurum, quia aetas quaedam aurea, aurei Sacerdotes, Reges, Principes dicuntur? Et omen et nomen auri antea exstitit, priusquam idem verbum tropice adhiberetur. Sic obsessi reapse a daemone videbantur, antequam infirmantium quidam similitudinis ergo, daemoniaci dicti sunt.

Observ. 2. Licet secundum dicta non omnis omnino nobis nocendi potestas daemoni per Christum sit ablata: nimii tamen sunt, qui plenam audendi, perficiendive quidlibet in daemonibus facultatem agnoscunt, aut omnis generis morbos, quibus mortalium genus conflictatur, diabolo adscribunt, quive putant, magos, aut sagas efficere posse, quodcumque iubeat, ope diabolica. Putamus enim omnia quae venditantur de magia, seu arte perficiendi mira ope daemonis, nocendique hominibus variis modis, quo revocantur praestigiae, incantationes, fascinationes, pacta ac commercium cum daemone, commentitia esse; quamvis negari non possit, talia ab hominibus tentata, et scelera nefanda, adhibitis mediis naturalibus, esse commissa. In S. Scriptura quidem leges contra magiam latae deprehenduntur, quae tamen etiam contra attentationem solam magiae ad imitationem idololatrarum statutae esse possunt. In Ritualibus autem quidem multi occurrunt exorcismi contra infestationes diabolicas, nullus tamen proprius habetur contra magiam; bullae pontificiae vero poenas credentibus, et profitentibus magiam dictitant. Primus qui processus contra sagas, frequentiores inter Protestantes quam Catholicos, impugnavit, erat Fridericus Spee e Societate Jesu, qui affirmat inter centum ob magiam damnatos, quorum statum optime perspexerat, tantum duos probabili judicio suspectos exstitisse [1]).

---

[1]) In opere: *Cautio criminalis circa processus contra sagas.*

O. A. M. D. G.

Index.

Isagoge.

Pagina

Pars prima.

De Deo.

Sectio I.

De Dei notione atque exsistentia.

Sectio II.

De absoluta Dei essentia seu natura.

Sectio III.

De vita Dei absoluta, seu de Deo triuno.

Titulus I.

Articulus I.

De Patre vero Deo.

Articulus II.

De Filio vero Deo, Patri consubstantiali.

Articulus III.

De Spiritu S. vero Deo, Patri et Filio consubstantiali.

Titulus II.

Pater et Filius et Spiritus S. tres personae realiter distinctae, unius tamen ac individuae naturae et substantiae.

Titulus III.

De processionibus ac notionibus divinis.

Pars secunda.

De operibus divinis, seu de relatione Dei ad mundum universim.

Sectio I.

De creatione mundi, seu de Deo mundi Creatore.

Sectio II.

De divina providentia, seu de Deo mundi Conservatore et Gubernatore.

Pars tertia.

De natura spirituali, seu de Angelis.